JOANNIS BISSELII,

E

SOCIETATE

JESU,

DELICIÆ ÆSTATIS.

AD
SERENISSIMAM COELI, TERRARUMQUE, REGINAM.

GAUDIA cùm gracili modularer AGRESTIA cannâ,
Et tenuî canerem ditia RURA sonô;
Hîc opus est Cereris nitido mihi sidere (dixi)
Hîc opus est serie, materiáque, Libri.
Lilia, prata, nemus, cerasos, sata, prædia, montes,
Blandáque sepositi pumicis antra, volo.
PRAE reliquis tamen, adsit Aquæ mihi viva scatebra!
Cúmque favente, favens Maxima DIVA, DEO!
HAEC ego. Iámque polum digito tetigisse videbar:
Tota meo suberant SPICEA regna pedi.
Ecce tibi! subitò (nisi fallit amabilis Icon)
Quod mihi sors dederat, Vis aliena rapit.
Namque FIDES, Cererem mihi subtrahit; Aethera nubes
Mons, casa, prata, nemus, Solis ab igne flagrant.
Lilia cum Cerasis, legit ALIGER alter, & alter:
Far Iuvenes alii, præcoce falce, secant.
Antra, nigro nebulosa gelû (tamen apta Thaliæ)
PNEVMA Sacrum, radiîs insidet usta suîs.
Virginei quoque germen Agri, sinè Semine NATUM,
Tu tibi, VIRGO, rapis: Te rapit ILLE sibi.
Sic ego Tê, Sobolísque tuæ spoliatus Amore,
Quas mihi Delicias, MATER, &, unde, petam?
SPES erat, In cumulis Segetum, Stipulísque, legendîs;
His tamen Angelicæ sportula Corbis ovat:
Spes erat, In vitreis (Clarii vice gurgitis) VNDIS;
En, alius phialâ præripit Ales aquas!
SPICA meis igitur perit, & perit VNDA, Camœnis!
QUID superest? Aliò Messis & AESTUS eant!
Aut ego nulla canam, sinè carminis illice, RURA:
Aut ego pulso tuas, Regia Nympha, fores.
Cætera, cùm Genii tulerint sibi, Symbola Messis;
Vltima, dic, maneant (Culmus, & Vnda,) Mihi!
Hæc, neque TOTA, peto. Satis est, Ab utrisque, vel Vnum
Munere contigerit si mihi, VIRGO, Tuo.
Sat mihi; De Stipulis, CALAMUS (teres atque Rotundus;)
De Salientis Aquæ gurgite, VENA-Fluens.


IOANNIS
BISSELII
E SOCIETA
TE JESV
AESTAS
Monachij
ANNO
1644
Joann. Loth delin.
Wolf. Kilian Sculp.

RELIGIOSISSIMO PRÆSULI,
AMPLISSIMO DOMINO,
DOMINO

JOANNI BAPTISTÆ,

Inclyti BAUMBURGENSIS Cœnobii,
Canonicorum Regularium
S. Auguſtini,

PRÆPOSITO;

† 1648

SALISBURGENSIS ARCHI-
DIOECESEOS

ARCHIDIACONO,

Statuum Bojariæ Commiſſario De-
putato, &c.

Domino ſuo obſervandiſſimo,

JOANNES BISSELIUS,
è Societate JESU,

S. D.

QVod Ephialtes quondam Heraclidis, ac Cimon Atticus, Miltiadis filius, fecerunt; ut, quidquid diuturno suo suorúmque callo, ruris excoluissent; id in spicæ denique maturitate, disruptis agrorum sepibus, publicæ messis usúsq; facerent, ac populo donarent: Idem ego, PRÆSUL Amplissime, quadam imitationis umbrâ nunc æmulor. ÆSTATEM enim meam, aliquot jam Annorum labore cultam, & nunc ad falces perductam; laxatîs demum scriniis, vulgi pariter, & doctrinæ Prócerum manibus oculísque permitto: prodeúntque tandem in apricum Frugiferi Temporis DELICIÆ. Sed hæ, quod suspicor, minusdum robustæ, fortassis etiam Solis adhuc parùm patientes; eorum, quorum longæ fuerunt latebræ, communi calamitate, cœlum, compressâ palpebrâ vitabunt: & ad publicæ Lucis fulgur, tanquam ad Prætoris Puteal ambiguæ litis Rei, trepidabunt. Ac tribuant hunc sanè timorem Verecundo pudori, benigniores interpre-

ptetes · *Ego tamen* formidinis iſtius juſtas in eis cauſſas agnoſco; vehementérque vereor, ne, poſt Quinquennes licèt curas atque limas, plus nihilominus Temporis abſtulerint, quàm Maturitatis ac nitoris: & partus iſte Cerealis, oculatiore ſui cultu deſtitutus, titulo Delicatior, quàm verſu, ſit proceſſurus.

Hoc ipſum igitur eſt, quod ad TE, venerabilis PRÆPOSITE, meas has Muſas, de ſui tutela ſollicitas, ablégat: ut ſub Tui potiſſimùm Patrocinii tentorio, tolerare diem aſſveſcant; &, quem in ſeipſis nondum utique reperiunt, ab Infulæ Tuæ gemmis ſplendorem mutuentur. Cujus, ut opinor, nec Amplitudinem ullâ temerabunt irreverentiâ; quoniam ad TE tantò pòſt, ac pedibus diu præmeditatis, accedunt: neque Dignitatem injuriâ violabunt, ad TE provocantes; quoniam invitatæ tractæque veniunt, tot impulſibus, quot titulis atque cauſſis.

NAM, ſive quærendum Humanis his Artibus hoſpitiũ erat, in quo ſemetipſas diver-

diverticulo quàm mollissimo deponerēt: ad quémnam irent feliciùs, quàm eum, cujus in pectore nativum domicilium omnis defixit Humanitas? Sive lucubrationis operosioris intelligens arbiter, ac par urnæ judex, sortiendus fuit; quis alius optandus, quàm, qui per Doctrinæ mansvetioris Olympia, Stadio proprio, non sinè coronis, cucurrisset? Sive Libri cujuscujus ipsa Varietas atque materies, per alta, per humilia, per humana pariter ac Divina dispalantis, Lectorem ubique domesticum, sibíque concolorem deposceret; quis erat ambiendus alius, quàm, qui per chordas (quod ajunt) & Buxum, per mitiores æquè severioréſque Scientias & Mathemata, non absque gloria se versâsset? Sive denique potiori thematis parti, Sacra modulanti, genuina Sacrorúmque non insolens Auris; aut Villica, rusticásque curas cantanti, non rudis æstimator; aut tot Agrorum fructibus, suus legitimus, & Mosaicis præscriptus codicillis Decimator, indagandus fuit: ad quem potiùs

potiùs, quàm ad Religioſorum Antiſti-
tem, ad diligentiſſimum Domûs Dei cura-
torem & Colonum, ad Primatem Sacer-
dotem, eundum erat?

QVÆ quidem omnia, congruerent in
multos haud dubiè ſingillatim: ſed in
TE propemodum Unicum concurrunt
univerſim; cuj, propter tot eximiarum
congeriem dotium, ipſa Themis & Juris
æquitas, DEBERI clamat, politiores Mu-
ſas, ut Patrono; numeroſos modulos,
velut Orpheo; Varietatem, tanquam E-
ruditiſſimo; Sacra Carmina, ceu Divinis
PRÆPOSITO; Villas & Agros, ut Oeco-
nomo; Fruges demum, & earum Primi-
tias, velut ARCHIDIACONO.

Proinde, ſive tot Tibi cauſſæ, Libri
mei tutelam perſvadent; ſive priſcum
Tui cultorem Amicúmque nondum in
Honoribus faſtidis; accipies, PRÆSUL
Digniſſime, vultûs hilaritate Vernâ, tres
ÆSTIVOS hoſce Menſes; &, quod Sere-
num, ad ſui maturitatem, à cœlo genió-
que ſuo minùs adhuc habent, illud eis
Tu, de Fronte tua, nutibúſque faventi-

)(5 bus

bus aperies. FORTASSIS, eos lustrâsse saltem, aut Æra Titulorum contemplatum esse, pœnitentiæ non erit. OCCUPATIS enim Mentibus, etiam TACENS Imago, disertè loquitur: & SAPIENTIS Perspicax oculus, exiguo sæpe nictu, Profundum ingens exhaurit. Quid si præter hoc, Curas Tuas, à graviorum subinde mole sevocatas, hora remissior, ad Lectitandum quoque pellexerit? NEC enim, opinor, Carminum TE multitudo deterrebit: multò minùs ex merito stomachum Tibi concitabit, reputanti cum animo tuo; REM esse fertilissimam omnium, Terram & Agros: nec facilè quidquam Cerere copiosius. Ac sanè, quisquis è Sæculi superioris Annalibus recolet; In campis Németum, haud ità procul Rheni fluentis, Æstate post natum Christum quingentesimâ quadragesimâ primâ, supra millesimam, Unico de Culmo spicas Quindecim refertissimas, cum granis innumerabilibus procrevisse: poterítne vel mirari, vel indignari de Calamo Libelli forsitan unius aut alterius

rius Æſtivi, Tricenas, aut, ſiquid excedit, Elegias prodiiſſe?

LEGES itaque, niſi fallor, ex his meis nonnulla, citra magnum copiæ tædium: legéſque, non Tu quidem, ut Diſcas; multò verò minùs, ut ex hac mea Pallade ruſticante; (Quónam enim ſupercilio dictent Agreſtes Cicadæ noſtræ, volatum aquilis, Cantúmque Luſciniis?) ſed potiùs, ut recognoſcas atque recolas, in vetuſtis recentia, ſub Alienis Temetipſum, propriáſque Dotes. Hîc Tu Litteratorum ſtudioſas, ac præfeſtinatas Auroras volves: & Tuos ſimul antelucanos Librorum amores in memoriam reduces. Hîc Statórem Vigilantium, unius Aviculæ cantibus, per tot ætates intentum, ſuſpicies: & Matutinæ Tibi pietatis Pſalteria refricabis. Hîc ſtructorem rectorémque Religioſæ Domûs, Hannónem, medias inter ſylvas negotioſum, reperies: &, ſub hoc, Tuum quondam Berchtolſgadium, DECANI-POSTULATI nomine juréque gubernatum, tacitâ cogitatione relibabis. Hîc famoſum illum INIQUI-

TATIS VILLICUM, etiam priusquam examines, condemnabis; ac. Paterfamilias accuratior, illius Manasséo BAUMBURGUM Tuum, illius annosæ negligentiæ Tui regiminis sollers Octennium, ejus Dilapidationi Structuras Tuas, nova Prædia fundósque, quibus Cœnobii fines auges, oppones. Hîc meditabundum inter agros ISAACUM, familiari, quod facis, Cœlestium speculatione comitaberis: & sub hoc AUGUSTINUM simul Tuum, ponè Maris Africani littora DEUM Unum Trinúmque secum expendentem, quà fas, insequéris Hîc inter victricia JOSUÆ Ducis agmina, vexilliferos, centuriones, tribunos, recensebis: & Filii subibit animum PATER etiamnum superstes, Vir pace militiáque bonus, Ductor ordinũ nobilis, nec Saalfeldensis præfecturæ moderamine, quàm bellacis dexteræ meritis, spectatior; cum universa ZEHENTNERORUM forti claráq; prosapiâ. Hîc in Tuo BAPTISTA, præter Nominis consortium, etiam TENEROS ANNOS Tuos recogitabis; quibus,

bus, ad Prodromi JOANNIS exemplar, CIVIUM TURMAS FUGITANS, non ad Jordanis quidem margines, ANTRA DESERTI; ſed tamen ad Alzæi fluminis nemoroſas ripas, religioſiſſimi Pometi ſeceſſus, PETISTI. Ne longior denique ſim; Hîc in MARIA, Sæculorum Reginâ, quam Deliciarum mearum crebra pagina celebrat, Tuos in eam dulces affectus, vetus Cliens ac Sodalis, recudes: In Claravallenſium Meſſorum caloribus, DEIPARÆ Strophio refrigeratis, Tuámmet ipſe Familiam, Servorum DEI, reſpicies; indefeſſo Canonicæ vitæ labore deſudantem, ac poſt Sanctiſſimorum operum abſolutos Annos, cœleſtia præmia demeſſuram: In BERNARDO tandem, Tibi PRÆSULEM propones, DEO primùm, Divæque MATRIS virgineo cordi fixum; deinde Suos etiam, ſollicitis utrique curîs affigentem: Id, quod facere TE, conſtans plurimorum mihi Fama loquitur, gaudenti multùm atq; gratulanti. Plurimùm namque (nequid hîc diſſimulem) geſtio, veriſſimíſque lætitiis efferor; cùm

ÆSTATIS hanc meæ LATAM AREAM, non compellor in vanas quaſdam aſſentatiunculas, ſed in ſolidas veráſq; LAUDES TUAS patefacere: cùm, ad majorem DEI gloriam, pro TE Bonos quoq; gloriari Viros ſentio: cùm, Numinis ad ſervitium (quod Omnes ei debemus) Oris ac Vitæ Tuæ facundiâ, tam eos, qui Forìs ſunt, intrò, quò Tecum ſint; quàm eos, qui ſunt Intus, Tecum ut maneant, trahi potenter intelligo: TEQUE, quod olim ominabar, repertum dignum, qui tot viris pietate claris præponereris: & illos, ſuapte diſciplinâ, tuíſque moribus, haud alii malle, quàm Hujc Capiti, cum talis Exempli Pede, ſubeſſe. Quod nunc utique fieri, mirandum non eſt; Cùm &, qui PRÆEST, imperat, quod Præſtandum eſt: & non minùs ipſe Præſtat alacriter, quod Imperandum.

SED, hæc ego, NEQUID Extra (quod vulgò dicunt) OLEAS ferar, delibâſſe contentus, Epiſtolæ digreſſum effuſiorem coërceo: Méque MEI potiùs, ut ſim Brevis; quàm TE Tui, quò Pede tali ſemper

per procedas, admoneo: Quippe, qui propositi metam hanc unicam mihi præfixerim, uti demonstrarem; ABS TE non penitùs sinè fruge, Meos hos Agros MESSESQUE lectum iri.

SUPEREST; ut, Sive Placuerint hi Libelli, TUORUM, Eruditionis numero laudéque florentium, Muséis non arceas; sive Displicuerint, Illos eo mentis oríſque robore devores atque concoquas, quo Malum versum Augustus; ac vetes scilicet, NEQUID deinceps Tibi scribam: utpote, qui non modò præter Exspectationem, verùm etiam, EXTRA TEMPUS Tibi cantem. nam ÆSTATEM profectò mitto, medio rigentis JANUARII sidere. Quod equidem Paradoxon, in aditu statim atq; limine Dedicationis, diluissem; nisi supervacuum existimâssem, Poëtas excusare: quibus receptum est; Enthusiasmô, priscis Divinô, concitari: quorúmque vaticino furori, TEMPUS omne, quantumvis postea Futurum, aut olim Transactum, fit PRÆSENS; quibus ÆSTATES Cyrenaicæ, mensium (nisi Fama

men-

mentitur) Octo, quotidie nascuntur, in Parnassi sui jugis. De ME saltem, Salva res est, & Apolline judice decisa. Nam, qui mediâ Carminum horum ÆSTATE, sub MARIANA Basilicâ, NIVES dederim: nunc, medias inter NIVES, aliter arridente Cœlo, cur ÆSTATEM non possim?

Vale, PRÆSUL Amplissime: DEOQVE sospitatore, cum Tuis Omnibus, perenna Monachii, Idib. Januarii. Anno Christiano M. DC. XLIV.

ERUDITO LECTORI. S.

QVam in VERNIS meis antehac, Carminis, Partitionis, & Varietatis rationem secutus sum; eidem etiã nunc, in ÆSTIVIS hisce DELICIIS, insistendum censui: ne morem meum Veterem, non uno jam Publico receptum, siquid mutâssem, retractationis levitate damnarem. Accessêre tamen huic ÆSTATI, veluti Maturioris Temporis exigente reverentiâ, quædam paucula; quibus ea VERE consummatior procedere videri posset. In his, Imagines sunt, tam librorum singulorum frontibus, quàm Titulorum insignioribus argumentis, quasi facem prælaturæ. Elegiæ quoque Dactylicæ, cum Carminibus Dactylómetris: inter quæ discrimen non est, nisi quòd illæ prioris appellationis poëses, præter unicum (Hexametro versui necessarium) Spondéum, duásque Pentametri redundantes syllabas, ceterà puris putis Dactylis absolvantur; Dactylómetra verò solum unicum, in omni compositione, Spondéum numerent, cui succedere Pes alius poterat: novatione, fortassis neque doctis improbabili, neque tironibus damnosá; quorum incitandæ poëmatis alacritati, versuúmque volubilitati, Labor hic omnis est repertus. Quos ipsos, ut ad rotunditatem quoque carminis & hiatuum crebriorum fugam (inceptantibus ferè difficilẽ) exemplo provocarem: primùm in his libellis universim parciùs; In Tertio verò singillatim, Nunquam Elisi. qui proinde totus quantus legetur, Extra Synalœphas. NE denique non omnis hæc Messis adolescentiorum horreis, in Spica (quod ajunt) & Culmo serviret: INDICULUS adjectus est ONOMASTICUS: hoc est, Nominum interpres verborúmque; non sanè totidẽ, quot à quovis Nesciri possunt (nam id infinitum fuerat, & angustioris

curæ)

curæ) ſed vel Latinitatis Helladíſque minùs paſſim obviæ compertæque; vel Antiquitatis. Eruditionis, & Hiſtoriæ reconditioris: eo tamen explicationis temperamento, quod nec, Omnia ſcire volentem, copiâ ſatiaret; nec, abſtruſiora ſola requirentem, indaginis deſperatione cruciaret. Quod proinde λεξικίδιον, nequaquam TIBI, Lector Erudite, quippe viriliter jam pridem ac robuſtè docto; ſed Juniorum duntaxat bono levaminíque, concinnatum: ſicut à Gazæo, Vincartióque, claris ævi noſtri Poëtis, Exemplum; ſic ab humanitatis tuæ placido Genio, Veniam habeat!

Vale.

FACUL-

FACVLTAS R. P.
PROVINCIALIS.

EGo NICASIUS WIDNMAN, Societatis JESU, per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, factâ mihi potestate, ab Adm.m R. P. N. MUTIO VITELLESCO, Præposito Generali: JOANNIS BISSELII, Societatis nostræ Sacerdotis, Libros Tres Æstivorum, seu, DELICIAS ÆSTATIS, Elegiaco carmine lucubratas, & à Patribus, ad eam curam designatis, perlectas, censas, & approbatas, juris publici, per typos, fieri permitto: ejúsque concessionis fidem, manu meâ, munerísque mei consveto sigillo, facio. Halæ 24. Augusti, Anno CIↃ.IↃC.XLIII.

NICASIUS
WIDNMAN.

DELI-

DELICIARUM ÆSTATIS

INDEX.

LIBRI I.

ELEGIÆ.

XIX. Li-

LIBRI II.

ELEGIÆ.

XV. Ni-

IOANNIS BISSELII

è

SOCIETATE IESU,

ÆSTIVORUM

LIBRI TRES,

QVIBVS

DELICIÆ ÆSTATIS

DESCRIBUNTUR.

INVITATIO
BIBLICA.

Levate Oculos veſtros,
& videte Regiones!
Quia Albæ ſunt jam,

AD

MESSEM.

Ioannis IV. Verſu XXXV.

ÆSTIVORUM
LIBER I.
CONTINENS
ILLECEBRAS
ÆSTATIS
INCHOATÆ,
SIVE,
IVNII,

DILUCULUM ÆSTIVUM.
AGROS.
VILLAS ÆSTIVAS.
CANCRUM IVNIANUM.
LILIA.
SOLSTITIUM ÆSTIVUM.
IGNES IOANNÆOS.

ELE-


DELICIAE IVNII.
sculpsit.

ELEGIA I.

Protreptica

Argumentum.

Se, Deliciis Veris antehâc evulgatis, non ſcripturum deinceps ſive Delicias alias, ſive quacunque Carmina: Hiſtoriâ demonente; & ad ILLUSTRES *potiùs* RUINAS, *proſâ concinnandas, inſtigante.*

Producit autem HISTORIA *varias omnium ætatum ſæculorúmq; Fortunæ victimas; Principéſque famoſo per ordinem exitio præcipitatos: quos ſcribi ab Auctore, calamo ſoluto, poſtulat.*

PRIMA Tarentinæ cecinit Viridaria Floræ,
Læta per affines ire Juventa Roſas.
Tunc illi placuit facilis, ſine Cypride, luſus;
Et Soles hilares, & genialis Humus:
Spirantéſque jocum Zephyri; materq; trimeſtrî
Terra puerperio; nec ſine Fonte, Nemus:
Et, quodcunque tegit Nemorum frondoſa voluptas.
Omnia ſic juſſit ſcribere, Veris Amor.
Tunc in flore fuit, tunc in Juvenalibus Ætas;
Concolor hinc ſcenæ debuit ire ſuæ.

Nunc Illi periêre Dies! Toga Seria, trudit,
Protritis Apinis, in tua Templa, Cato.
Ut fatear, quod me res cogit, & acta, fateri:
DELICIAS iterum ſcribere, promptus eram.
Obſtitit Hiſtories, Dea, Majeſtatis & Oris
Simplicis; at, claro ſidere viſa mihi.
Illa; Quid in Veteres, inquit, ruis abſone nugas?
Quid repetis, quæ te dedecuêre, lyras?
Turpe Viris, Luſus, nullâ gravitate refractus!
Et Melos, & Semper Gaudia, turpe viris!
Quin, Frontem ſtylus, & rugas aliquando Seniles,
Torváque Veridicis induit Arma Libris?
Si ſapis; Eſt ingens, non deſide pulvere, Campus;
Eſt, qui perfringat Rudera digna, labor.
Scilicet, Illuſtres, in Sex & Dena, RUINÆ
Sæcula; ſub totidem ſæcula danda Tomis:
In Tenebris potiùs, calami ſquallore, jacebunt?
Nec tibi propoſitum, quod fuit antè, manet?
At, Titulus quamvis operi ſit triſtis, & ater;
Non ſine ſole tamen, non ſine flore thema.
Sunt ibi Phœnices, Phariíque, Syríque Tyranni:
Et, quos par, diſpar, ſub Styge, flamma coquit.
Sunt ibi decepti clariſſima Funera Faſtûs:
Fortunæque Levîs victima ſæva, Duces.
Uſque Dionæo ſtillans è Cæſare Ferrum,
Vix in Guſtavi denique morte tepet.
Hos inter, Medii, non clade, ſed ordine Reges;
Et, queiſcunque fuit Purpura, Grande malum.
Eſt ibi, flammato proſtratus ab æthere Carus:
Eſt ibi, par Tonitrûs ardor, Anaſtaſius.
Hic Euphratæas reſpergit Apoſtata ripas,
Sangvine; quem Victor, Rex Galilæe, bibas.
Hic rapidos Tigridis remoratur Coſroa fluctus;
Impius à gnati dum perit enſe Pater.
Sunt ibi Romulei, ſunt Grajâ fronte, Tyranni;
Sunt, quos in lapſum Barbara regna darent.
Priſca tibi procerum, tibi Buſta recentia ferrent,
Perſa, Scythes, Moſcus, Belga, Britannus, Iber.

Disjectas

Disjectas etiam. lapidosa cadavera, Turres;
Et castellanis mœnia versa minis,
Historicæ posses fidei deplangere Lesso:
Terrarúmque suis ostia rupta Jugis.
Denique, præcipites quocunque cacumine lapsus;
Pœna sibi, celebris sed Tibi, Cura, forent.
Materiam tibi mórsque daret, moréſque cadentûm:
Nam Mores mortis sæpe fuêre Via.
Ortus & Interitus, intrarent Acta: ministrant
Dum Lucina suas, dum Libitina, faces.
Hæc Tu, ne Vincto mediteris Apolline; quali
Sive gravis Clio, sive Thalia levis:
Sed, quo nuda Fides, sine Veri tegmine, narrat:
Libera Pieridum compede, verba trahe.
Sic mihi, Gestorum memoratrix, Candida Diva,
Dixit: &, abruptâ cessit in astra Morâ.
Hanc gradibus, cursúque sequi, mihi Copia nulla:
Restat, ut Obsequio Verba Magistra sequar.
Ergò Vale, Carmen! Veríſque Ligata Voluptas!
Aonios Lusus, Seria Cura fugat.
Bella stylo meditor, Stragéſque, nigráſque Ruinas:
Et, prope tot Mortes, DELICIARER Ego?

ELEGIA II.

Antiprotreptica.

Seu,

Præcedenti Contraria; & Synopsin operis sequentis proponens.

Argumentum.

Se omninò deinceps scripturum DELICIAS *alias: & in præsentiarum quidem,*

ÆSTATIS: *invitatum aspectu periſtromatum elegantiſſimorum, in cujuſdam Principis Palatio; quibus intertexta* RUTHÆ MOABITIDOS, *Spicas colligentis, Effigies, Auctorem ad* ÆSTIVA *quoque* GAUDIA *celebranda cohortata eſt, Verbis illis, ex Canticorum 7. v. 11. depromptis.*

Veni, dilecte mi! Egrediamur in Agrum! Commoremur in Villis!

I.

Aulica Periſtromata.

BOICA quàm nitidis collucet Regia Textis?
  Quàm Phrygiâ ludit Belgica Pallas acu?
Sutilibus credas ſpirare Palatia Nymphis:
  Vivas, ſub Fili nubibus, ire Deas.
Ipſe, ſub artifici Sermo bombyce, renidet;
  Quem, ſi non audis, Sexus & Aula vetant.
Totus habet Veteris Paries Heroidas Ævi,
  Quas celebrant albis Biblica geſta notis.
Poſſe putes, ac Velle, loqui; ſed, Voce repreſsâ,
  Tot Spectatores erubuiſſe Viros.
Quod decuit Vivas, id adhuc in Imagine ſervant:
  CASTA, Diſerta ſat eſt, ſi Taciturna ſatis.

o

II. Ru-

II.

RUTHÆ *Cultus, Speciésque, describuntur.*

UNA tamen, reliquis mihi visa Modestior, immum
Sumpserat aulæi, finierátque Locum:
Fusca genas, & adhuc Peregrino Sole perusta;
Os floris medii; quémque Virago velit.
Frons, placido (quantùm licuit) diducta Sereno:
Nam tenuem Rugam traxerat ipse labor.
Umbrabat Nabathæa Caput muliebre Tiara;
Ambibátque nigras Vitta Sabæa Comas.
Hæc super, Eoâ pellucens arte, Theristrum
Jn culices tegimen, teláque Solis, erat.
Laxa Moabæo fluitabat Purpura Limbô,
Discolor Assyriâ Purpura facta manu.
Et Jessen, Proceréisque Patres, Regésque Nepotes,
Scripserat in Pallæ dives Arachna sinu.
Arbor, in immensos Ramorum fusa Corymbos,
Textile Davidicâ stirpe gravabat opus.
Pondere neu' flueret Vestis; Sidonia morsu
Zona coërcebat, strictáque bulla, Latus.
Læva manus strophium, sudore fluentibus aptum:
Dextra Manîplorum Lassa tenebat Onus.
Squallida pendebat de paupere Mantica tergo;
Jn qua mendicæ Lipsana Messis erant.
Quósque cruentârat stipulâ malè Culmus acutâ,
Vix benè cœlabant Vincula rara pedes.
Scire coactus eram, post tot sua Signa, Puellam;
Méque rudem, Tituli sat docuisset Apex.
RUTHA MOABIS, erat Titulus: quam, Ditis ab Ar
Traxit ad Ephratês, Socrus Amata, Sacra.

III.

Ruthæ, ad Auctorem, Sermo Paræneticus.

Hanc Ego Semotæ mirabar imagine mentis;
Non Oculi constans, non pedis, atque Sitûs.
Farra lacessebant, montanáque Tritica, sensum;
Ac procùl, exustis Hordea flava comis.
Tunc mihi (sicut erat declivi, in Tritica, dorso)
Ad me deflexis Rutha Superciliis;
Dicere sic visa est (Ità credere, Viva coëgit
Stromatis, ad dociles mota, Figura, Sonos)
Quas Tibi, Quas (inquit) cumulas sub pectore Curas?
Quódve Gigantæum nunc meditaris opus?
Scripta (nec ignoro) Tragicis vix æqua Cothurnis
(Ac certè Vires ebibitura Tuas)
Imbelli spiras Animo: Condísque RUINAS,
Præcoce Sandapilà præ quibus Ipse rues.
Desine Summa sequi, Spes Altas deseret Ætas:
Tot Vigiles Noctes, sopiet Una Dies.
Tunc Tibi quàm longè Moles, ac Pompa, jacebunt?
Quàm cupies, Humiles semper Amâsse Casas?
Tunc dices; DUM Veris Opes, & Gaudia lusi:
Sol mihi tunc certè non Inimicus erat!
Quæque dedi populo VERNI Miracula Mundi,
Illa meis Florem restituêre Comis.
Ergò, Redi, Vates, Ad Agros! Ad Carmina Rurijs!
DELICIAS, Etiam FALX metit, atque Calor.
Si Canis Æstivas extendet Sirius Horas;
Sub Platano, Versûs has breviabit Amor.
GAUDIA si potuit Teneri dare Gratia Veris;
COMMODA saltem Æstas, certáque Lucra, dabit.
Quamvis Dura, tamen multis sunt Dulcia, Rura:
Quotque Aperit Spicas, tot Bona Cœlat, ager.
Si dubitas; Mea Regna Vide! Jesseïa sum Dux:
Quæ Vaga, quæ Pauper nuper, & Exul, eram;

Inter

Inter Davidicas hodie sum Tertia Matres;
Estque Mei, Regum Linea Longa, sinûs.
Hoc Decus, has Gazas, quas posthuma contulit in me
Purpura; post Numen, Rus, & Arista, dedit.
Quod Mihi Rus, quod Arista dedit; decerpe Poëta!
Tu quoque de nostra Vivere Messe potes.
Ergò VENI, Dilecte, Veni! Properemus! In Album
Exspatiemur Agrum! Messibus Albet ager.
Sunt Mihi, sunt, isto sub colle, nitentia Farra;
Sunt in Bethlemiis Tritica flava jugis:
Multáque Niliacis undantia Jugera Culmis,
In non plebejas Hordea nata dapes.
Quòd si fortè fugis rabidos Orientis hiatus
Ætheris; ac tuus hic Tecta Capillus amat;
(Quamquã, SOLE Viri gaudent, non, mollibus Umbris,)
Imus in Umbrosos, Sole furente, Lares!
Est mihi namque Domus, Libanæis ardua Cedris;
Est quoque montano, rustica Villa, situ.
Hujus ab aërio Tectorum culmine, Vates,
Despicies Campos; suspiciésque Nemus.

IV.

Eadem RUTHA, *Scribendorum, de Æstate, Materiam, argumentúmq;, dictat.*

Frondosum Tibi Sensa Nemus dictabit, & Auras;
Quas Zephyro jures blandiùs ire Tuo.
At Campi, dociles Oculos in Carmina ducent:
Materiæ nusquam tanta Theatra patent.
Illic tota Tibi se pandet, & ingeret, Æstas;
Plena (licèt, Sicco sidere) Vena fluet.
Occurrent, scribíque Volent, quæcunque Metuntur;
Et, quæ nec Falcem, nec timuêre Manum.
Lilia, Far, & Ovis, Fons, Flumina, Sectile Fœnum,
Cancer, Virgo, Leo, Pavo, Cicada, Canis:
Et, Quodcunque Sacrum, Calor ussérit, atq; Profanum;
Omnibus his fiet Falx sua, Penna Tua.

Area Latâ tuis, & ſurgit Adorea, Muſis.
Hoc opus, in Solem provocat, ipſe Calor.
Nec, Levis eſſe, time. Res eſt Maturrima, Meſſis;
Jnque Joco Gravitas. Jn Gravitate Jocus.
Cætera (ſi ducent Annos tibi Sidera) texes:
Qui bene Differtur, Non Perit ille Labor!

V.

Quid, auditis Ruthæ *monitis, Animi conſiliiq; conceperit.*

Dixit.& Obticuit. Compeſcuit Aura Loquentem,
Ventivolo frangens Serica Texta Sinu.
Noricus, Auſoniis allapſus ab Alpibus Auſter,
Alloquium in graciles diſpulit omne Notos.
Nec tamen & noſtram tenuavit in Aëra mentem,
Jnduerat Calamo quam modò Nympha meo.
Mens ſedet; ac (ſic Fata Velint annoſa!) ſedebit,
Æſtivi poſthac Sideris Acta dare.
Delicias, quæ Veris erant, nunc proroget Æſtas:
Nec neget Auctumnus, nec tegat acris Hyems.
Hæc Tria, poſt Primum, cantentur Tempora, Tempus;
Sic Placet, Ad Metam Quattuor ire Rotis!
Tantiſper, Mens priſca, Vale! Tu, Mater Adelphi,
Túque Novercales, Africa, docta Dolos!
Vos quoque, ferte moram, Styx atra, Trucéſque Ruinæ;
Non éadem Semper Vatibus Aura fluit.
Sidere pro Vario, verſus, & Carbaſa, vertunt;
Oderúntque Hodie, quod Libuiſſet Heri.
Ne tamen hæc damnes, Intempeſtiváque dicas;
Ver, Æſtum, Auctumnum Condimus, atque Gelu.
Naſcimur horũ aliquo, Morimúrque, & Vivimus, Aſtrô;
Semper in Hôc, aut Hôc, Volvitur Axe Dies.
Seu Tibi Ver igitur, ſeu Spicea Gaudia, Cantem:
Seu Pomona Librum, ſeu tibi Bruma, dabit;
Non Aliena Canam, Lector: Noſtráſque Camœnas,
Eſſe Mei dices Temporis; eſſe, Tui.

DILU-

DILUCULUM ÆSTIVUM.

Benè Consurgit Diluculo, qui quærit Bona.

Proverbiorum XI. Versu XXVII.

ELE-

ELEGIA III.

Æstivi DILUCULI *Praeconia. scripta nomine* HULDERICI *Donatiani, de Castello, Viri Doctissimi, Augustani.*

I.

Auroræ per Iunium surgentis, Descriptio.

NOx cadit, Horarum stadiis vix quinque peractis;
Et, necdum lassos, Cynthia solvit Equos.
Invitis fugiunt densæ Bubonibus Umbræ:
Dum creperâ certat surgere lite DIES.
Omnibus extinctis, superest modò Lucifer, astris;
Qui scintillanti vix statione manet.
Hunc neque sic urget, neque sic AVRORA moratur;
Ut, nisi Phosphoria nolit adesse fugâ.
Phosphorus immò simul rutilet! Duplicabitur Eòs;
Hostis & insolitum sumet ab Hoste jubar.
DUM loquor; auxerunt resoluta crepuscula Lucem;
Jam propiore venit ROSCIDA Diva fide;
Jam quoq; Tota venit. Viden', ut Nabathæa Tonantis
Regia, purpureo cardine tincta flagret?
Extremíque fluant, latè rubra, Cingula mundi:
Ac pudibunda, Crocô fimbria mista, natet?
A Tigridis ripis, Arabas trans atque Sabæos,
Usque ad Troglodytas, Æthiopúmque freta,
Versicolore volant pellucida Nubila limbo.
CUJ placet, hâc debet Veste placere, Polus.

ADDE

ADDE, quòd est Oculis Nymphe Pallantia blandis;
Et, quàm Sol plenis surgat in Orbe rotis,
Mille priùs, tremulo sub fulgure, Palpebra ludit
Nictibus; ac nutu jurat, Adesse Diem.
Huc adès ergò DIES! quamvis tenuissima, quamvis
Et Nascens, & adhuc à Genitrice rubens:
Qualiscunque tamen, titulô quocunque citata;
Grata venis, quoties sic Comitata venis.
Nam, tecum redeunt melioris Sideris Horæ,
Quidquid & æstivam Pallada manè juvat.
Non tuus hybernis differtur Noctibus ortus;
Ut, modò Nata, statim, Lux Moritura, Cadat.
Nec Tibi, quæ VERNO tardant excedere Cœlo,
Sobria succîdunt Tempora Vergiliæ:
Sed, citò Luce fluis; gaudésque extendere fulgur,
Ac, Jubaris longâ VIRGINITATE frui.

II.

Quæ Commoda Precum, Studiorum, Scriptionis, Lectionisq;, ad Meridiem usq;, afferat Tempus Matutinum Æstatis.

SIC, Maris Eoi lento dum gurgite surgis,
Phœbæásque jubes cautiùs ire ROTAS;
Plurimus interea LUCRI mihi nascitur Ordo:
MATUTINUS habet Commoda mira Labor.
Tunc est perspicuæ Vivax præsentia mentis:
Tunc Animo Verum clariùs omne micat.
Tunc gracili rorat sensu Mens Integra: Tunc est
In Succo Pietas, in Pietate DEUS;
Concipiúntque Precem, vigiles ad Sidera, Curæ.
SI QVANDO est, Manè est dulcis, ad ASTRA, Via
Mox, Meditans Dispono DIEM, qui duret in Ævum:
NAM; Quid Agit, qui nil Præmeditatus agit?

His

His Animi nervis, jaculum succedit Amoris;
Quo suspiratum Mens petit icta DEUM.
CLEPSYDRA tantisper, Semel Interlapsa, novatur;
Et, quas stillavit, Versa resorbet Aquas.
Altera sic Libris, sic Tertia, defluit Hora:
Cum Quarta Calamum Quinta, stylumque, trahit.
Sexta, Tuis teritur Fastis. Mirande BARONI:
Cuj Similem. quænam posthuma SORA dabit?
Ad Sacra, thuricremosque focos me SEPTIMA sistit.
Quod superest, Nimium jam prope Solis habet.
Ergò, Nemus teritur, quod frondea semper opacat
Exhedra; dum medius ruperit Arva Calor.
Hîc mihi sunt Ingens, Divina Volumina, Campus:
Hîc sunt Fatidici, Florida prata, Libri.
Quos foris effugi, tunc intus ab æstibus uror;
Præcipuè, PAULLI cùm mihi sumpta TUBA est.
Interea medium Titan coquit Igneus Axem:
TUNC conclamatum est de meliore DIE.
PRANDIA subtilem spissant, & Sidera Venam:
Noxius obtundit languida membra Sopor.
Vix aliquid reliquum. Pinguis nisi Pallas, habebit;
Distabitque parùm Culta Minerva, Sue.
QVARE, cùm tantô nobis DILUCULA surgant
LONGA bonô; Mater Memnoni, Vota cape!
Æstivæ Votum AURORÆ tibi nuncupo, CARMEN;
Addo Preces; SEMPER sic mihi, Manè, mane!

ELEGIA IV.

Argumentum.

Verè ſtudioſos, ſive Pietatis, ſive Litterarum, Summo Diluculo, Sponſæ potiſſimùm illis vocibus, excitari conſuêſſe, Canticorum 7. v. 12.

Manè ſurgamus ad Vineas! Videamus, ſi floruit VINEA: ſi flores fructus parturiunt; ſi floruerunt Mala Punica!

Et illis Divinæ Sapientiæ Verbis Prov. 8. v. 17.

Qui Manè Vigilant ad me, Invenient me.

LECTORI.

Declarando Carminis hujus argumento; tibi, haud dubiè Endymionum oſori, Par electiſſimum Iuvenum, Summo DILUCULO *Vigilantium, è multis affero: quibus, videas, Plus* DELICIARUM *in libris fuiſſe, quàm mollibus Culcitris: quiq; Muſarum aviditate*

tate abrepti, Labores litterarum Matutinos in Noctibus suspirârint: & DILUCULUM, si quando non Invenissent, F E C E R I N T; præmaturâ studiorum tractatione, mirificóque Evigilandi strategemate.

Eorum prior est, ex avo Veteri, Sanctus DOROTHEUS; *cujus in Asceticis magna laus: in Decimo verò Asceticorum Sermonum, hæc de se ipso Vera, sed, è modesta mente profecta, Assertio est.*

Cùm ad litterarum *(inquit)* Ludum pergebam, egressus jam ex Infantia; à principio admodũ Laborabam. Ubi verò cœpi Librum assumere, & Lectiones audire: ità sanè eram Pavidus, & formidabam; ut, qui agrestem contingere feram attentat. AT, postquam me ipsum cogere cœpi, & Perseverans, vim Inertiæ meæ inferre decrevi: affuit bonitas, & clementia Divina; quæ me plurimùm adjuvit. Atque hoc pacto paulatim, DEO opem ferente, ad Habitum disciplinæ pervéni: Tantúsque erat Ardor, & studium Lectionum; ut persæpe, Quid Edissem, aut, quid Bibissem? vel, Quomodo

Dormissem, penitùs ignorarem. Neq; quiſquam Amicorum meorum unquam ad Prandium me allicere valuit. Neque profectò unquam, Lectionis tempore, Amicorum colloquia & Confabulationes, audivi; comis licèt eſſem, & nimiùm affabilis, ſociorúmque non vulgaris amicus. *. Habebam autem fidum Amicum, qui mihi pararet cibos. Accipiebam igitur, quidquid ab eo præparatum inveniſſem, habens juxta me Librum ſemper; ad quem Oculos frequenter inflectebam. Similiter cùm Cubarem; Librum juxta me habebam: &, cùm paululùm rapiebar à Somno, actutùm proſiliebam ad Lectionem. Rurſus, ad Veſperam, cùm è Ludo diſcederem; Accendebam Lucernam, & ad mediam Noctem uſque, Legebam. Denique ità virtutibus, & ſtudio Litterario eram affectus; ut nullius Rei Voluptas, niſi Legendi, me teneret.

Habes, Lector mi, Dorotheum; *&, ut plus credas; Suiſmet verbis teſtantem.*

Alter Antonius *fuit* Possevinus *majorum noſtrorum memoriâ; de quo, Franciſcus*

ciſcus Sacchinus in LAINIO *ſuo, Lib.3. n. 38. in hæc,& totidem verba,ſcribit.*

Mantuanus is Civis erat, ſex & viginti annorum Iuvenis; cuj à prima ætate, tantus ſciendi ardor inhæſerat: ut, cùm adQuietē ſe noctu componeret, TIBIAM ad columellam alligaret: &, ubi primùm ſe ab ſopore primo commoviſſet, eo, velut MONITORE, excitatus, ad STUDIA SURGERET. Ex qua Puerili ſolertia, utilis (quam ad ultimum uſque tenuit) Conſuetudo coorta eſt; ut, interruptâ Noctu Quiete, Horas aliquot, magno per ſilentium illud profectu, Curis graviſſimis daret. Ergò, additâ Naturæ, ingeniíque præſtantiæ diligenti Culturâ, Græcè perdoctus, idémque Humanitatis, Philoſophiæ, aliarúmque Doctrinarum bene peritus; Innocentiâ quoque morum modeſtiáque ſpectatus, ac ſuaviloquentiâ (quæ grata oris decorabat Majeſtas) Notis omnibus carus, & apud Virorum Principum multos, à quibus certatim expetebatur, Gratioſus erat. *.

Habes, Lector, ex hoc Pari, Diluculi Amatorum

torum, etiam POSSEVINUM. *In quibus vides; Tam ambitiosè præmaturéq́ Sapientiam Inquirentes, non mirum esse, Reperisse.*

HORUM Tu nunc alterutrum; aut, si placet, utrumque simul, Biblicis invitari vocibus ad Vigilandum puta: & Expergefactos, suo, & Uno loqui Ore, fingito. atque idcirco hanc, si vis, Elegiam, DOROTHEO-POSSEVINUM appella.

I.

Inviti soporis, facilis est Discussio.

NON mihi surgendi, raucis Occentibus, auctor
Barbarus est, thalami Janitor ante fores;
Nec Cristata scabris instat clangoribus Ales,
Increpitans lentos præcoce voce thoros:
Nec me, quà Cœlum tangit Prætoria Turris,
Martia, conducto suscitat ære, Tuba:
Nec prædisposito pellentes Cymbala lapsu,
Artifices Rotulæ surgere manè jubent.
Non ego Threjcias imitor, pede pervigil uno,
Et lapidem stringens pro Monitore, Grues:
Non Globus in Dextra; non est Pharisaica pelvis
Infrà; quæ lapsâ somnia mole fugent.
Harum nulla mihi frangit sollertia Noctem.
INVITUS minimâ rumpitur arte sopor.
Quantò ego malueram furari lumina Musis?
Nocturnámque, Die continuare, facem?
Testis adhuc, temerè trans Cervicalia jactus
(Prôh facinus!) Codex, Rex Solymæe, Tuus.

Can-

Cantica volvebam Salomonia; Dictáque, quamvis
Publica, sed, Summô non nisi digna Sopho.
Occidit in mediis conatibus invida Lampas,
Seu fuit hæc Venti, seu fuit ira Stygis.
Ergò, Vacaturos frustra, sibi Somnus Ocellos
Subdidit; & Noctis, sub juga misit, ope.
Sed nempe, EXCUBIAE possunt à Consule cogi:
UT DORMIRE VELIS, Cogere nemo potest.

II.

A Divina Sapientia Studiosus Iuvenis excitatur.

Ipsa Reluctanti dicunt Insomnia Menti;
SVRGE! Vocat Cœptum, nec tibi DORMIT, opus!
Sic mihi, sepositi semper clamabat Imago
Codicis; O, Quid agis? Pagina Sancta Vacat!
Quin, etiam Superûm vidi descendere Pubem;
Ac densô, Thalami cingere septa, chorô:
In quibus, & superûm, & studii, SAPIENTIA Præses,
Hæc Salomoniacîs est mihi fata modis;
Surgamus! Jam Manè cavo prorumpit Olympo;
Molitúrque novum Nox fugitiva Diem:
Astra cadunt, aperítque Fores Aurora Tonantis;
Et retegit clausas, umbra repulsa, Vias.
Semita nulla latet: Nihil, Egredientibus, obstat;
Fallit & implicito nulla Salebra dolô.
Est in conspectu Solymæi Vinea Ruris;
Vinea, lactentes Palmitis orsa Botros.
Nunc, an & Æstivos è Palmite trudere Flores,
Incipiátque suum Flos redolere merum;
Est operæ pretium præsagâ discere Nare:
Ne Cypros his certet, ne Mitylena jugis.
His attexta, viret Peregrinæ Sylvula frondis;
Hinc patrios halant Punica Mala Notos.
Hîc Tibi (Castalii ne te trahat arida Fontis
Fabula, & Aoniæ noxia Febris Aquæ)

Hume-

Humectabo Sitim melioris flumine Roris:
Unum si nihil est, Ubera Bina dabo.
Ex his, quod sapido tinget tua Nectare labra,
Entheus Ambrosio succus Amore fluet:
Déque meo fiet cœlestis Apographa Lacte:
Aut Nihil, aut ex me Dulcia Sola leges.
Hæc ait. ET Comitum populo stipata, recedit:
Prendere conantis fugit, ut Umbra, manum;
Et mihi ploranti (Mane, ô! mane, Aurea!) dixit;
Si Vigilare voles, & Reperire potes!
Vox ea, me Somno, me solvit Imagine Somni.
Interea Sapiens fugit in Alta Dea:
Quamq; dedit Nox, Lux rapuit. DIXISSE putâsses;
Si Dormire voles, Me reperire potes.

ELEGIA V.

Itineris per Sylvam, Æstivo DILUCULO, *Amœnitas.*

Argumentum.

Se Babenhusâ Suevicâ, AUGUSTAM *Vindelicorum proficiscentem, comitibus Neomystâ, & fratre ejus Adâ* ἑτεροφθάλμῳ; *per Crumbacium, salubribus aquis celebratum Castellum, pérq; saltum Vrspergensem, iter habuisse: Neomystâ Preces suas Horarias exsolvente, cum germano ejus Varia de sylvicolis Avibus, cæterisq; occursantibus, colloquia miscuisse.*

I.

Viæ Ingressus, comitatus, facilitas, difficultásq; : & Preces.

Cùm mihi Rhetæas iter imposuisset ad Arces,
Votum, & Vindelici fama superba fori,
Castra relinquebam, Fabiano funere nota;
Nota magis patriô sed mihi Castra solô.
Solis ad æstivi jubar egrediebar Eoum;
Frondosam patrio Cive precante Viam.
Ac certè frondosa fuit. Nam, Quercea quartum
Post Lapidem, totum Sylva tegebat iter.
Ibamus; Mecúmque Loquax comes, alter, & alter;
(SOLUS in Elysio vix Nemore, ire velim!)
Ad latus ergo meum, sed Dextrum, Mysta, recenter
Templorum obsequiis, augurióque Sacer:
Corpore non tantùm, quantum cognomine Magnus;
Et facilìs Calami summus in arte faber.
Post nos, fraterno sociatus sanguine Màgno,
Ductor; at extremi per nemus omne pedis,
Luscus Adas (hoc nomen erat) quem, Lumen ut unum,
Sic visum est unum destituisse Genu.
Semineci lævam molitus poplite plantam,
Ibat anhelanti, per salebrosa, gradu.
Huic, superinjectis clitellis, instar Aselli,
Sarcina trans humeros adduplicabat onus.
O malè! Quid peccat Vacuus sine fasce, Viator?
Aut cui non Pondus sat grave, Longa via est?
Cursori, cum pelle sua, sua Pallia sat sunt;
Et duo, qui versent omnia tesqua, Pedes!
Cætera, sunt oneri. Loculùs, fit præda Latroni;
Et Gladius, gladium si geris, Ansa necis.
Jámque per acclivem sylvestris semita Collem,
Duxerat ad calidi devia Fontis aquas;
Parvula quà Curvas, ripis & nomine, Lymphas
Unda, Salutiferi Balnea roris agit;

Desu-

Desuper, ingenti Quernum Nemus incubat umbrâ,
Quod longô excurrit Millia Quina situ.
Hoc Nemus (à tergo Bajis, ac Valle, relictis)
Ingredimur; Mystâ concipiente Preces.
LAUDIBUS exactis, JAM Lucis, dixerat, Orto
Sidere (quæ Primos inchoat Oda Dies)
TERTIA mox recolit Solymæi Carmina Regis;
LEGEM pone mihi, supplice voce vovet.
Ad Sextam; DEFECIT, ait. nec Deficit ipse:
Donec NONA Sacros finiat Hora modos.
Sic Noster (Quid enim decurrere singula certâ
Gesta fide prohibet?) Mysta trahebat Iter.

II.

Mutui cum ADA *Colloquii, materies Varia: de Arboribus comprimis, & Aviculis.*

Ast Ego, quíque meis sensim ibat Passibus æquus,
Luscus Adas, Vario fallimus ore viam.
Materiem Alternus, per plana, per aspera, trames;
Materiem sylvæ Frónsque, Virórque dabant;
Sublustríque nitens mendacis imagine Solis
Lucus, & ancipiti Lumine triste jubar.
Sermo fuit Fagus, sermo fuit horrida Quercus:
Fabula, recta Abies; fabula, dura Larix.
Et Coryli fructus, lacténsque infantia glandis:
Corna, Frutex, Cerasi, Subera, Sorba, Pyri.
Mox Lepus auritus, surgénsque in Cornua Cervus:
Mox, niger, ac sævi Dentis & oris, Aper.
Si Serpens rasisset iter, cava sibila tollens;
Si Crocodilæis sparsa Lacerta notis.
Si Fons incideret, spumantibus uvidus undîs;
Aut, querulâ Rivus mobilitate loquax.

Facundos fecit, clamosus ab arbore Picus;
Facundos, quernâ in fronde, Sciurus edax.
Quòd si fortè, cavâ desertus in Arbore Pullus,
Indocili Matris, voce, cieret opem:
Si cristata suam Fringilla refringeret Echô;
Cecropiis fleret si Philomela Lyrìs:
Ludicra si stolidi risisset Fistula mimi,
Quem vibrat in raucas Sturnus amarus aves;
Aut, si Troglodytes perrumperet invia Passer:
Aut agili Parus duceret orbe choros.
Denique, sive feri SCOLOPAX mucronibus oris
Terrificus, putridos tunderet arte cibos:
Seu bene fragrantes oculato carperet astu
Juniperos Turdus, spinea puncta cavens;
Cuncta loquebamur. RESTABANT Plura loquenda;
Sermonémque dedit mox Nova caussa Novum.

III.

URSPERGÆ, *Præmonstratensium Cœnobii florentissimi, Vicino aspectu invitatus* ADAS, *Historicæ sequentis Elegiæ Narrationi, sensim viam adornat.*

Nam. Sylvæ ad metas, sacris Ursperga vetusta
Ardua culminibus, Turrigerísque minîs:
Sed magè tum surgens Veterum splendore Virorum,
Et splendore Virûm, quos tulit Æra Nova;
Visa procùl Dextrô, sed Devia, limite, miram
Pro Diverticulo præbuit Historiem.
Hanc balbus referebat Adas: sed, Colle quieto,
Fronde sub iligna, lenè tremente Noto;
Respirate! (inquit) NULLI mora parvula Fesso
Obfuit; & STIMULAT Sessio parca pedes.

Dixit,

Dixit, & assedit. Dicenti, assedimus unà :
Quid ni? VULT Animos par Via namque pares.
Tunc; Avis hæc (inquit) quæ nunc super ilice gaudet
Cantibus (Et casù picta canebat Avis)
Ac Domus illa, Sacris procùl hinc insessa Virorum
Cœtibus (Et stabat non prope Sacra Domus)
Ex Primi refricant aliquid Cultoribus ævi,
Cùm rude Relligio ferret in Astra Caput.
Vos Audite meam, sed Apolline simplice, Musam;
In triviis olim quam didicisse juvat.
Auctor in Incerto, Res Certa, est. Credite tantùm!
QUÆ non est, Fiet Credulitate, Fides.

ELEGIA VI.

Hiſtorica.



RELIGIOSO *cujdam dubitatio inciderat, circa Verba Pſalmi 89.* MILLE ANNI ANTE OCULOS TUOS, TANQUAM DIES HESTERNA, QVÆ PRÆTERIIT. DE *horum Veritate perplexum*, AVICULÆ, *Cœlo demiſſæ*, CANTUS *expedivit, per* TRIA SÆCULA *Suaviſſimè modulantis; nec tamen, niſi Vnicô ſolo* DILUCULO, *Cantillare Viſa. Rem geſtam fuſiùs perſcriptam habes, apud Ioan-*

Ioannem Majorem, Tomo Exemplorum Altero, Distinctione IX. Nos Nomina, quæ non Invénimus; concessâ Parnasso libertate, Confinximus.

I.

Cœnobii, in Desertis Ignotísque Locis, per Hannonem Præsulem, Constructio.

Quà Zephyri pugnant Euris, Aquilonibus Austri,
 Alternásque agitant Cynthia, sólque vices:
Sub Dubio quamvis, Aliquo tamen Ætheris axe;
 Quà Regio titulis, nec tamen Orbe, caret;
Telluris mediô, medii sub Climate cœli,
 Quà rorant Noctes, hora Diurna calet:
In Regnis, neque Rege suo, neque Consule, notis;
 Sed rerum gestis, Historiæque fide;
Densa tenebroso surgebat Sylva recessu:
 Fecerat immensum copia Querna Nemus.
Nec tamen hinc aberant Stirpes, à fronde minores;
 Esculus, ac Fagi, Succina quáque fluunt.
Non apicata comis Abies, non flaccida Virgis
 Betula: non Coryli, Juniperíque frutex.
Denique diverso Quercetum stipite mixtum;
 Sic tamen, ut potior Glandibus esset honor.
Ecce tibi! vasti prima ad confinia saltûs,
 Excolit humanus senta vepreta labor:
Quóque loco fuerant trucium modò regna ferarum;
 Hôc, superûm figit Templa larémque, Faber.
Additur his, modicis sacrum Penetrale columnis,
 Pensilibúsque supèr Cellula crebra thoris.

Hoc Domuum Commune genus (quòd Vivere plures,
Unanimi junctos Relligione, juvet)
Dorica Cœnobion facundia nominat (UNI
Degere cuj Genius dictat, Eremon habet)
Primus in hanc, (idem Constructor, & Incola) sedem,
Exhaustis fabricâ censibus, Hanno venit:
Hunc supèr, ex aliis alii. Conventus, & ordo,
Surgit: & est Præsul, qui Faber antè fuit.

II.

Religiosorum, sub HANNONE *Præside, Nomina, atq; Functiones.*

Cætera turba Subest, Hannonis ab ore magistro
Pendula; conspicui munere quisque suo.
Nomina (nam Clariis stant nunc quoq; Nomina Fastis)
Ex merito cujvis Functio, résque, dedit.
Proximus à Primo, frontem titulúmque Severi
Prætulit. Hujc suppar, Vindicianus erat.
Liberius Vini-Condus, Penoríque Benignus:
Dulcitio fuerat parcæ Culinæ labor
Curabat sacram Custos Vigilantius ædem;
(Lustrica Vitalem quem tamen Unda tulit:
Hunc, superimposito Vigilanti nomine, Nomen
Cum veteri piguit ponere Veste, Vetus:
Præsidis assensu dici perrexit Utrumque;
Et, quod mox docuit Casus, Utrumque fuit.)
Quid memorē reliquos? Placidū, Mariúmque, Linúmq;,
Pammachiúmque Annis, Nestora Crine gravem?
Perdius his Labor, ac pernox, Ad sidera Vocem
Tollere, & alternis Astra ferire Choris.
GRATA DEO Pietas, Concordi è pectore, Concors
Musica! Sic Junctos, imbibit ille Sonos.

III.

Laudum Feriæ Quintæ Psalmo Altero offensus Religiosorum unus, nomine VITALIS *Vigilantius, Templi Custos: Cæteris digressis, de Sententiæ Veritate Annisque* MILLE ANTE OCULOS DEI, *secum ipse tricatur.*

Mensibus exactis, inter sacra Cármina, Vernis;
  Cœperat Æstivas Sol agitare rotas:
Lentáque retrogradus meditari incendia Cancer;
  Chelarúmque pigras Junius ire vias.
Inciderat Lux Quinta, Jovis signata Planetâ;
  Ac tum Festivo Cœlite tota Vacans.
More, Viris, tacitâ conclusis sede, receptô,
  Nocturnas obeunt in statione Preces.
Partitis steterant Vicibus. Chorus alter, & alter:
  Ibat Amœbæis Psalmus ad Astra Tonis.
Jam Noctis medium Phœbe peragraverat axem;
  Auroræ croceus nec procùl Ortus erat:
Matutina Sacræ claudebant Cantica Laudes:
  In Laudes, vocum Buccina tota fluit.
Ventum erat ad Carmen, de Psalmis quinque, Secundũ:
  Clamabant plena gutturis Arte Patres;
MILLE Anni Tibi, Numen, erunt, velut Hesperus unus,
  Occiduis quem Nox proxima messit aquis:
Omnia tam celeri tibi Sæcula turbine currunt;
  Vix sit ut Instantis, Præteritique, nota.
Audiit hanc, animi rudior, Vigilantius Oden;
  Auditáque hæsit. Vox stetit, atque Comæ.
Quod superest, Reliqui peragunt: superûmque salutant
  Deñique Reginam (Clausa quod Hora monet.)

Postmodo digressi, solitum sibi quisque Cubile,
Abruptíque petit dulce soporis iter.
Ille, nec in Cantu porrò, nec in ordine Cantûs;
Non in sede suâ, non statione, manet:
Sed, mente abreptus, per Millia mille vagatur
Annorum, atque Unum, sæcula multa, Diem.
Hoc agit, hoc volvit: solidéque Evolvere nisus,
Cùm labor enervi frangeret arte caput;
Ora rubet, sudore fluit, glabra tempora vexat
Unguibus; ut Tricas temporis inveniat.
Denique miser digitos, & rodit viscera curis,
Davidici quæ sit mens genuina metri?
Succumbit tandem: Verúmque, quod ambiit, audax
Ambigit; & Criticâ denique figit acu.
Clamat, Hyperbolicum! &, dignum censore Obelisco!
Sacrilegóque notat marginis extra verû.
Sic, simul & versum damnans, versúsque laborem:
Irritus; Ex æquo (dixit) uterque, Vale! (odâ est,
Quin potiùs, quod utrimque patet, quod Apertius
Claudamus Templum; quò mea cura vocat.
Hoc ait; ac patuli petit ultima limina Fani:
Jámque parat geminas consociare fores.
Hoc ipsum, quasi non Ageret, cunctator agebat:
Seu Meditabundâ, seu Dubitante manu.
Prisca redibat enim; deciésque fugata, redibat
Quæstio bis decies. Jam, Dubitâsse, dolet:
Jam, Damnâsse, pudet: Non posse resolvere, Torquet.
Fluctuat in vario mens agitata freto.
Nec minùs, occludi querulo quæ cardine cœpta est,
Janua dilatis hæret hiulca seris.
Pendet opus, pendent inopertæ Tegmina Portæ,
In latus obliquo semadaperta situ.

IV. Au-

IV.

Auditam, è vicinia, Cœlestem AVICULAM VIGILANTIUS *Vitalis per omne Nemus insequitur.*

Dum ſtat, dum dubitat; nova res, nova cauſſa, laceſſens,
 Implicitos ſenſus in nova teſqua trahit.
Ecce! ſub umbroſa, Templo quæ proxima, Quercu,
 (Plurima nam Templo proxima Quercus erat)
Garrit inexperto Volucris peregrina ſuſurro:
 Et mox in plenum Guttura ſolvit epos.
Non illi modulis Fringilla, nec auſit Acanthis;
 Nec certare agili Spinulus ore, velit.
Nec, quos Heſperidum Felix alit Inſula cantus;
 Nec, quos in Caveas Attica ſylva parit,
(Sive Canariadum titulos è Carmine ducant;
 Seu Philomelarum) par queat eſſe ſonus.
Quid multis? Audire, ſat eſt. Divinà canentem,
 Cantricem Superam, nominet ipſe DEUS!
Audit: & auditâ Vitalis ab Alite pendet:
 Jam nihil hunc Pſalmus, nil vetus Oda gravat.
Subſilit: ac rapidis demum ſacra limina plantis
 Tranſilit. Alatum Dædala fecit Avis:
Fecit & immemorem vitæque, & legis avitæ;
 Quæ, ſacris Clauſum, claudere ſacra jubet.
Transfugium facit Ecſtaticum. ſequitúrque Volucrem;
 Quà Fas quáque Nefas, dátque vetátque, ſequi.
Quid facis, emotæ Vir mentis? & Extera quæris?
 Transfugium Ecſtaticum, fiet Apoſtaticum.
Siſte fugam! reprende pedem! Penetralia claude:
 Cuſtos, non Curſor, cógeris eſſe Domùs.
HÆC ego; ſed fruſtrà! Nec ſurdo Fabula dicta eſt,
 Sed, nimis aurito. Metra Canentis amat.

Jurgia faſtidit revocantis: & incitat ultro
In Curſum, tardos, increpitátque, pedes.
Quin etiam, ſtudiô properandi, Fama recenſet;
(Altera de Crepidis dum reſoluta labat)
Excuſſiſſe procùl malè fidam: Unaque retentâ,
Quod reliquum fuerat, perpetuâſſe fugæ.

V.

Aviculæ, VITALEM *longiùs ſenſim longiúſque abſtrahentis*, *Aſpectus & Cantus.*

Phoſphorus è Cœlo ſenſim ſua Caſtra movebat,
Pingebatque novum lampas Eoa Diem:
Lux anceps, per opaca nitens, Titane retusô,
Nec tamen infidô cuncta Videnda dabat.
Aſpicit, Aurorâ Volucrem monſtrante Canoram;
Quæ poterat, vel non Viſa, placere Viro:
Nunc plus, Viſa, placet. Cœleſtibus Aurea pennis,
Pectora mirificâ ſparſerat ampla comâ.
Qualis in Aſſyriis, redolent ubi Cinnama, nidis,
Puniceo quamvis tergore, Solis Avis;
Verſicolore tamen diſpungit cætera Plumâ;
Una ſit ut Volucris, nec tamen unus Honos.
Aut, qualis bibulæ Thaumantia filia Nubis,
Quæ de ſuſpenſis naſcitur Iris aquis;
Candor in hac Oſtro, Viror Auro, Cærula ſucco
Miſcentur Croceô; dignáque Forma Jove eſt.
Talis VITALI viſa eſt, ſata Sidere, Siren.
Illa manet nullo Tota Videnda loco;
Pellaci ſed fraude, Fugit: Suſpendere docta
Admiratorem, non Satiare, ſuum.
Et nunc illa quidem de Quercubus inſilit Ornos:
Ex Ornis ſubitò Fagina tecta petit.

Fagina

Fagina libârat; tentoria Pinea quærit:
Pinea vix tetigit; ſub Coryleta volat.
A Corylis Quercus alias aliáſque laceſſit
Ex aliis, Fagos: & Nemus omne legit;
Nec tamen interea cœpto modulamine Cantrix,
Nec cœpto abſiſtit Vocis amore Pater.
Cantantem ſequitur; Labor eſt: Sequitúrque Volant
Jam, pluſquàm Labor, eſt. Sed tamen, Urget Amo
Quà Modulô præit Illa ſuo, Pater imminet Aure;
Quàm Pennâ Volucris, tam valet Ille Pede.

VI.

Conſiſtunt tandem, AVIS, & VIGILANTIUS; *cuj, ad cantum attento, facilè ſordet Hominum Muſica.*

Sic, nihil exhauſtô, properantem utrumque Labore,
Longiùs, in Saltûs intima, traxit iter.
Hic Vaſti medium Nemoris, tenebroſáque Fauni
Regia (dum Fauni cultus in orbe ſtetit,)
Turrigeræ circùm ſurgunt, ceu mœnia, Quercus:
In medio, regnum Cedrus odora tenet.
Illa quidem Stirps Una, comîs tamen æmula Cœlo;
HINC Sceptrum in Sylvas ardua Cedrus habet.
Hic Finis fuit. Ad Cedrum capit Illa quietem:
Sub Cedro, Standi deligit Ille Locum.
Nec tamen Hæc cœptũ, (vel ſic quoq;) Carmen omitti
Quin potiùs Moduli clariùs urget opus.
Nec cœpto ſemel Auditor moderatur Amori:
Quin potiùs liquidum preſſiùs haurit Epos.
Stat Conſtans, captátque recens, à Carmine, Carmen
Hic habet Aonides, hic habet Aſtra ſua
Ipſe ſibi Libanum hic fingit, Libaníque Volucres;
Quando Palæſtino guttura Vere fluunt.
Hic etiam Syrii refricat ſibi Nablia Regis,
Quando Sionæi pſalleret arce Jugi.

Quattuor hîc audit Solymæi Millia Templi
  Cantorum, placidi par Salomonis opus.
Hîc Chordas, Idithume, tuas, tua Barbita, credit:
  Hîc Juditha, tuas, cæsô Holoferne, lyras.
Grus illi Viadana merus; Prætorius, anser;
  Hymnus AgazarI, Passeris oda foret;
Lappus, & Orlandus, Crocius, Leo, Ciffra, Cecottus,
  Vix aliquâ possint forsitan esse Notâ.
Amphion, Thamyras, Linus, Orpheûs, Phœbus, Arion,
  Quod Fuerant, Essent. Fabula, Vappa, Nihil.
Hæc illi VOX unâ Canit. Vox cætera, tanquam
  Pausa, Tacet. Citharis sidera plena putat.
Et jam Mille ipsi sunt, Unica Musica, Musæ;
  Cuj modò, Mille anni, non fuit una Dies.

VII.

VITALIS *Vigilantii, nusquam reperti; quòd is, Crepidæ relictæ indiciô, profugisse crederetur, è Tabulis Monasticis Nomen eraditur.*

Plenior, hæc inter, Phœbus patefecerat Orbem;
  Prima diurnarum venerat Hora Precum.
Ad sacra nemo vocat, solitis tinnitibus, Antra.
  Ad quæ Nemo ciet vir sacra, Nemo venit.
Templa patent; Custode vacant: Vestigia nusquam!
  Clamatur multo Nomen inane sonô.
Sed neque respondet Nomen, neque Nominis Echo:
  Et, præter Crepidam, nil Abeuntis habent.
Præsulis hanc oculis, Nemorum per cæca vagantis,
  Obtulerat Casus. Caussa, Reúsque latent.
Conveniunt: quærunt: una est sententia Cœtûs,
  Sacrilego profugum dissiluisse dolô.
Raditur è Tabulis igitur. Sic Nomen in Albo,
  Jam neque VITALIS, nec VIGILANTIS, erat.

VIII. Vi-

VIII.

VIGILANTII *imperturbata, per* TRECENTOS *Annos, ad Aviculæ Cantilenam Attentio.*

Ille tamen Vivebat adhuc, sine vulnere Cordis;
 Et Vigilabat adhuc, phasmatis absque metu.
Ille etiam Perstabat adhuc, Staturus in ævum;
 Nec Stanti, longus fit Labor, Hora, Dies.
Súntque Breves (Aurita, breves facit esse, Voluptas)
 Hebdomades, Menses, Annus, Olympiades.
Lustra volant: abeunt Vicennia: Sæcula currunt;
 Stat tamen. Ac Stator Iuppiter, esse queat.
In caput illius Soles, & frigida Lunæ
 Spicula descendunt. Nox ruit, atque Dies:
Inque vicem Rores, Matutinæque Pruinæ,
 Et Nimbi, ac Nubes, Æoliæque minæ.
Nec tamen hunc soles, neque pungunt spicula Lunæ:
 Non cæcant Noctes, non coquit axe Dies.
Non solvunt Rores, non urit Eoa Pruina;
 Non mergunt Imbres, non rapit Aura Noti.
Venerat Auctumnus; foliis viduaverat ornos;
 Huic nulla, ex toto vertice, mota Coma est.
Venerat acris Hyems; Nivibus Nemus omne rigebat:
 Canities isti (nec Nivis) ulla venit.
Supra illum cœlúmque Tonans, Fulgúrque coruscans,
 Cæruleique triceps Fulminis ira, volat;
Nil Audit, nihil ipse Videt, de nube rebelli.
 Prætereière Feræ; nec pepulêre feræ.
Creditus est Marmor, Statuæve immobile Robur.
 Insedit Bubo sæpe, Strigésque, caput:
Dúmque, glabram credunt Calvam, caput Arcadis esse
 Panos, vel Satyri, Fraxineúmque Deum;

In

In Caput hoc Vivum (velut in Simulacra) Voraci
Graſſantur roſtrô. Nec tamen ipſe Dolet.
Cætera quid memorem ? Non Illum Corporis ulla,
Non Animi, in curas, Sollicitudo rapit.
Sæpe Seni dixit Vacuus, cum murmure, Venter;
Tandem carpe Cibos ! Nec capit ille Cibos.
Sæpe, Siti raucum diuturnâ Guttur aduſtum,
Ut biberet, monuit. Nec tamen ille Bibit.
Frigora Sithoniis ſtringebant flatibus artus,
Clamabántque; Cale ! Nec tamen ille Calet.
Æſtus, & Icarii rabies Canis uſſerat artus,
Latrabátque; Rige ! Nec magìs ille Riget.
Planta Pedis ſtupuit, nimiâ Statione ſubeſa,
Admonuítque; Sede ! Nec tamen ille Sedet.
Succiderat, poſt tot Vigiles, cava palpebra, Noctes,
Suggeſsítque; Jace ! Nec tamen ipſe Jacet.
Præteriêre Capræ, Tigrides Urſi, atque Leones;
Præmonuêre; Cave ! Non cavet ille Feras.
Tranſcurrêre Vagi Lemures, nocturnaque Monſtra:
Intonuêre; Time ! Non Timet ille Stygem.
Denique, poſt actos Tot jam Vitaliter Annos;
Poſt Lacheſis bis, ter, Penſa peracta manu:
Venit, Atlantéis MORS Oſſea cruribus aſtans,
Et dixit; Morere ! Spernit at ille, Mori:
Atque ait; Exſpecta, non, quem tua Clepſydra Finem;
Sed Finem, noſtræ quem dabit Hymnus Avis !
Tantiſper Canat Illa mihi ! Vixdum Horula lapſa eſt
Unica: vixdum Ortum Buccina Quarta ſonat:
Vix Matutini fluxerunt tempora Sacri:
Vix alii Templô, vix abiêre Chorô !
Necdum etiam Nox Tota cadit. Micat, ecce, ſuperſtes
Lucifer ! Auroræ fimbria prima nitet.
Dum Pleno hæc peplo rubeat; dum latus Horizon
Pingatur Radiis, & propiore Die:
Interea, mea Mors, ſit fas Audire ! Nec Ipſam
Te pigeat, ſenſus huc adhibere Tuos.
Auſcultemus uterque melos miremur uterque !
SIC ait. Ac Veniam ſimplicitate tulit.

Mors

Mors Abit: Ipſe manet. Retinet dulciſſimus Ales;
Nec vel tantillùm Roſtra canora ſilent:
Donec in annoſis Tricena Decennia Faſtis,
Sæculáque (ô Novitas!) Conſenuére TRIA.

IX.

Evoluto. 300. Annorum curſu, Avicula Conticeſcit: VITALIS *ad Se tardè, ad Cœnobium relictum tardiùs, revertitur.*

Manè erat; ac Punctum revolutum Temporis illud,
Quo quondam in Saltûs venerat antra Pater:
Hem tibi! Manè Tacet, Punctóque in temporis illo,
Motari, Cerni, Pſallere, ceſſat Avis.
(Ad Superos Genius remigrat; ſed Pluma ſub Auras:
Namque ferunt, Genium Vocis obîſſe vices)
Quæ tibi, mire Senex, tunc mens? animíque remorſus?
Quantus, ab hoc, Oculis Auriculíſque dolor?
SIC mœrent, quibus in Thalamo dant largiter Aurum,
Aut Epulum, falſas, Somnia, noctis opes;
Si, ſubitò Jovis à Tonitru, cœlíque ruinâ,
Succutitúrque thorus, diſcutitúrque Sopor:
Vaneſcunt, opulenta quies, mendáxque voluptas;
Et Vacuas luget Spes fugitiva manus.
Ergò Redit (vel tandem) Ad ſe Vigilantius, A ſe
Per tot Digreſſus ſæcula. Quærit Avem.
Hæc, quæſita Latet, longúmque latebit in ævum.
Quid ſupereſt, Veterem quàm repetiſſe Larem?
Sed grandis, Remeare, labor! Via vaſta retrorsùm eſt;
Sylváque vel ſolidò vix peragranda Die.
Adde, quòd annoſo jam dudum ſente Vepreti,
Omnis inhorruerat, vanuerátque, Via:
Quóque loco teneræ quondam repsére Novellæ,
Nunc altâ ſurgunt Robora ſumma comâ;

Quóque loco quondam ſteterant ad ſidera Fagi,
Nunc ſenii effœtâ procubuêre morâ.
Miratur: pergítque tamen; quem pergere non vult,
Quæ natat in Lævo ſegnis aluta pede.
(Nam Crepidâ dexter jam ſæcula terna carebat;
Quod, via nunc demum Clauda notare dabat)
Hanc demit, præfértque manu, ſalebráſque refringit:
Ac vix ad metam, Sole ſequente, venit.

X.

VITALIS VIGILANTIUS *non agnoſcit* COENOBIUM; *propter Veteris ædificii dudum immutatam formam.*

Aurora illuxit. Quantùm hæc, tantùm ille rubebat,
Uno quòd redeat tardior ipſe die;
Unus (ait) Plenúſque dies, cum Nocte, receſſit;
Tantiſper, dum nos Una moratur Avis.
Væ mihi! Væ! Pudor eſt, deſertam ſeriùs Ædem,
Poſt ſolidi demum Solis, adire moram.
HÆC ità deflebat tacitô ſimul ille rubore;
Et ſimul ante oculos Meta laboris erat:
Nec Metam tamen Ille putat, Votúmque laboris;
Nam Veterem abſtulerat Forma Novata locum.
Priſca quidem Sedes, non priſca Figura, manebat;
Et locus eſt Idem; non ità, Nomen Idem!
Cœnobion fuerat; Nunc dicitur eſſe Synaxis:
Exuerant Veterem turba Colona togam;
Induerántque Novam, mutato Schemate, Telam,
Hæc ità, Vitalem Ruſtica turba docet:
Nam circùm, ſteriles quondam, Solóſque Penates;
Nunc Rus, nunc Seges, & Pagus agreſtis, erant:
Prædiáque, & Turres, & amœni floribus Horti,
Adſitáque antiquis tot Nova Tecta focis.
Ergo, quid hîc Senior? Niſi, ſe merſum eſſe Sopore?
Aut certè hanc Somni, crederet, eſſe Domum?

Vidit

Vidit is & Templum: Templum longè amplius illo,
Quod steterat, stabat; Clausáque Porta fuit.
Hoc ipsum doluit, Præventos esse Labores:
Ac; Fuerant (inquit) Muneris ista mei.
Indè, recordatur suspensam è pectore Clavem:
(Extulerat Clavem quippe, secutus Avem)
Expromit; promptásque, Seræ (velut antè) sacratæ
Inserit. Insertum respuit illa tubum.
Janua nunc major (Faber amplificaverat illam)
Majori cæcas vinxerat ære fores.
Jam solitæ Clavis nihil Instrumenta valebant.
Sub Custode Novo, nunc opus Arte Nova est!

XI.

VIGILANTIUS *à Templo, ad Communem Cœnobii portam digressus, nec ab Ianitore admittitur: nec à Præsule, Fratribúsque agnoscitur.*

Irritus ergò viæ, quam per Delubra petebat,
Quærit ab hac alias, in Sacra Tecta, Vias:
Nusquam aditus', & ubique abitus! Restabat, Adire
Per, vulgi plantîs Ostia trita, Domum.
Hûc venit: hic pultat, quæsitáque Nomina prodit;
Et, sua Vitali Claustra patere, rogat.
Sed neque Vitali Claustrum; neque justa roganti,
Cardo; nec instanti pulsibus, Antra patent.
Janitor(ut TETRICUM genus est,quod ad ostia curat!
Asperat hos, toties Clausa,reclusa, Domus)
Sævus, in ignotum verbis bacchatur amaris;
Atque Impostorem nominat,atque Vagum.
Præsulis iste fidem, & notorum nomina Fratrum,
Appellat Lachrymans. Viribus alter agit:
Injectáque manu, perstantem limine pellit;
Hîc Tu nec Sedis jus, neque Nomen habes.

Non tibi ſunt Veſtes, non ſunt in veſte Colores,
Non crepidæ, non Frons, Fratribus æqua meis.
Denique, Deliras! aut Bacchanalia ludis!
Dixerat. At contrà queſtibus alter agit:
Ac Pia, ceu læſus, feriens clamoribus, Aſtra;
Pro me (clamabat) judicet ipſe Tonans!
Judicet & Præſul, Fratrúmque coæva Corona!
Audiit has Voces, intremuítque, Domus.
Nec mora! Præſul adeſt, Fratrúmque citata Corona;
Lamenti cauſſas, Quid petat? Unde? rogant;
Præſes, (ait) veniat! Veniant, ex ordine, Fratres!
Hanno mihi judex; hic mihi jura dabit.
Adſint & Socii (Sociósque recenſet ad unum)
Quorum, inquit, toto de grege nullus adeſt:
Non hîc Pammachium video, non Neſtora Canum,
Non Placidum cerno, non Marium, atque Linum:
Dulcitius cum Liberio, latet, atque Benigno:
Vindicianus adhuc, atque Severus, abeſt.
Denique; Ludor! ait. Cuj Præſulis ora modeſti,
Talia compoſito reppoſuêre ſono;

XII.

Ex Cœnobii Annalibus docetur VITALIS; *Monachos ſibi Synchronos, iam trecentos ante annos, ad unum omnes fato conceſſiſſe.*

Tu te Ludis, (ait) Tabulas, monimentáque ſervo;
In quibus iſtorum Nomina functa leges.
Immò ſepulcrales in Xyſtis inſpice Cippos;
Sub quibus iſtorum condita Buſta notes.
Sæcula jam Tria ſunt! Jam ter Centeſimus annus,
Ex quo, quem memoras, tempore Cœtus erat.
Unicus è toto periit tunc Transfuga cœtu.
Eraſum eſt nomen: Cætera, Penna refert.

Ædis

Ædis erat Custos (Custodis voce, ruborem
Vitali expressit) Jámque erat orta dies:
Clavibus ablatis, Templóque ad furta patente,
Sacrilegâ fertur sub Nemus ipse fugâ.
(Hìc magìs erubuit.) Quæsitum, nemo reduxit:
Tantùm, De Crepidis Una Duabus adest:
Hanc fuga destituit; Fugitivum prodidit illa;
Certáque perfidiæ testis Aluta manet.
His, malè sic gestis, Vitâ cessêre Sodales,
Ordine quisque suo; Primus at, Hanno Pater.
Successêre Novi: post hos, Nova Tempora; cúmque
Temporibus Leges, Tecta, Stolæque Novæ!

XIII.

VITALIS, *rerum Veritate perspectâ, suóq; invicem, in Nemus secessu, denarratô: post SS. Synaxin gratulabundè perceptam, sanctè demoritur.*

Dixerat Antistes. Ac, dictis consona, fecit
Histories, coràm lecta, relecta, fidem.
Implevêre Fidem Tumuli, signatáque notis
Marmora nominibus. Plura, nec ipse petit.
Protulerat Crepidam; Crepidæ fuit æqua relictæ:
Protulerat Clavem; constitit, esse Sacram.
Tunc; SE (deposito demum terrore) fatetur,
Custodem Veteris quippe fuisse Tholi:
Nomina quin etiam, putridis hucusque Lituris
Obruta, sub gemino publicat ipse Sono:
Ac; Vitalis (ait) fueram Vigilantius! Istud
Vos, vacua in Tabulis ecce lacuna docet;
Vocibus ex justo, spatium respondet utrisque.
Quod superest, Dici TRANSFUGA nolo, Patres!

Id

Id Patribus probat: ac, ſerie ſua geſta fideli,
Exſequitur. Geſtis, obſtupuêre Viri.
Mox, timidi fiunt, in tot Miracula, plauſus:
Ac jam lætitiam non capit ille ſuam.
Ventum erat ad ſolitas, Votis gratantibus, Aras:
Hîc Sacra, pro reduci, læta Caterva facit.
Concipit ipſe etiam, Pro ſe, pia vota, precéſque:
Concinit; at cantu, quo, Moriturus Olor.
Nec mora longa Seni: Moritur, tegitúrque Sepulchro;
Carmen &, in Tumuli marmore, tale fuit;
Vitális requieſcit in hac Vigilantius Urna;
Cuj niger extinxit nomen utrumque Sopor.
Hujc, De MILLE annis, Tria Sæcula Vox dedit una;
In cœlo Reliquum Plenior ODA dabit.

AGRI.

Sicut Odor Agri Pleni: cuj Benedixit Dominus.

Geneseos XXVII. Versu 28.

ELE-

ELEGIA VII.

Scripta Nomine Hieronymi Maschunnii Studiosi.

Argumentum.

Rus, ac Segetes florentes, describuntur.

I.

Canis, in Coturnices, Incitatio: & Agrorum, in partes Quaternas, distributio.

SURGE, Phylax, generose Canis! quem crispa, piloso
Squallentem Cineris vellere, lana tegit;
Sæve Coturnicum turbator, & improbe raptor!
Venatûsque valens, Aucupiique dolis.
Surge! Vagi, ac Vacui, campos peragremus amœnos!
Deliciæ veniant hinc Mihi! Præda Tibi!
Monte sub umbroso, patulum jacet æquor agrorum:
Quattuor in Classes scinditur omne Solum.
Prima Soli facies, glebâ fovet ubere **Farra**:
Triticeis flavent Rura fecunda Satis.
Hordea, Rus aliud, Pelusia jungit Avenis
Vilibus; ac Pisi molle legumen alit.
Quarta Parætonio cesserunt jugera Lino;
Norica quæ sociô Cannabis urget agro.
Fœmineos Linum digitos exspectat, & Artes:
Furis at in Jugulum Cannabis herba viret.

II. *Ven-*

II.

Ventus: & Florescens frumentum.

Dum loquor, ac, pulcro sectum Rus ordine, miror;
Tristis ab Hesperio nascitur Aura freto.
Horridus Argestes tumido permiscet aristas
Turbine: pérque Gradus, fluctuat alta Ceres.
Seditiosa fremunt, per adultos sibila culmos:
Inclinat timidas spicea sylva comas.
Nec fugat, intrepidi flabella minacia Cauri,
Pertica; quæ pavidas sindone terret Aves.
Ridet is, artifici simulatos stramine Faunos;
Quos torvos Pueris cento, Feríque, facit.
Exiles animas metus hic, tam frivolus, implet:
NON exorandis Stant Elementa minis!

III.

Argesta Vento supplicat; Ne Frumentum decutiat, aut amburat. Sequitur frumenti FLORENTIS *Laus, & comparatio.*

Perge tamen! Tantúmque, rei nihil office summæ:
Dum flas, Argesta, stringere summa cave!
Floret Ador: florent, tenero pendentia lacte,
Farra. Timent minimos tritica mota Notos.
Spiritus es; naréque, quibus spiramen anhelet
Oris, habes. Nares huc adhibere velis!
En! Quàm cœlestes (sed supprime flamen) Odores!
En, quàm Panchæas spirat agellus opes!

Non ego Corycias, non Messes damno Sabæas;
Non, Engaddæô succida rore juga:
Sed mihi Farris Odor tamen est (Ignoscite fasso!)
Plus, quàm fumus Arabs, quàm levis aura Croci;
Quàm Vento pretiosa Syro, pretiosáque succô,
Balsama. NOBILIUS publicus usus Olet!
Trans mare quæ crescit, sit trans mare Cara, voluptas!
Omnibus ex æquo commodat Alma Ceres.

IV.

Præter frumentum, Parci etiam certis quibusdam, segeti mistis Floribus, petit: noceri verò locustis.

Sunt autem hi Flores, quos vulgò Germani Frumentarios, seu, Kornblumen; & Chamæmēla, quos Chamillas, appellant. De quibus, eorúmque medicâ energiâ, scribunt, Adamus Lonicerus, Apollinaris, in Herbario, & alii complures.

Omnibus in Terris igitur reverenter haberi,
Ac meriti, debet, Præmia ferre sui.
Quare, parce, precor! placidísque fecundior alîs,
Fertile, suspensâ percute bile solum!
Percute; sed virides præter nil decute Pestes:
Sentiat Æolias sola locusta minas!
Hanc Scythico summerge freto. Vi legis, In undas,
Quæ Cereris rosit viscera Matris, eat!
Cætera dissimula. Sine, per te, tritica lambant
Roscida Formicæ! Simplice dente, bibunt.
Stent quoque securi, segetum gens accola, Flores!
Hos sine, frumenti proximitate frui;

Stant

Stant etenim (Raro quamvis, ideóque ferendo ,
Agmine) florenti Germina picta comâ.
Stant spuriæ, flammante Rosæ splendore rubentes :
Simplice quas folio grex puerilis amat.
Stant etiam Cyani; quos, cœli forma sereni
Æmula, Sidereæ vocis honore notat ;
Asterium Graji; Zachariæ cætera Florem
Plebs vocat. In floris pulvere, lucra latent.
Hôc, Brasilum tinxisse salem , Saliaria gaudent
Prandia. Dant faciem, his Sacchara picta, bonam.
Hæc Cyanus præstat. Cyanô præstantior herba
Altera, supremi jugeris arva tenet :
Alba quidem Foliis, sed Flava cacumine summo ,
Vi verbi, Pronâ serpere debet humo.
Teuto, Chamæmelum Grajum propè voce Camillæ
Exprimit; Argolicos abbreviátque sonos.
Contere : Fragrabit , morsu quasi Mala recenti
Sauciæ. Pomonæ pyxidas esse putes.
Decoque ! Robur erit Cerebri; laxabit anhela
Pectoris : & Capiti sana lavacra dabit.

V.

Argesta Vento, Æolóq; placatis, voto se Studiosus exsolvit , per Coturnicem , à cane captam : quam liberam in aëra remittit.

Has igitur commendo tibi, cum semine, plantas ,
Æole, ventorum ter generose Pater !
Argestáque, Tibi ! Segeti faveatis uterque !
Et gratum segetis munus uterque feret.
HACTENUS. ac Tacui. Flaverunt hactenus illi ,
Ac Tacuêre simul. Vota, fuêre rata.
Irrita ne fiat sua debita Gratia Voto ;
Ecce, Coturnicis prensa Rapina facit.

Hanc, reverente Phylax rostro, sine vulnere, pennîs
Suspensam extremis, præmia viva, vehit.
Hanc is donat Hero: Ventis Herus. Euge, volucris!
I, revola! Satìs est, Te POTUISSE Capi.
Ne comedi posses etiam; mea vota vetabant:
Latronísque Canis (Res Nova!) PARCA guia.

ELEGIA VIII.

AD CIVES *Urbis cujusdam: ut* PATIBULUM, *è segetum medio, aliorsum potiùs transferant.*

QUID facit, in media Ferale siligine Lignum?
FRUGIBUS, infelix omine, Furca nocet!
Adde; quòd invidiam faciat, Fur nexus in Agris,
Illi quæ vitæ fert alimenta, Deæ:
Quos Aluit, spectat, secus ac speraverat, Altos:
Hinc Uterus Cereri sæpe, Manúsque, dolent.
Indè Manus dat sæpe minus, quàm sumpserat! Indè:
Telluris Gremium Fertilitate caret.
Horum vos tangat (si quis pudor) Ira malorum:
Atque alio, Cives, figite colle Crucem!
Si nihil ista movent tantarum pondera rerum;
At stimulet cautos Farris adulta Seges.
Supplicii, protrita dabit Dispendia, pompa:
Totæ istuc scenæ, tota Theatra fluent.
Protinus ut tristem cava tintinnabula Nodum
Indixére Reo; Concio magna coit.
Turba foro foribúsque migrans, clausísque tabernis,
Provolat ad Capital more ruentis aquæ.
Præcipitante, vias subigunt & jugera passu:
Sacrilego elidunt Fertile calce solum.
Improba Funesti premit exspectatio Funis
Tritica. Mox, pénitas radit ad usque fibras.

Sic,

Sic, propter malè frugi hominem (Lachrymabile dictu!)
Intereunt Fruges: & Nocuére nihil.
A fatua saltem, discat Respublica prudens,
Quid sit opus facto? ne Crucis obsit opus.
Narrabo. Sed habete fidem. Si mentior; In me
Fabula (quod dicunt) cuditor, atque Faba!

ELEGIA IX.

Historica.

FUR AMPLIATUS.

Argumentum.

ARGUM, *convictissimæ rapacitatis* FUREM, *jam damnatum, jam Laqueo collum inserentem*, UTOPIENSES *Septem sapientes, ne maturescentia Tritica à concursante multitudine pénitus protererentur: sub Conditione manumiserunt*; Ut, defectis Frugibus, ad suspendium rediret! *Rem vulgatissimam, clariùs Fictio trivialis & publica; quàm Auctor grandis atque Idoneus, per orbem circulósque dissipavit: & ex Fabula celebratissimâ, Poëticam effecit* HISTORIAM.

I.

Septem Neosophorum, seu Sapientum, in urbe Heptapoli, Respublica atque Gravitas.

ARcada quà solem Silenius urget Asellus,
Insula, Merorum Florida gente, viret.
Telluris medio, Lacedæmonis æmula Priscæ
(DI faveant !) muris Urbs malè cincta, sita est.
Heptapolin vocitant. Ità curia nominat illam:
Curia, Septenis semper aperta viris.
Huc coëunt Septem; capiunt subsellia Septem:
In medium, Septem, consule digna, rogant.
Plebs, horum Rata jussa sinit. Satìs, unica vox est;
HOC PLACITUM EST SEPTEM Patribus!
ΑΥ'ΤΟ`Σ 'Ε'ΦΑ!

II.

Argus, ab Heptapolitanis Furtorum accessitur, damnatur; Educitur.

Inclitus, à Siculi demissus origine Verris,
Argus erat, Grajâ voce, Batavus homo.
Hujc oculos Centum, non frons, non terga, fovebant;
Sed Digiti, docti Cernere multa, decem.
Hic, ut Clarus erat sic nocte diéque vigebat;
Plus de nocte tamen lynceus, Argus erat.
Hujc nullius erat custodia credita Vaccæ;
Sed Custoditas abstulit ipse Boves.
Nec caput hujc Argo rapuit Cyllenius ensis;
Mercurii cunctos vicerat Arte dolos.

De

De Reliquo, Argus erat. Multas emunxerat, Argi
  Dextra, domos; multas ſopierátque Seras.
Ære, auro, argento, gemmis, viduaverat Arcas:
  E ſtabulíſque boves egit, & egit Oves.
Corripitur Tandem (NEC enim malefacta perennant)
  Poſt tot correptas obrutus Argus opes.
Heptapolin rapitur. Recipit cuſtodia Furem;
  Cuj cuſtoditum nil ſatis antè fuit.
Ferrea prædantem cohibent retinacula dextram;
  Læva ſoror, manicam ſentit & ipſa ſuam.
Carnifici tortus nervo, numerare jubetur
  Indice Furta ſono; nec numerare valet.
Hoc tantùm; QUIDQUID potuit mens improba Velle,
  Vel ſpeculari oculus, vel retinere manus;
Quidquid ferre humeri validi, cumulare lacerti;
  Hoc volui, vidi, corripui, atque tuli.
Dixit. & expediit paucis, tot verbera, verbis;
  Quæſtio conticuit tota, fatente reo.
Conveniunt, ſeptémque ineunt ſuffragia Patres:
  Primus &; In Furcam Furcifer (inquit) eat!
Aſſenſêre omnes. Rhadamanthia virgula, nodís
  Aſpera, profertur, judicis atra Nota:
Mox, ſpectante foro, diffringitur. Ultima vitæ
  Linea, ſic trepido ſignificata reo eſt.
Haud mora! ſupplicii triſtiſſima pompa paratur;
  Aptatur laqueus; difficiléſque gradus.
Dúceris, Arge, miſer, manibus poſt terga revinctís,
  Flens multùm. Ut Fleres, myſtica turba monet;
NUNC iter ad Cœli ſummas inſtare columnas:
  Nunc fore ſub pedibus gaudia fluxa tuis!
Iſta Sacerdotes, ſolito de more, docebant:
  Sed tibi mens, pedibus tardior, Arge, fuit.
Audis: attendis: contraria pectore volvis:
  Pugnat amor cœli; ſed magè, lucis amor.
Ah! tibi ſupremam jam nuntiat ultima lucem
  Buccina! jam lictor: jam galeata cohors.
Pars vulgi, comes eſt; ſequitur pars altera vulgi;
  Maximus at populi præripit ordo viam.

Præcursant; volucríque petunt plebs turbine furcam:
Civica feralem cinxerat unda trabem.
Res nova tam justos inhibet tamen una tumultus.
Si vacat, huc totâ Pallade, lector, adès!

III.

Populi, fruges proterentis, importunitas.

Ecce tibi! calido mensis Junonius ibat
Pulvere; per cancrum Sole citante rotas.
Jam florem, & menses, & consistentia nactum
Tempora, far stabat, triticcúmque nemus;
Sed falx dilata est; dum flavescentis aristæ
Supremam impleret messis adulta diem.
Vah, scelus! In media stabat trabs sontica fruge;
Trabs, etiam aspectu perniciosa suo:
Sed populi affluxu, trabs perniciosior: atque
Vastandæ Cereri certa parata via.
Dum tamen hæc fiunt; sensim funebria Furi
Ultima fiebant, emeritúmque Vale.
Venerat ad vitæ metam lacrymabilis Argus;
Demptáque de gemino flebat aluta pede.
Scilicet, hanc Lacrymis serô sapientibus imbre,
Phryx irrorârat. Sed, REA gutta, Perit!
Contigerat scalas; genuúmque labore rebelli,
Aërium invito calce terebat iter.
Hoc tamen exsudavit iter. Jam vertice summo,
Venerat in laqueum: jam religatus erat.
Jam præceps volvendus erat, longúmque futurus
Jôta, jocaturis pensile pegma Notis.
Succiderant oculi. Jam dixerat ultima verba;
Terra, vale! cœlum judiciale, fave!
Vulgus (ut est OMNES ad ventos mobile vulgus)
Extremi quamvis limite tendat agri;

Extremi

Extremi procurſat agri de limite, ruptis,
Ceu torrens, ripis, flumineáve morâ.
Rus ſimul, & poſitas calcat, plebs improba, leges:
Dumque necem ſpectet, vitæ alimenta necat.

IV.

Septem Neo-Sophorum, ex arena & tempore, petitum conſilium. Furis, ſub pacto, manumiſſio.

Ergò aliquis Prócerum (dum, funeris arbitra ſummi,
Exſequias properat curia tota reo)
Suſpende (exclamat) ſuſpendia barbara, tortor!
Interjunge moras! & breve differ opus!
Clamat: (& unanimi, conclamant Stentores omnes,
Gutture, proflatu, pectore, voce, manu)
Abſiſte! interſiſte! ſimul, plebs, ora coerce!
(Abſiſtit lictor; plébſque ſonora, ſilet)
Pergit is: &; Res eſt, cordato digna ſenatu,
O Proceres (inquit) Parcere, nécne, reo?
Parcimus? & laqueo ſceleratum exſolvimus Argum?
In Themidis leges noxia grandis erit.
Pergimus? ac cœpto hunc mactamus fune? relictam
In Cererem ſurget grandius, ecce, malum!
Non parcet populus pedibus. Sic, unicus hic fur,
Morte ſuâ coget millia multa mori.
Strata Sata (ah!) truculenta fames, peſtiſq; ſequentur:
Hej mihi! quantum hominum ſubruet unus homo?
Quid facimus? Dixit. Dicentem nemo ſecutus
Septemvir; dubiô ſtant, in utrumque, gradu.
Pars ſcabit una caput: digitum pars altera ſummum
Rodit: & implexæ eſt quæſtio longa viæ.
De ſeptem tandem, ſapientûm octavus; O, inquit,
O, ſocii! reperi verba, notanda cedro!

E Geminis minimum, magìs eſt tolerabile, damnis:
Fur hic, (ne pereant omnia) ne pereat!
Dematur collo laqueus: deſcendat! eátque
In patrium, ſed SUB conditione, ſolum.
Conditio (nec iniqua, reor, neque prægravis) hæc eſt;
AD Nos, Abſectis meſſibus, eſto redux!
Iſta, bonâ valitura fide, ſtipulemur: & Argus
Juret! in hoc, dextram ſolvite reſte manum.
Læva, revincta manus, maneat poſt terga revincta;
Cùm redit, hâc notus poſſit ut eſſe notâ.
Dixerat. Acclamant; Sententia Delphica! fiat!
Non aliter Phœbus, non Cato, jura darent.
Ergo fit. Exuitur laquei collaribus Argus:
Deſcendit: nexu dextra ſoluta, vacat.
Jurato præit ipſe Senex ſtipulator, & auctor;
EX ANIMO! ad pœnam, meſſe jacente, redi!
Præjuratum Argus ſequitur; digitíſque levatis;
EX ANIMO! ad pœnam, meſſe jacente, redi!
Adjiciunda fuit poſtremo ſyllaba verbo
Unica (nam pacti ſumma, REDIBO! fuit)
Ille, REDI dixit, verbis Senioris inhærens:
Singultûs ſorbens ulteriora dolô.
Nemo tamen queſtus fraudem eſt, quam nemo notavit:
Viſus erat ſummâ reddere verba fide.
REDDIDIT illa quidem. Sed, carcere liber & Orco,
Conſcriptis patribus poſtmodo verba dedit.

V.

Argi, poſt meſſem abſolutam, reditus, cavillatio, & ad ſeptem Neo-ſophos epiſtolion.

A cruce diſceſſum eſt. redit in ſua quiſque: petúntque
Heptapolin Proceres, priſtina luſtra latro.

Junius

Junius hæc inter, virides cum menſe ſequenti,
Verterat in flavum, munere Solis, agros.
Jámque coloratas Æſtas maturrima meſſes
Straverat, injectâ ſubruerátque manu.
Nec minùs Heptapolis (ſi quidquam nupera plebis
Intactum rabies, fixáque furca dedit)
Meſſuit. in cumeras, & in horrea, venerat annus:
Frangebat calidos frigida Libra dies.
Frugibus abſectis, cùm jam terit area faſces,
Alternóque gemunt hordea trita flagro:
Tempus erat, réducem, (veluti convenerat) Argum,
Ad pœnas ſiſti. farre carebat ager:
Ac trabs fatalis, nullâ jam clade, patebat
Cujlibet; ínque trabis vertice, reſtis erat:
Nil, præter collum, deërat, nodúmque tenacem:
(Eveniant noſtris hoſtibus, ambo bona!)
Argus id obſervat; mediíſque fideliter umbris,
Nocte redit mediâ. Mœnia clauſa, notat.
Pons quoque, qui foſſæ diſtantes jungere ripas
Suêrat; ſuſpensâ mole, negabat iter.
Ergò, petit ſaxis portam, clamoribus urbem,
Lamentis vigiles, ſeditione canes.
Turba fit: hic auget turbas; contráque frementes
Turribus ex altis, altiùs ipſe fremit.
Quid veniat? (quærunt) Veſtros (ait iſte) dynaſtas,
Vado ſalutatum! Cujus es? unde domo?
Heptapolis nuper, (velut & vos) incola: poſt hæc,
Nuncius ad varios: Nunc (aperite!) redux.
Serò venis (ajunt) Hic; AD alta negotia ſerò
Nemo venire poteſt: pandite limen (ait)
Illi iterum; Cras, blenne, veni! pandemus. at ille;
Cras, & luce palàm, non ſapientis erit:
Nunc, nunc, pande forem, cuſtos! De nomine cuſtos
Hunc rogat. hic; Breviter rem loquar: Argus ego!
Ille ego, fur Argus, veſtræ prope victima furcæ;
Indè manu miſſus: nec tamen abſque jugo.
Grande jugum pactum eſt; UT, meſſe jacente, redirem;
En, Jacet hæc! redii, perſolüíque fidem.

Per vos, quò minùs hæc vadimonia fidus obirem,
Nempe ſtetit: veſtro ſtant mihi clauſa dolô.
Di videant! ego, lege datâ perfunctus, abibo.
Hujc olli; Exſpecta! pandere, parva mora eſt.
At nihil hic motus, per aperta ſuburbia, retrò
Dædaleâ relegit dexteritate viam.
Indè trabem carbone notat, (dabat aurea lumen
Cynthia) Soteres alloquitúrque ſuos;

ARGUS VII. SAPIENTIBUS. S. D.

Pauca Sophis ſeptem perſcribo Sophoterus Argus;
Et jubeo, in tacitos condere verba ſinus.
Tres, puto, fluxerunt lunæ, quô ex tempore, ſonte
Veſtra tuli collo vincula, vincla manu.
Jámque Pependiſſem. SAPIENTIA veſtra pepercit;
Tantùm, Ad dilatum juſſit adeſſe diem.
Promiſi, ac vovi, STIPULATÒ. Meſſe reſectâ,
Per STIPULAS redii. non patuêre feræ.
Arcuit excubitor. Quare, ſine Vindice, nunc ſum
Liber utraque manu, liber utroque pede.
Quid Domini facient, faciant cùm talia Fures?
Sed ſperate tamen: Fur erit iſte bono.
Namque, peregrinus nunc orbem, ac templa peragro
Omnia: pro vobis thura, precéſque fero;
Votáque concipio, Superûm mirantibus arîs;
Ut veſtrum jubeant aſtra valere caput.
Jámque, Valete, Sophi! tantiſper epiſtola. Pro ME,
Pendeat, ad veſtram, littera longa, crucem.
Meſſis adulta quidem Maturuit omnis; & omne
Far, faba, lens, milium, tritica, piſa, cicer:
Hordea, cum linis, & avenis. Unica nondum
Matura eſt collo CANNABIS Alta meo.

ELEGIA X.

Hiſtorica.

ISAACUS MEDITANS.



Argumentum.

Ex Geneſeos Capite XXIV.

Eo autem tempore, deambulabat Isaac *per viam, quæ ducit ad puteum; cujus nomen eſt Viventis, & Videntis. habitabat enim in ter-*

ra Australi. Et egressus fuerat ad MEDITANDUM *in agro, inclinatâ jam die.*

A Versu 62.

QUartus erat, Syrii Titanis in ordine, mensis,
(Is, qui nunc Italos Junius urit agros)
Vespertina graves infregerat umbra calores:
Jam conopéum totus Olympus erat.
Isaacus, Geratæa retrò tentoria linquens,
Bossoriíque procùl dextra fluenta vadi;
Ibat, colle sacro, per Idumês jugera læva,
Quæ rigat Angelicis fons Agarenus aquis:
Fons, superûm favor, & venæ nemoralis alumnus,
Stagnantem adversi quem ferit aura Noti.
Ibat; &, innatâ turbæ formidine, Solus
Ibat, ad Australes, ex Aquilone, plagas.
Per sata, per campos, per lucida floribus arva,
Cùm raperent agiles otia sancta pedes:
Ut quæque inciderant oculis, seu commoda ruris,
Seu pictæ illecebræ, seu genialis odor;
Sic tacitâ secum regerebat mente viator,
Sæpe pio teneros corde ciente sonos;

MEDITATIO EUNTIS.

En (ait) en, Montes habet ora sinistra, nivosos!
Scilicet, ADVERSIS nec loca summa carent!
At regio ad Libyen, quamvis Deserta, virescit:
Nempe, SUA virtus asperitate viget.
Hæc Sata, bella quidem, sed adhuc malè fortia, surgunt:
Sic, Forma fragile est, incomitata, bonum.
Hoc far, robur habet; sed adhuc stata tempora desunt;
Sic, Nisi maturum, non bene surgit, opus.
Aspice, quot repleant spicarum millia campum?
Tot capitum tiam posteritatis avus.
Aspice, quàm pulcro digesta stet ordine messis?
Hoc olim & legio stabit Hebræa situ.

Hæc

Hæc ſeges eſt, Nivibus conſperſæ, filia glebæ:
Filius incanæ ſic genitricis ego.
Hic, tam vivus, Ager, quid erat, niſi mortua grana?
De látere Extincto ſic patris, ipſe creor.
Altus agri culmus, nihil eſt, Radice revulsâ:
Gloria ſic vitâ VANA cadente cadit.
Flagrabunt ſtipulæ, quas caſſa coronat ariſta;
Flagrabunt Animæ, quæ ſine fruge migrant.
Ecce, repens Cyprio graſſatur ab æquore Caurus;
Sæpe mihi mediâ turbo quiete venit.
Ecce, ſubinflexæ declinant flamina glumæ;
Sæpe juvat, Pronâ cedere fronte malis.
Tritica nunc florent: ventô, flos auget odorem;
Sic, meliùs VIRTUS exagitata placet.
Arvum legitimum externô fœdatur ab ervo:
Fœdâſſet ſtirpem ſtirps Agaræa meam.
Utilibus ſpicis, viciæ miſcentur, & herbæ:
Miſcetur populo, non bona turba, bono.
Cantat adhuc gryllus, cantúmque repreſſit alauda:
Sic ſibi plus pulchrîs plaudere fœda ſolent.
Jam Sol Heſperiô, properat, ſe tingere Ponto:
Ad tumuli Occiduam ſic homo pergit humum.
Sol moriens, tremulo ſcintillat amœniùs orbe:
Sic, moriture, animi tu quoque nube care!
Eminus, egelidas tepidus vibrat Heſperus auras:
Morte, refrigerium ſidera ſola dabunt.
Comminus, è ſumma nebulæ glomerantur Idumâ;
In nebulæ ſedem glomere, Numen habet.
Nunc fugitiva cavas duplicat lux, corporis umbras;
Sic noſtrum retegent funera Grande Nihil.
Parva gigantéas jaculantur membra tenebras:
Omnia ſic nigra mors horridiora dabit.
Ecce! recompoſito claudunt ſe vertice flores;
Sic homo ſe, clauſo colligat ipſe die!
Ecce, nihil metuit, foliîs roſa ruris opertis:
Sub tumulo intrepidè ſic Sara mater agit.
Roſcidus exuſtas æther ſubſtillat in herbas;
Quæſo, Salutifero roret ut aura Deô!

Pallidus

Pallidus occaſus, pluvio cras effluet ortu:
O, Patris, ô, Summi depluat indè genus!
Terra per occultam trudet nova germina Noctem:
Meſſiæ geneſim truderet illa, velim!
Luna dabit thalamos & Matres unica mille:
Sit Chriſti, in multis millibus, una Parens!
Umbrarum adventu, gaudet nigra Veſperis ales:
Et Sathanas umbram, transfuga lucis, amat.
Stellarum exortu, pluviæ tuba, (Rana) coaxat:
Moribus oggannit ſic mala turba bonis.

MEDITATIO REDEUNTIS.

Talia progrediens, ſecum memorabilis heros,
Inter Idumæi jugera, volvit agri.
Talia, regrediens. Cuj plaudit ad omnia gryllus,
Carminis alterno garrulus obſequio.
Adjuvat obſequium plauſu meliore coturnix,
Dum ſua non motu ſimplice caſtra canit;
Inque vicem reſonis agitans ſuccuſſibus alas,
Pennata, ex numeri brachia lege, vibrat.
Hujc tali Iſaacus, moduli poppyſmate lætæ,
Aſſimilatrici cruſmata voce dedit.
Cruſmate nil læſa eſt; ſed reddidit altera mille,
Pervigil æſtivis ortygometra choris.
Jámque ſuos repetens feſſus Patriarcha penates,
Obvius adverſis Boſſoris ibat aquis.
In ſua balantes regerebat ovilia paſtor;
Tendebátque Aries, dux gregis, ante gregem.
Vidit id Iſaacus; lacrymíſque infuſus obortis;
CHRISTUS (ait) fiet victima, fiet ovis!
Agnus erit: totúmque vehens in vellere mundum
Innocuo; pœnas, ne petat ipſe, dabit.
Idem, Aries erit hic, qui (ſuccidanea, pro me,
Hoſtia) me ſolvit morte, dolore patrem.
Contigerat, multo veſtitas gramine ripas:
Id teneras ſtrictim carpere cernit oves.

Hîc

Hîc quoq; ſubſiſtit MEDITANS, graménq; recenſet
(Necdum omnis nitidô ceſſerat axe dies)
Agger erat ripæ: notat, ac legit, aggeris herbas:
Unius hîc generis planta, triphyllon, erat.
Quodcunque adſpiceres, aderat pratenſe triphyllon;
Quæcunque eligeres, lecta triphylla forent.
Planta virens, foliiſque tribus diſſecta, nec ultrà,
Vulgus, (ſi fuerint quattuor,) omen habet.

II.

Ex eodem Geneſeos Capite, à Verſu 64.

Cúmque elevâſſet (ISAAC *) oculos, vidit camelos, venientes procùl.* REBECCA *quoque, conſpecto* ISAAC, *deſcendit de camelo; Servus autem, cuncta, quæ geſſerat, narravit domino ſuo* ISAAC. *Qui introduxit eam in tabernaculum* SARÆ *matris ſuæ; & accepit eam* UXOREM: *& in tantum dilexit eam; ut dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret.*

Hîc bonus Abramides; FORMOSO eſt ſole creatus
(Inquit) & ætherii ſigna favoris habet;
Si quis habet, dignam thalamis & fœdere nuptam:
Apta, nec è centum millibus, una venit.
Omne genus Nuruum vitiat Chananæa propago:
Ex quo rapta Sara eſt, Fœmina nulla bona eſt:

In

In Mediis puero citiùs tetraphylla triphyllis,
Quàm noſtro occurret Sponſa probata toro.
Sic. ait. ac, ſummô riparum, lumina, vallô
Dum procul in Boream, & rura Ziphæa, vibrat;
Eminus, en, agmen! nymphæque, virique, camelique,
Atque ſatellitium, ſponſa Syriſſa, tuum!
Hanc videt: exceptámque, heros ſibi jungit. Et illa,
Iſacióſque lares, connubiúmque ſubit.
Diligitur; Geminóſque (ſocrû fœcundior) edit;
Sicque Saræ fiunt, una Rebecca, duæ.

VILLÆ ÆSTIVÆ.

Commoremur in VILLIS.

Canticorum VII. Versu. 11.

ELE-

ELEGIA XI.

VILLA ALBERTINA, *prope* MONACUM.

AD

IVANUM BONAMICUM.

TRanſ-Iſarana via eſt; quà,lapſus ab Alpibus amnis,
Secta ſuburbanis pra[illegible] peragrat aquis.
Huc quondam ſtudioſa cohors ibamus ab æſtu ,
Ac ſtudii feſſi pulvere, Phœbe, tui.
Rhetoricês pulli,Balbus,Theodorus,& Aldus :
Ac, quos præterea dux ſociavit amor.
Quid tibi magnificæ faciam præconia VILLÆ ?
NON eſt vendibilis Principis ulla domus :
Vix etiam,Bonamice, meo memorabilis qre eſt.
MIRAMUR meliùs grandia, quàm, canimus.
Ergò, agè, miremur ! tu mecum,ego carmine tecum ;
Id, ſi vulgare eſt, ſcripſit AMICA manus.
OMNIA qui fieri communia juſſit amicis ;
Communi fieri juſſit & iſta modô.

DOMUS.

Alta domus primùm, cedrinis effulta columnîs ,
Divite conſpicuum marmore tollit opus.
Una ſtrues, non unus apex. Prætoria latè
Culmina diffundit, turrigeraſque minas.
Non Cumana tibi, non Tiburtina, vetuſti ,
Vejentiſque crepent ruris aprica , fabri !

Sint

Sint Albana procùl, ſint ſplendida Lucullæa!
Plus Albertinum hoc (à DUCE,) lucis habet.
Hoc rus Urbanum eſt,non contrà urbs ruſtica; quamvis
PRÆDIA, quæ ſpectas, oppida jurè voces.

SYLVULA, & EREMIDION.

Ad latus Eoum, tepidis agitatur ab Euris
Sylvula, piniferi pendula colle jugi.
Ducit in hanc, grato ſudandus tramite clivus;
Ductos, in ſummo, gratior umbra tenet.
Hîc nemorum fictæ mirantia lumina fallunt
Thebaides, veterum viva ſepulcra Senûm:
Niliacáſque ſcaber ſimulat bene tophus Eremos:
Horridulos, credas Numen habere, ſpecus;
AntonIque tibi manes, ſimulacráque Paulli,
Frondoſæ valeant inſinuare moræ.
Ipſe ego, confiteor (quid enim rem prodere, fraudi eſt,
Ingenuam?) cœpi SOLA probare loca.
Me tamen hic. qui traxit, amor, mox indè retraxit;
Dum jubet, è ſummo, deſpicere ima, ſitu.
Deſpexi: ac longis vidi procurſibus urbem,
Mille procùl pinnas tollere, mille domos.
Tunc ego deſertos dixi, nihil eſſe, penates;
Et nemoris dorſo devia terga dedi.

HORTUS. PISCINÆ. CYGNI.

Per, poſitas Avibus, ſpeculas; per arundine clauſas
Aucupis inſidias, vimineáſque Pharos,
Paſſibus in pronos rapidis deſcendimus Hortos;
Quos Pomona pari, Floráque jure, colunt.
Diſſidium faciunt (tamen, Intrà fœdera) Nymphæ;
Rivalis dirimit dum ſocia arva latex.
Limpidus ad dextram, & Zephyro lacus obvius, undat
Lumbus: ac variâ frangitur unda ferâ.

Sum-

Summa, secant anates. at piscibus imma natantur;
Frondeáque in mediis insula surgit aquis.
Et cava Phæacios suspendit hypæthra virores;
Æstivo, Solis spicula, vere fugans.
Cujus in umbroso volucres stabulantur aprico;
Fervida si querulos excitet hora sonos.
Hìc est squammigero (Nec enim, colludere pisci,
Crimen inhumanum est) sparsa siligo gregi.
Ipse ego liba dedi; micásque minister edules,
In vescas fregi dapsilis illecebras.
Et, latâ quoties inhiabat fauce cyprînus
(CARPIO qui populo est, improbitate gulæ)
CARPE dapem! (dixi) Neque jussis defuit ille,
Aut titulo. Vivam dixeris esse Famem!
Cùm toties fieret tam claro sparsio jactu;
Missilibúsque sonans plauderet unda jocis;
En tibi! de tacito prodire Caystrius antro,
Cum Junone suâ Juppiter orsus olor;
Lentè, imperceptо rasit vada vitrea lapsu:
Concitáque, ad ripam, dum fluit, ala fuit.
Remigium, clames, Pictum par dulce volucrum!
Et, gemino in cygno, tot fluitare Nives.
His quoque, daps dispersa sua est. Discedimus indè;
Atque vagos trahimus ponè roseta pedes.

STABULA, ORNITHOTROPHIA.

Hinc dextros agimus, sub ovilia mollia, gressus:
Ad lævam Asturico fumat equile grege.
Bucephalos ibi Pellæos, animæque Lacænæ
Cyllaron, & Zephyros, Cantabra terra, tuos;
Circæísque satos stabulis, Solísque jugales,
Vidi: & cornipedes Bellerophontis aves.
Nec piguit, vario volucrum VIVARIA septo,
Atque cohortali visere clausa lare.

Pugna-

Pugnaces ibi Lucis aves, nuptæque, vagantur;
Quas tranſalpino criſta tumore decet.
Hîc, Libycis etiam collum palearibus implens,
Gallina, & GALLUS (quis putet?) AFER erant.
Hîc tremulæ quoque clunis anas, guttatáque Perdix;
Torquatúmque ferens Creſſa columba caput.
Nec Scythicus deërat turtur; nec Ionicus[ales;]
Nec, quem de Colcho littore Phaſis alit;
Nec Samius, pennæ variabilis Iride, pavus;
Nec, Capitolinâ nobilis anſer ope.
Harum quæque, ſuâ volucris cum pube, diſerta,
Orabant querulâ prandia ſueta prece.

TONITRUA. TEMPLUM SALVATORIS.

Jámque exorârant: at nos, ſpectare, juvabat:
Cum ſubitò tetricis horruit aura minis:
Nimbosíſque niger glomeratus fluctibus Auſter,
Terribili cœlum miſcuit omne fugâ;
Miſcuit & terras: tonitrû dum rumpitur æther,
Intentátque truces ira triſulca faces.
Nos, timor, abſtractos in proxima diſpulit antra;
Antra, SALUTIFERO ritè dicata DEO.
Ædicula hæc, vario Soterem ſchemate monſtrat:
Nunc, quaſi Conceptus: nunc, quaſi Natus, adeſt.
Mox, Stellâ effulgens; mox, advena Memphëos, exul;
Jam, quæſita Docens; jam vada ſancta terens.
Hîc, populis Miranda, patrans; hinc arbore Pendens:
Hîc vitam repetens, Ætheriúmque thronum:
Denique, Par numen SPIRANS, & crimina damnans,
Propoſuit TOTUM fida tabella DEUM.
Omnia moverunt mentem argumenta: Sed, inter
Tot titulos, movit tunc magis, ille TONANS.

ELE-

ELEGIA XII.

AD THEODORUM.

Poſt ſedata Tonitrua, Hypæthram conſcendunt Auctor & Theodorus. Deſcribitur Hypæthra, & Viridarium penſile, per ſingula.

QUid facimus, Theodore? Cavô jam murmura cœlo,
Compoſuêre nigras, deſide lite, minas.
Emendant raucas fugientia nubila rixas:
ET NOS Innubi vivere fronte, decet!
Nempe, Redit Titan; pellénſque tonitrua, dicit;
VOS quoque, ſi ſapitis, Sole Redite novo!
Vos quoque funeream vultu diſpellite rugam:
TEMPUS habet pallor; gaudia tempus habent.
En flores, pluviis redivivos fletibus! En, ut,
Poſt cœli lacrymas, rideat omne ſolum!
Jámque per inſtructas nos ardua cochlea, turres,
Ducit in aërium, penſile pegma, nemus.

HYPÆTHRA,

Cum

VIRIDARIO & FONTIBUS
artefactis.

Hîc varias patulo cœlo Soliſque retecto,
Aggeribus tellus edita, monſtrat opes.

Diſtin-

Distinctis serpunt violaria picta trigonis;
Atque ex areolis discitur, HORA QUOTA?
Stant, Osco ducti Fontes utrimque metallo:
Dignas, effigies sancta, figurat aquas.
Hic namque Eustachius superûm mysteria discit,
Ex Actæoniæ fronte loquace feræ.
Illic dispositum nudo Susanna pudori
Venatum, pulsâ disjicit arte senum.
In medio (Quis credat, AQVAS regione jocari,
Non propriâ? & ludos exule rore dare?)
Aërios suprà tractus, siphonibus altis,
Cùm minimè reris, dispatiantur aquæ;
Atque, alii ex aliis, coëuntes arcubus arcus,
Insidias, liquido fornice, mille struunt.
Sic miser, in mediis deprênsus floribus, hospes
A conjurato, dum stupet, imbre madet.
TALIA mirantes oculos, potiora saginant
MIRA, Semiramiis digna theamatibus.
En tibi! frondosâ viridis testudine buxus,
Absîdis vivo stans apicata tholô;
Romuleum explicitis imitatur Pantheon antris;
Ex immo, ad summum blanda theatra patent:
Immò, theatra natant. Nam subterranea, doctis
Fistula torta Striis, stagna lacúmque, vomit:
Pérque cavos intus, (buxi quasi mœnia) circos,
Euripus fluvias advena portat aves.
Ferratîs anates filis, connubia ductant:
Palantur cygni, cum pare quisque suâ.
Hos catus è cymba sequitur venator, & urget,
Fictilibus (metâ non meliore) globis.
Fida sed, in gyrum labens, iterúmque relabens,
Instanti toties, præripit unda, neci.
Sic, profugis inhians semper conatibus, hostis,
CAPTURI titulum, pro, Capientis, habet.

MUSICA,

Quæ, choraularum intus prandio (dum au-ctor cum Theodoro foris Hortos spectat) in-terposita; Materiam sibi sumit VILLICUM INIQUITATIS *Evan-gelicum.*

SED dum nos oculos vacuo saturamus omaso;
  Ventre intus pleno, prandia turma capit.
Continuò frondosa graves umbracula mensas,
  Ac tempestivâ fercula lance struunt.
Fulva ministrantur Nicrani pocula præli;
  In quibus Orphejus prælia BASSUS amat.
Venerat hic, citharis isthuc instructus, & odis;
  Quas Orlandiacâ vox animârat ope.
Hic, Evangelicis oracula digna cathedris,
  Gestaque Paullinis, dictáque, fusa tubis;
In faciles redigens numeros, folléfque canoros,
  Quattuor ad Partes, quattuor Acta sonat.
Ergò, simùl venâ incaluit, cyathóque loquaci;
  Hæc, licèt in Villa vina bibantur (ait)
Villa tamen non sunt, sed Germanissima vina;
  Inque Palatino robur adepta cado.
Verborum testis, quem nunc cano, VILLICUS esto!
  Villicus, ad vites promptus, ad arva piger:
Qui, dum plus calices, quàm tardum traxit aratrum;
  In Vitreo dominos gurgite mersit agros.

ELE-

ELEGIA XIII.

Historico-Parabolica.

VILLICUS INIQUITATIS.

Lucæ, 16.



DIVINISSIMAM CHRISTI *Sapientiam non sola, cœlo demissa mysteriorum gestorúmq;* MAIESTAS: *sed etiam excelsissima* PARABOLARUM *demonstravit* HUMILITAS. *Eas ipsum, non ex* INGENIO *(ut sic, hominum more, loquar) nudo, sed, ut plurimùm è rebus in usu positis; subinde etiam re-*

ipsâ gestis, petere solitum; præter MALDONATUM *&* CORNELIUM *in Evangelia, auctores sunt quàm plurimi, celeberrimíque.* QUARUM *in classe* PARABOLARUM *ego semper numeravi notissimum illum* INIQUITATIS VILLICUM, *Lucæ XVI. capite descriptum. Quid enim, quæso, narratur in eo* FACTUM, *quod* FIERI *non potuerit? quod non olim, & hodie, soleat? Quapropter religioni mihi non fuit, humanum Apologum, Historicis etiam parergîs, tanquam Personá vestibúsque, circumponere: & primariorum, in hoc, Actorum locorúmque peristases, atq; nomina, exprimere; tanquam ad fidei usque veritatísque, exactam censuram: ut non magis* ILLE *pro agricolatione, quàm de rei actæ probabilitate Poëta, videri possit,* REDDERE RATIONEM, *timuisse. De reliquo, fusiùs materiam hanc venustissimam diducere placuit, ac tantùm non per administrationis Villicæ minutias exigere: partim, ut juventutem, Biblica Evangelicáq; meditaturã, digito præiremus: partim, ut Catonis, Varronísque, & Columellæ, venerandis vestigiis insistentes; vocabulorum etiam* RUSTICA-

NORUM,

NORUM, *Philologis Vrbanè-Latinis, velut* ARMAMENTARIUM *quoddam, instrueremus.*

I.

HOMO quidam erat DIVES: qui habebat VILLICUM.

Lucæ XVI. Versu. 1.

QUà Vivis premit, ac pellit, freta Mortua ſylvis,
Engaddæa, Cavô vallis amœna ſitu;
Hîc, quà Palma comis fluit exundantibus, & quà
Phœnicis princeps gleba triumphat agri;
Ampla, ſuburbani ſpectanda cacumine ſaltûs,
Turrigeróque nitens culmine, Villa ſtetit.
Firmârant ſolidos Aſphaltica glutina muros:
Ambierat tutos foſſa præalta lares.
Arcis in invidiam ſurgebant Ruſtica tecta;
Munditiéſque rudi docta nitebat humo.
De Fumo agnoſci, minimum fuit. Eminus ibant,
Latè conſpicuo tecta notanda tholô:
Appendixque fuit fabricæ ſacra mandra profanæ;
Ne foret agreſti nulla Proſevcha preci.
Ad dextram, quà mite jugum Maſadæa levârunt
Confraga, & aprico jugera colle tument;
Multa racemifero pendebat Vinea dorsô;
Vinea, Judæos tingere læta cados.
Rubra, Palæſtinas intrans vindemia cellas,
Aut hôc, aut nullo, dulciùs acta lacu eſt.
Ad lævam, quà fumat, aquîs Sodomæa peruſtis
Squallida, Pentapolis, ſulphureóque ſalô;
Quamvis longa propè ſtagnent freta, & uda Tonantis
Prætento latè naviget IRA mari:

Paciferis mites baccis lætantur olivæ;
Grataque lactentem ficus opacat humum.
At, riguis ubi procumbit resupina rosetis
Planities, æquo stántque vireta situ:
Disposito quincunce comat, ramíque flagellô
Verberat umbrosum flaccida palma solum.
Et, prope palmiferos sudant Phœnicia campos
Balsama, mitratas ungere digna comas:
Balsama, quàm gracili succos trudentia virgâ,
Tam grandi quondam jura datura pedô.
Vallis at, opposito sub monte, tumentia Sole
Tritica flavebant, Niliacúmque satum.
Vallis in extremo, peregrini piscis alumna,
Tráduce fulgebant stagna serena lacu.
Ipsa, MANASSEI notissima nomine Villa
(Hanc tulit, à domino dicta Manasse, notam)
Divite vincebat pinguissima prædia censu;
Si natas aliquis condere nôsset opes.
Imbribus undabant cisternæ, fontibus horti,
Arboribus sylvæ, pignore messis agri:
Autumno pomi turgebant, nectare vites,
Torcular musto, spumea cella mero:
In stabulis, juga firma, boves; in ovilibus agni;
Et bellator ibi, & stabat arator, equus:
Cúmque nothis, asini, mulis; caper, atque capellæ;
Ac nido multùm fœta columba Syrô:
Atque cohortis aves; & aves, quas Africa mittit:
Et, quas Mopsopius mittit Hymettus apes.
Roscida fertilibus crescebant pascua campis:
Pastores stabant, pro grege quisque suo.
Opilio caulas, servabat prata bubulcus:
Impuræ tantùm defuit usus haræ.
Nec tamen audacis vigilax tutela Molossi
Defuit, & rabidis ira canina lupis.
Quid tamen ira juvet dentata? quid aspera sævi
Colla fremant Phylacis? Cerbereúsque furor?
Si penetrale tenet latro? fur incola tectum?
Si rapit hic intus, quod vetat ille foris?

Talis

Talis erat ZECHRUS, custos villæ improbus, & cuj
Cura MANASSEI credita Sole nigrô est:
Zechrus, ab Ephramio deducta propago tyranno;
Sed tanto trinepos inficiandus avo.
Degener, ut mores, ità res, evertit avitas:
Néve parùm fœdus pergeret esse nepos;
Prata nepotando, potando jugera mersit
Omnia: quæ patrius nuper arârat equus.
Digna viro conjux, potori pota Phenenna,
Obtigit, & concors in nova damna thorus.
Diluviô Bacchi noctésque diésque natabant:
Deucalion novus hic, hæc nova Pyrrha fuit.
Hos, tam damnosi (QUIS enim procùl intima discat?)
Ignarus genii, Nycteliæque gulæ,
Vir, morum Antiquus, sua misit in arva, Manasses;
Ac dominas ruri jussit obire vices.
Addidit Oeconomas, specioso nomine, claves:
Et dedit in totam jura secunda domum.
Hi, sibi majores, Grajo de nomine, visi,
VILLICUS hic dici; hæc, Villica, ferre negant.
Ipse, procùl Solymæa colens urbana, Patronus,
Patriciósque, cedro sub redolente, lares;
Vix serò æstivis murata palatia sylvis
Mutare, aut gelidas suetus inire casas:
Molle refrigerium, dulcésque in amœna recessus,
Distulit in messes (ac puto, porrò) duas.
Vix tandem (exactâ plusquam trieteride) cultis
Castra movet portis, blandaque rura petit.
SIRIUS ista Canis, solitô flagrantior, ægris
Otia corporibus suaserat, atque calor.
(Sæva Sionæas æstas incenderat arces:
Hæc, Engaddæi traxit in antra jugi.)
Hîc nemus, hîc fontes, & opaca perambulat horti;
Hîc pictæ pedicas, linaque, ponit avi.
Jámque galeritus viridi Venator in umbra,
Qui trabeatus herì fortè Senator erat;
Duplice præcipites agitat formidine cervos.
SIC horas fallit; sic, Canis astra, cane!

II.

Et Hic Diffamatus eſt apud illum; Quaſi Diſſipâſſet bona illius.

Verſu eodem.

Jam dudum interea Zechri malè perdita vita,
Et cava vinoſi gutturis ingluvies;
Perdere quem cœpit, perrexit perdere fundum:
Retrorſum ac prorſum, ferre, referre, domum.
Fida miniſtra thori, menſæ quoque certa miniſtra,
Contulit huc ſociam futilis uxor opem.
Contulit hujc etiam (ſi fas, manifeſta fateri)
Naufragio, domini tardus ad æqua rigor;
Diſſimulánſque mali, quamvis ſcelus hauſerat, auris;
Indulgens, famuli probra fovebat, herus.
Vix ſerò tandem ſumpta eſt Cenſoria virga,
Servilìs decuit quam magìs eſſe notæ.
SÆPE Illum, primâ damni gliſcente favillâ,
(Si, quam fama dabat, poſſet habere fidem)
Admonuit tempeſtivo vaga fama ſuſurrô:
Sprevit, & in graciles diſpulit illa Notos.
Sæpe illum laceræ melior vicinia villæ
(VICINOS ſiquis crederet, eſſe bonos)
Erudiit, miſsíſque notis, ac teſte ruinæ.
Riſit is, ac, propriam verrere juſſit humum.
Damna fidem tandem extundunt, annoſáque clades;
QUODQUE orbis loquitur, denique credit herus.
Credit: &, ut multùm credat, via magna paratur;
Cauſsáque jam princeps iſta, citabat iter.
Quà via cunque patet, patet & Zechrëia culpa:
Hanc humus, hanc homines, hanc profitentur aves.
Venerat ad ſegetes; ſegetum minor area ſurgit:
Venerat ad baccas, baccifer aret ager.
Balſama luſtrârat; redolebant balſama pinum:
Ficeta intrârat; ficus, acerba fuit.

Prata

Prata recensuerat, pometáque; languit humor:
Viderat & palmas; diriguêre comæ.
Quodcunque aspiceret, sarmenta, armenta, bovile,
Fœnile, & caulas, & nemus, atque lacus;
Ligna loquebantur. pecudes delicta boabant;
Et balabat ovis, nec reticebat equus;
Sylváque, quot foliis, tot linguis, acta sonabat;
Nec muti pisces hoc siluêre nefas.
Omnia clamabant; Depone! extrude! relega!
CULPA, quòd ex nobis nil capis, œconomi est.
Sola, satìs culto turgebat palmite Vitis;
Et, bene curatis ulmus onusta botris.
Cura, patrocinium quæ Zechro debuit, illa
Subruit; hinc reliqui culpa reluxit agri.
Quid meditaretur, quid toto quæreret anno,
Claruit, Ex tanta Vitis amicitiâ.

III.

Et vocavit illum: Et aït illi; Quid hoc audio de te? Redde rationem VILLICATIONIS tuæ! Iam enim non poteris VILLICARE!

Versu 2.

Ergò reversus agris, tam conspirante Manasses
Rumore, incensâ plurima mente coquit.
Vixque interposito sibi sidere temperat uno,
Quò minùs ardentes exspuat ore minas.
Postera prodierat, sed adhuc dubitabilis, Eòs;
Disjecto pariter prodiit ille thorô:
Oeconomúmque citans, solio sedet asper eburno;
Atque ità (dum trepidâ fluctuat aure reus)
VILLICE, ait (Tam plebejo sermonis amari
Principiô, Zechri subluit ora rubor)

Villice ! Quo primùm tibi tempore credita villa eſt ,
Aſtrinxítque tuas cura locata manus :
Moribus è noſtris aliena negotia menſi ,
Credidimus , talem te fore, qualis eras.
Servieras oculis : Exordia prima nitebant :
Hôc, ſatìs in ſervo eſt prima probata fides.
Ex uſu, longóque DIE, qui commoda dictat ,
Cætera rebamur ſplendidiora fore.
Hoc te, vir nauci ! famularia penſa monebant ;
Hoc herus, hoc lucris ingenioſus ager.
Omnia fœdaſti ! Quod me. (ſi lippa ſenectus
Cœlet, & emeritæ debile lucis iter)
Non & veridicæ cœlarent claſſica famæ ,
Claſſica, Dardaniis flebiliora tubîs.
Quid refugis? retróque pedem, cum fronte, retorques ?
Audi, audi ! de re, non bona fama, malâ eſt.
Huc ades, huc ! ſcelerísque tui lege grande volumen !
Sub ſontes oculos ſonticus error eat !
Diceris, Oeconomi faſtu turgere minaci :
O, NON in titulo, eſt verna, ſed, obſequio.
Díceris, in famulos taurinis ire flagellis :
HUMANUM non eſt, ſceptra ferina quati.
Díceris, Inter opus, manibus dare jura remiſsîs ;
CUR facienda jubet, qui nihil ipſe facit ?
Díceris &, pedibus rus viſere rarus omiſſis :
NULLUS arator eris, ni peragrator eris.
Accuſant, dormire die, vigilare Dianâ :
TEMPORA qui vertit, vertet & ille ſolum.
Perdius ac pernox ceſſas, trahis otia, ludis :
RLM, quam perdis, amat perdita vita ſequi.
Dic mihi (Quid ſtupidam transflectis in avia frontem ?
Attentâ potiùs crimina diſce mora !)
Dic mihi ! Quid meruit de te , vel hic ultimus annus ?
Ut tua tam ſterilem cura noverca daret ?
Reſtibiles quis opimat agros ? ſulcátve novales ?
Stercora quis pingui digerit alma fimò ?
Quis mihi ſarrit humum ? quis arat? quis arata reverſat ?
Quis ſerit ? aut operit nuda bidente ſata ?

Quis

Quis, rogo, corrivat? derivat? pastinat? occat?
Fistucat metas? colliquiásque fodit;
Eruncátne aliquis? tribulísve obsessa, repurgat?
Aut secat? aut sicilit? calvaque prata rigat?
Non falces acuis: non inspicare laboras;
Non, tempestivo tritica Sole, metis.
Demessum, non sede suâ, non sidere, condis:
Condita, post Hyades exteris, atque Notos.
Sic intestinis vanescunt humida blattis,
Aut in abortivum tritica gramen eunt.
Cætera quid memorem? Longa est (vel sum̃a sequenti)
Culpa tua: &, solus tædia sermo parit:
Quid mihi jam pariant dispendia? Negligis hortos,
Ac nihil implantas: insitioque vacat.
Non oleam stringis; nec olivi excernis amurcam:
Non rectô palmas cogis in alta situ.
Ballsama plebejo sinis exspirare fruteto;
Aut, inclementi saucia falce, necas.
Lanigerum tondere pecus, mulgére juvencas,
Emulgere capras, atque jugare boves;
Cornipedes admittere equos, submittere tauros:
Et fœtum, & fructum (fœnora ditis agri)
Tu nihili pendis; vel (ut auguror) in tua vendis
Lucra. Scient calices ista, focúsque tuus.
Hinc illæ, hinc, Lacrymæ! dominam tantisper in Urbem,
Nunquam de querula mittitur agnus ove:
Non, de clamosa vitulus genitrice; nec hœdus.
Parva queror. Solymis mella vel ova, volo:
Sed Solymas, non mella mihi, non ova vehuntur:
Non pressi lactis curta mitella datur.
Cúmque hæc diripias, nebulo vafer, omnia; perdis
Omnia: nec tantæ, VILLA sat ampla, gulæ est.
Instrumenta etiam villatica, gurgite sorbes
Ventre, trahas, crates, sarcula, plaustra, rotas.
Quæ, si non ita sunt; ubi sunt? ubi tribula? palæ?
Marra? ligo? vannus? vomis? aratra? juga?
Cætera? Distrâxti, glutîsti, avidéque vorâsti:
Hinc alvus turget nunc quoque, lurco, tua.

Quid mihi respondes? O, Villice, villice! jacta est
Alea! Condemnat te tuus ipse rubor.
Aut igitur meditare aliquid, quo crimina purges;
Aut tibi quære alias, in tua furta, fores!
NON facit ad nostras nequam custodia caulas:
CORDE caret, quisquis credit ovile lupo.
Dispensatorem fortunis postmodo nostris,
Non Dispersorem, perfide, quæro! Vale!
SIC ait. Abscedénsque, reum simul, atque penates
Deserit attonitos: urbica tecta petit.
HOC tandem collecta spuit patientia fulmen;
QUÆQUE venit rabies Sera, Severa venit.

IV.

AIT autem VILLICUS intrà se; Quid faciam? Quia Dominus meus aufert à me Villicationem! FODERE non Valeo: MENDICARE erubesco.

Versu. 3.

Qualis, fulmineo pastor cùm stringitur ictu;
Tunc quoque, cùm stagno fulgura mersa, silent:
Externata tamen sonitu præcordia versat;
Státque metu, nec stat: non videt, atque videt.
Vivit; & ancipiti nescit sub funere vitam,
Ex animi dum se colligat ipse fugâ.
Talis erat, dominâ Zechrus tremefactus ab ira:
Lymphatum videas, immemorémque meri.
Vix tandem dubiô mentis sibi redditus æstu,
Radere dente ungues institit, ungue caput.
Advocat uxorem. Nihil ad rem, suggerit uxor,
Advocat arcani pectoris omne forum.
Excutit, expendit. Varia est, in duplice pelle,
Diphthera: non uno vertitur illa dolô.

In nemus excurſat (NEMUS, eſt meditantibus aptum)
Ad numerúmque pedes, conſiliúmque, movet;
Quas nunc (inquit) opes? quas invoco naufragus artes?
Non eſt in tanto, cymba vel una, ſalo.
Enato fortunæ pelagus? Nimis ampla procella eſt:
Nec mea ſunt liquidæ brachia nata viæ.
Nil hauſi (niſi, quos arcent Sacra ſobria, fontes)
Nil didici, (niſi, quod dedidiciſſe velim)
QUID Faciam? Labor unus erat, fugiſſe labores.
Heu! quid Agam? Quintus luditur Actus hero!
Jámque, Vale! dixit: profugo pede, Plaudere juſſit;
Triſte recenſebat Calliopeja Telos.
Drama celebratum, famoſa cataſtropha claudet:
Et vulgi fiam Fabula. Vah! quid agam?
Diffugiam? comitémque fugæ vectabo Phenennam?
SARCINA magna ſatìs, vel mihi Solus ero.
Diripiam Villæ reliquum? & ditabor abactis?
Mugitu prodet devia furta pecus.
Perſtabo? ſuppléxque, pedes prenſabo patronos?
Oh, REFUGIT timidas maſcula culpa preces.
Expellar? vacuúſque, meo jam veſpere cœnem?
Unicus, è plumbo, ſiclus in hoc loculo eſt.
Sudem? inhiem? Fodiam? renovémq; ligonibus arva?
Ah, fregit tremulas curva chiragra manus!
Pro Porta ſedeam Specioſâ? aut oſtia pultem?
MENDICAS tinget purpura fœda genas.
QUIN potiùs, Si pauper ero, ſi ſidera cogent,
PAUPERTAS artes, ingeniúmque cient?
Fraudibus inceptum eſt: claudantur & ultima fraude,
Abjectæ eſt animæ, dicere; QUID FACIAM?

V.

SCIO, Quid faciam: ut, cùm amotus fuero à VILLICATIONE, recipiant me in domos ſuas. Convocatis itáque Sin-

gulis debitoribus domini sui, dicebat primo; Quantum debes domino meo? At ille dixit; Centum CADOS Olei. Dixítque illi; Accipe Cautionem tuam, & sede: citò scribe, QUINQUAGINTA. Deinde alii dixit; Tu verò, quantum debes? Qui ait; CENTUM Coros tritici. Ait illi; Accipe litteras tuas, & scribe, OCTOGINTA.

Versu IV. V. VI. & VII.

NUNC SCIO, quid faciam? Miseri, mercentur amicos!
 SÆPE tulit miseris emptus amicus opem.
DIFFUGIUNT, quos fecit amor sanguísve, sodales:
 ASTRICTI lucris, vix retulêre pedem.
COMMODA Sauliadas hodie, faciuntque Davides:
 CUI tu largus eris, jam tuus, Alter Ego, est.
QUOD fieri solet, & facile est; largire, ligáque!
 Hos, domini è corio vincula secta, ligent.
Hos domini dita (Jus, an, dolus? arguat æther!)
 Censibus: & solvat debitor arte fidem.
Verba det, in tabulis, pro Nomine! credita truncet!
 IMMEMORI, facile est, imposuisse SENI.
Extrusum, lare quisque suo, pro fraude, locabit:
 Sic, si non Consul; non tamen Exul, ero.
Talia decernit: decreta, reversus in ædes,
 Exsequitur. solium Zechrus herile premit.
Mox (velut Oeconomo jam grandior) ora nocentis,
 In dominas mutat. judice fronte, minas.
E casulis hinc, indè, suis (ut quisque remoto
 Accoleret vallem, seu propiore, situ)
Dimissis circum famulis, Davóque, Getáque,
 Ære gravi pressos, evocat agricolas.

Haud

Haud mora! concurſant, quicunque Manaſſis in ære
Cum Staphylo, Staſimus; cum Raguele, Stachys:
In manibus, ſua cujque Fides, ac ſyngrapha captæ
Mercis; &, Oeconomi de gravitate, tremor.
His ſtrictim Zechrus ſubductâ fronte; Quouſque
Æs differtis? (ait.) flagitat aſper herus.
Nec Domini tamen iſta, (Viri) eſt, eſt temporis horni
Aſperitas: Segeti defuit horna fides.
Sed neque ſum Exactor vobis ego ſævus. Ad oſſa
Si deglubat herus; non ero Sector ego.
Audiat ipſe licèt! (quem rectiùs iſta latebunt)
PRÆSTAT, Obæratis mitia jura dari.
Et mihi pro vobis (quos damna domeſtica carpunt)
Decretum eſt animo, peſſima quæque pati.
Vincula & exilium, quàm veſtra gravamina, malo:
SIC Veſtri quondam nos amor iſte juvet!
Dixerat. Ac dictis, fiendo applausêre coloni:
Tum, gratâ ſpondent hæc meminiſſe vice.
Ille jubet, ſua quemque, libris exſcripta, referre
Debita: mox, numeros æris inire ſui.
Hos initos, minui mandat; tabulaſque novari;
Nomine pro grandi, ſcribite quiſque minus.
Qui Centum è dominis profitetur habere trapetis,
Nunc Quinquagenos debeat ille batos!
Qui de triticeis, numero pare, ſumpſit acervis;
Bis denos centum detrahat ille Coris!
Par ratio muſti eſt, par velleris (inquit) & horti:
Omnia, ſi ſapitis, charta Minora dabit.
Nec refert, quòd ſcripta fides, quod Cautio, manca eſt;
CAUTIO tunc plena eſt, cùm cavet ipſa Sibi!

VI. Et

VI.

ET LAUDAVIT Dominus VILLICUM INIQUITATIS; quia PRUDENTER fecisset.

Versu. 8.

Fecerunt mandata viri. Rediêre (premente
Jam minùs ære graves) calle, per alta, levi.
Zechrus at ejicitur. Prodest fallacia pulso:
Hospitium Staphyli quo relevetur, habet.
Certatim Raguélque vocant, Stasimúsque, Stachysque:
Symposium Stasimi quo recreetur, amat.
Pro libitu reliquos (ceu dictant tempora) tondet.
SIC pretium, pietas Impia, fraudis habet.
Audit & hospitium Zechri, latebrásque, Manasses:
QUEM laqueô decuit, laude sub astra levat;
Prodigus ut fuerit nobis, sibi providus (inquit)
Vulpinâ tectum quæsiit arte lupus.
Nos, nece patratâ, REFUGI de nomine dictas
Cogimur in turres: vitáque tuta, latet.
Post, ADIUTORI lapidem, Masphatica clades
Repperit: Ac multis profuit ille lapis.
Fertur & Ausonius struxisse Quirinus ASYLUM:
Ut, quos caussa nequit, protegat ille locus.
Hæc tria (quis credat?) Lapides, & Asylon, & urbem,
Sublestæ in fidei repperit iste casis.
Hîc sedet, hîc tegitur: Tuta hæc in mœnia, nostras,
Quò reperiret opem, DILAPIDAVIT opes.

CAN-

CANCER
IVNIANVS.

Sermo Eorum, ut CANCER, Serpit.

II. Timoth. II. Versu. 17.

ELE-

ELEGIA XIV.

·SATYRICA.

A CANCRI *permeando signo, deterrere* SOLEM *conatur; enumeratis* CANCRORUM *vitiis.*



Argumentum.

CANCER, LEO, *Virgo, Draconésque; &, cum Canibus, majores ursæ, minorésque; ac siquid aliud antiqua Poësis, in sideribus animavit: in Mathematicorum ingenioso cerebro vitam, animam, & formas habent; in cælo,*

cœlo ipso non habent: Sed certarum constellationum (sive in ZODIACO, *sive in reliquo ætheris tractu) dispositæ, velut Imagines relucent; tam subinde longè dissidentes à nominis sui veritate; quàm procul Ganges ab Rheno, vel Indus ab Ibero distat. Quare nec in Cœlum, Lector, peccamus, nec in Cœlestes animas; si Zodiaci* CANCRUM, SOLARI *cursui nitimur odiosum efficere; pulcherrimiq;* SIDERIS *gratiam, à tetri vultûs* MONSTRO *abalienamus.* NEC ENIM *superas sedes unquam ullus intravit* CANCER. *Qui si tamen vel maximè introîsset; exagitandæ, per satyricam Elegiam, retrogradæ bestiæ licentiam daret & condonaret, non tantùm Ingenii, sed etiam poëticæ consuetudinis, usus. Sic enim, exemplô vetustiore, in res, à Deô conditas quidē, cæterùm aliquâ subinde conditione vitiosas, stylum acuerunt, maxima Parnassi ornamenta,* NASO, SIMONIDES, *& complures alii: dum Auroram, dum* AMNEM, *dum Fœminarum* DECUPLICEM *naturam, aliáque, traduxerunt: accusandi sanè, si Res ipsas; absolvendi, si rerum Abusum, vexaverunt. De Argumenti*

menti mei innocentiâ, hoc ſatis eſto. DE CANCRORUM *autem variâ proſapiâ, lector obvius intelligat; magnam etiam* VOCABULORUM *natam farraginem, ad unici tamen Cancrorum generis ſignificationem tendentium. Nam & Aſtaci dicuntur, & Cárabi, ac Pagúri, & Hippeis, & Pinnophylactes, atq; Cilices, & Heracleotici Cancri; Majæq;, & Leones; ac ſi quid aliud præterea monſtroſi nominis, in hac Elegia ſequentive, occurrerit. Eorum omnium Tibi, (quiſquis pervolvere dignaberis) & Rationem Geſsnerus, & Naturam deſcribet, Aquatilium Libro IV. à titulo, De Aſtaco: ubi inter cætera (paragraphô de Leone) Effigiem interſerit Aſtaci, ſeu Cancri* MARINI: *quem (inquit)* HUMER *vocant Germani, ex deſcriptione Septentrionalium regionum* OLAI *Magni. Is ingentem eſſe ſcribit, inter Orcades & Hebrides Inſulas;* & tam validum, ut Hominem chelis apprehenſum, ſuffócet. *(Pernicioſæ ſectæ Doctrinæq;, non obſcuro Symbolo, & Emblemate.) Nunc à Te, Benevole Lector, paucis Monito;* SOLEM *cœleſtem (ſed Demonitores) alloquamur.*

JAm medium tetigit Junonius æthera mensis;
Déque Gemellorum sidere Phœbus abit.
Zodiaci superest, en, ultima semita, CANCER!
Ad Boream ulterior non datur indè via.
Post hoc exactum, revoluto tramite, signum,
Retrogradas discet Sol agitare rotas.
Et meritò! tunc digna LEO Nemeæus eunti
Tergora præsternet: VIRGOQUE pandet iter.
Jam nunc (consiliis adhiberer idoneus ullis
Si vates) auctor, Sol tibi magne, forem;
Ne cœli hoc ulcus, ne carcinoma, subires;
Unde tibi Herculeus sit, remeare, labor;
De quo vix salvo possis temone reverti.
Infaustæ est, nostro CANCER in orbe, notæ.
Ergò tibi metus hic, vestro quoque fiat in axe!
Cœlum, etiam pulsô monstra Dracone, fovet.
Tu, qui tam cautis magnam fugis, atque minorem
Flexuris URSAM, flammivomósque Boves:
Qui neque Persephonen, nec adis Plutonia regna,
Ne tua tergeminus terreat ora Canis:
Parva times; & summa potes portenta, videre?
Pythonem tantum vix ego credo malum.
Et tamen ille tibi metui fuit, ante ruinam.
O, tu, si CANCRI noveris omne nefas!
Qui primis Cancrum potuit contingere palmis,
Palmares habuit scilicet ille manus!
Verè audax, idémque (reor) bibiturus hianti
Gutture, vel flammas, vel Phlegethontis aquas.
Adspice (sed, procùl) à summo scelus istud, ad imum:
Invenies, odium grandius angue, cane.
A capite ad calcem pingamus! Erinnyes in te,
O Cancer, Lernês vel stabulantur hydræ.
Os tibi dentatum: caput est, in cornua ductum
Quattuor, armatis cornua torva minîs.
Corneus hinc, atque hinc, excurrit acumine contus
Duplice: qui fœdo mystace fingit acum.
Lucentes, sed nequam, oculi; lævísque tuentes,
Hic Boream obliquum vultibus, ille Notum:

Serra-

Serratáque truces ſinuatæ forcipe chelæ :
O digiti ! O, pulcris brachia ducta toris !
Hoſtibus eveniat noſtris hic amabilis Index !
Hic mollis pollex ! hæc tua blanda manus ! (perbos
Tergora quid memorem ? (nam colla, humeróſque ſu-
Detraxit cunis Tethys avara tuis.)
Tergora cruſtato ſemper thorace tumeſcunt ;
Qui, ferrugineâ quam benè ſorde micat!
His alvum tegis, atque trahis, rigidamque, ſcabrámque;
Putiduliſque cavam ſordibus ingluviem :
Octonis graderis pedibus ; ne peſſimus, Octo
In genibus, Bipedum, quadrupedúmve, fores.
Extremum, quod peſtiferi tegit ominis Ova,
Sex ſecum crates mobile ſyrma vehit ;
Et quinis finit ſe cauda comata flagellis :
His, ventrem irató ſæpe tremore ferit.
CORPORA deſcripſi. Sed non ſunt ſola timori
Corpora. nam Mores plus feritatis habent.
In latebris plerumque trahit, cum muribus, ævum :
Quáſque colit natrix, has colit iſte domos.
Hinc eſt; Troxarten quòd ſæpe retraxit aquoſum,
Aut trepidis Hydri ſibila colla volis,
Sacrilegas Cancri ſcrutatus in amne cavernas,
Piſcator; morſas ingemuítque manus.
Dum vagus interea vel ſaxa doloſa Procuſtes,
Cancer, & inſidias, aggere tectus, amat.
Hîc præda eſt. Prædantur enim gens Barbara. (Phœbe)
Crebraque ab hoc ipſo commoda menſe legunt.
Nam; ſimulac tremulas, Junonis menſe, lucernas
Cynthia ſuccendit, Luciferíque facem ;
Diverſo ex undis proreptant nomine monſtra
(Quem non, vel nudi nominis arma fugent ?)
Aſtacus, ac Majæ; Leo, Carabus, atque Paguri,
Atque Almonicolæ, Coryciæque feræ :
Sidoníque Hippeis; &, dictus ab Hercule, cancer;
Nec grex plebejus Pinnophylacis abeſt.
Cuncti hi, nocturnis pervadunt paſcua furtis :
Decutiunt rorem, depopulantur olus.

Proti-

Protinus in Lycias (minor est injuria) ranas ;
  Atque in pisciculos (hæc gula major) eunt.
Vix tandem, Aurorâ tenebras abigente, reversi,
  In meliore terunt rostra cruenta dape.
Sive caballinum venentur in amne cadaver
  (Hoc cùm nôris; equis, hev, cave, Phœbe, tuis !)
Dente caballinum lacerant bellace cadaver,
  Seu, quæcunque vadum carnea frusta trahit ;
Carnifices figunt in olenti funere morsus :
  Vidi ego, dum pronis me vehit Ister aquîs.
Crudus ab extrema pendebat capo phaselo,
  Limpida proscisso flumina ventre bibens.
Sic sibi syncerum, sic credidit archimagirus
  Gallum incorrupto carnis odore fore :
Sed prædam Cancri, mediâ caponis in alvo,
  Præripuêre coquo, præripuêre foco :
Semilacer, fœdóque macer, depastus hiatu,
  Pensilis infido gallus ab amne redIt.
Audi aliud ! CANCER, Boreales Hebridas inter,
  Orchadicósque sinus, sustinet esse lato :
Vastáque (Quis credat ? sed credite !) corpora, nautas,
  Vastior horribili comprimit ipse manu.
Quòd siquando viri, vel aquatica funera, desint ;
  In semet, strictis cornibus, arma movent.
Agmina conglomerant, galeatáque prælia cancri,
  Frontibus obnixi forficibúsque, cient.
Victa pavet legio; retróque trahente pavore,
  Cuj dant ora alii, terga dat ipsa, fugæ.
Omnia quid memorem ? Captus licèt, atque prehensus,
  Tractus & ad meritos victima rubra focos ;
Quid, nisi Plebejus cibus est ? nisi sumptus avari
  Hospitis ? ex oboli cuj scobe, cœna nitet.
Vidi ego, qui lignum, Cancrum è [illegible], esse
  Crederet excoctum : Projiceretque fimo.
Vidi ego, pestiferum stomachis qui diceret ægris ;
  Et Sano Insanam crederet esse gulam.
Vidi etiam, qui mensarum non duceret ullo
  In numero cancros; sed simulacra cava.

Hem

Hem tibi lautitias ! hem nobilis alitis ovum !
  Ex quo vel tandem Scorpius ire poteſt.
Namque ferunt, Sexto dum te, Sol, menſe rotatum,
  Per Cancri Phaëthon brachia rubra trahit;
Cancrorum, in ſicca tantiſper funus arenâ
  Deſertum fieri Scorpion, ore novô.
Nec ſatis huic, metamorphoſis tam tetrica, monſtro;
  Tranſit in hæreticum tam Fera vafra logum :
Schiſmaticúmque fovens, diſpergit in obvia, virus;
  Quale, Philete, tuum : quale, Hymenæe, tuum.
Tranſit & in fœdum Cancri vis ſontica morbum :
  Carptáque furtivo pectora dente vorat.
O peſtem ! ô Cancrum ! ô, Furiis quoque flebile vulnus!
  Sed, premere hæc hodie, læta Thalia jubet.
Interea, cave, alme, cave, ſol auree, Cancrum !
  Irruere in frontes nam ſolet ille bonas;
Et faciem, ac malas, fluidáſque erodere nares.
  Ah ! etiámne tuas polluit ille genas ?
Polluit. Hîc fabor, quod ſuſpicor, optime Titan :
  Per Cancrum, tot jam ſæcula, volvis equos.
Unde tibi (dic, quæſo) notæ, quæ lucida fœdant
  Ora, mathematicis grande problema ſcholis ?
Sint aliis MACULÆ ! mihi Carcinoma videntur,
  Atque cicatrices, quas tibi Cancer arat.
Quare agè, ſi ſapis, atque capis tot, Apolline digna,
  Phtegmata; ab infami calle reflecte rotas.
Effuge, ſi poteris ! Si non potes, obtere Cancrum ;
  Nulla ſit hôc ſtellis nomine digna via !
Aſpice mortales : his eſt noxa ultima, Cancer ;
  Nec, niſi Minois diſcrucianda foro :
Námque vel æratis torrent in pelvibus illum ;
  Quo vix vel Phalaris triſtius edat opus :
Aut vivum ac vegetum, & ſpirantem flumine mergunt;
  Ut Luat hoc flammis, Eluat iſtud Aquis.

ELE-

ELEGIA XV.

CANCER DEMERSUS.

Historico-Mythica,

seu,

APOLOGICA.

Argumentum.

IMMANIBUS, *insolentibúsque flagitiis, semper Consulta Antiquitas, magnum & ingeniosum* SUPPLICIUM *investigavit : nonnunquam etiam perquam convenienter invénit. Sic* METII *Suffetii, Dictatoris Albani, distractam in utriusque fortunæ casus Perfidiam, Tullus Hostilius, rex Romanus, actis in diversum quadrigis lacerantibus, ultus est. Sic Vestales, Virginitate defloratâ, tanquam Telluris antistiti Vestæ parùm fidas, Roma* TERRÆ *viventes spirantésque infódit. Sic Patricidii Matricidiique reos atque convictos, culeis insutos, cum cane, viperâ, gallinaceóque, in fretum vivos Pri-*

ſcæ leges abjecerunt: ut neque terrâ, neq; cœlo; non aquâ ipsâ, communique omnibus aurâ, Vitæ noſtræ elementîs, propitiis fruerentur illi: qui Vivendi ſibi Principia indulgentiſſima, PARENTES *inquam, ſceleratè jugulâſſent. Sic deniq; Majeſtatis proditæ condemnatos, de Rupe Tarpeja præcipites egerunt: ut Altiſſimæ Reip. meditatam Ruinam, Profundiſſimo* CASU *penſarent.*

Vetuſtatis iſtam tam rigidam Sapientiam, recentiores ſecuti UTOPIENSES, *in quodam inſulæ ſuæ vico,* CANCRUM *grandem Viventémque. quòd is pagani Prætoris filiolum mordicùs lædere perſeverâſſet; Atrociſſimo poſt hominum memoriam Supplicio ſunt aggreſſi. nam,* AQUIS DEMERSUM, *intercludere ſpiritu, conati ſunt.*

Hàc tenus Argumentum. *nam ad Titulum quod attinet;* ELEGIAM *appellavi* HISTORICO-MYTHICAM, *ſeu* APOLOGICAM. *quoniam, Rem nuſquam verè geſtam, & per ſcomma tamen Loco non uni affictam; rectiùs ad Fabulas hiſtoriam mentientes, atque ad* ÆSOPI *Phrygis figmenta, relegamus. Quocirca (per nos quidem) ad*

inſu-

insulanos UTOPIENSES, *sine ullo Veritatis naufragio, abnaviget.*

QUIS locus ille fuit? (memori refer ore, Thalia;
Si meminisse potes) Quis fuit ille locus?
In quo tam tetrici resident monimenta theatri,
CAPTUS, &, hev! PLEXUS, vindice Cancer aquâ?
IBAT ab Utopiæ piscosâ bajulus urbe,
Per pagum hunc, aut hunc, urbs Trigaléra, tuum.
Vimineâ clausos gestabat corbe pagúros,
Aut hujc, aut illi, vendere promptus hero.
Excidit hujc retrò Cancer; quem perdidit unum,
Nescio quo fati, fiscina laxa, dolô.
Unicus, at vægrandis, erat, facilísque notari.
Sed, NEMO properans, post sua terga, VIDET.
PER pláteas tunc fortè vagans prætorius Infans
(In Villis prætor quantulus esse potest)
Simulus, ac tenui bysso ludebat amictus:
Solus erat. Solus viderat ergò Feram;
Monstrificúmque ratus, furvo sub tegmine, Saxum:
Sustulit, incautis applicuítque labris.
Jamque infantilis trudebat in ora palati
(Nam, quæcunque capit parvulus, Esse cupit.)
Restitit, ac nasi Cancer vicina prehendit
(Longiculus puero nasus, & aptus, erat)
Continuò exclamat, trinepos ceu Stentoris, infans:
Hic clamor captis Urbibus esse solet.
Concursant pagana manus: Plebs infima, summa,
Vir, mulier, juvenes, & pueri, atque senes.
Hic, de straminea Prætor quoque devolat aula;
Cúmque suo, Villæ præside, Juno Jove.
Aspiciunt flentémque illum, Cancrúmque cruentas
Pressantem nares. CEDERE nare, jubent.
Non cedit. Clamant: Nihil hic clamore movetur.
Terrorem ingeminant; Fortiùs ille premit.

 Ohe,

Ohe, ohe! fuge! (ſucclamant) fuge, dira Megæra!
Hic manet, & carpit: Flet puer, Ohe, ohe!
EDICTIS Cancrum hinc, Interdictíſque repellunt;
Extremo hôc Prætor fulminat igne reum.
Nec fulmen tamen ille timet; neque ſævus omittit,
In re jam prensâ quod ſibi juris habet.
Non ſtrepitu Lictor, non vocibus arcet Abactor;
Cùm tamen his paſſer pareat, atque grues.
Sed neque paſſer erat, nec Strymonis áſtacus ales:
Et tamen in pingui tunc erat ille ſato. (nec re,
Hev, quid agant, quibus hoc monſtri neque nomine,
Notum unquam? quibus eſt unica viſa Ceres?
An, Styge ſubmiſſam hanc peſtem, quaſi Cerberon olim
An Libyci fœtum ſideris eſſe putent?
An magìs, expoſitam Lucinæ degenerantis
Progeniem? ac miras, ab Jovis axe, minas?
Abripiant? quis tentet opus? Puer ergò peribit?
Quid ſi Naſum unà quis ſecet, atque feram?
Curia ſuadebat, ſed Conſo curia nullo:
Quâ, Calchante, omnes Iphigenia forent.
Conſilium melius (quod ſæpe miniſtrat arena)
Carnifici Coraci ſuggerit ipſe timor.
Hic dextram æratis manicis inducit, &; Heîc jam
Tuta, vel in Parthas tigridas, arma feram!
Conſultum puerili animæ ſi fortiter itis;
Ne toto ſenſim corpore virus eat,
Cum læſa lædentem unà cito, parte revellam.
Dixit is: injectâ diripuítque manu.
Sed, ſimulac rapta eſt laceratæ portio naris;
Semjanimis trahitur, ſub ſua tecta, puer.
Hic plorat, lachrymíſque ſimul, teneróque cruore,
Infundit matrem: vindiciáſque rogat.
INTEREA, populi projectus ob ora, nefandus
Carcíni aſpectus mira theatra ciet.
Expendunt oríſque truces, cum cornibus, iras;
Bináque falcato brachia fiſſa ſinu.
Octonos, eôſdémque agiles, & ſemper-ituros,
Obſervant ſtupidâ ſimplicitate, pedes:

Præci-

Præcipuè hos Oculi terrent, divorsà tuentes.
Ut quemque aspicerent, SE putat ilie peti:
SE posci fatis: SIBI proxima funera, Cancri
Portendi intuitu. Vestibus ora tegunt.
Dúmque sub inverso (QUID non, pavor inscie, fingis?)
Ventre, palàm caudæ tractilis ova notant:
Centum alios (in cauda) Oculos, nigra lumina, clamant,
Suffundi sanie, Colchiacáque lue!
Aut Argum, aut Argi sub ea, recrescere manes.
QUIDQUID id est, certè tollite! (Prætor ait)
Sed, quâ pro meritis pœnâ? Respublica curet,
Ne gnatos mecum perdat & illa suos:
Neu cum Sole malum vires trahat atque valescat.
GRANDIBUS exemplis noxia grandis eget!
Consultant igitur. Tandem, Exitiabile monstrum,
Patribus est visum, præcipitare fretô;
Sic poterant (ajunt) servari Pergama quondam,
Sub Pontum Danaus si priùs isset equus.
Pœna placet, pœnæque gravis rata caussa probatur;
MERGITE (conclamant) mergite probra Mari!
Pars quoque, furcillis dirimi vult guttura Cancri;
Certiùs ut capiant ora soluta vadum.
Has illos docuit Themidos clementia leges.
SED, nemo est ausus prendere rostra feræ;
Nemo reum antrorsum, retrorsum tangere nemo.
Ingenti tandem forcipe crura trahunt.
Hanc faber hos ipsos mòdò deproperârat in usus,
Eminus ut prendi noxia posset Hydra.
Jámque Fretum attigerant, hoc est, digitale Profundum,
Ac laticem, Rivis vix quoque víxque, parem,
Huc. ripas hinc indè vagâ complente coronâ,
Hev, rabido Cancrum turbine præcipitant.
Immanem populus clamorem ad sidera tollit.
At læto Cancer ventre flagellat aquas:
Liberiórque Suo jam in REGNO, plausibus alvum
Alternis feriens, gurgitis imma petit.
Hoc ipsum insanas movet, in nova classica, voces;
Evohe! Res, (clamant) res, ô, amara, MORI!

Cernitis, ùt tremat? ùt fremat? ùt miser ultima tentet?
Ut vel cauda haustam sentiat ipsa necem? (sum
Ut prorsum? ùt sursum? ùt volvit sua membra retror-
NEMPE, graves noxas & levis Unda premit!
Sub Lessum hunc abeunt. Valeas ergò, unice Cancer;
Tam rigidus, Prætor, cuj Rhadamanthus erat!
Postmodo Commune hoc statuetur in orbe Tribunal;
Omnia, si peccent, sic elementa fluent
Utque reum mersêre undis, gens unica Juris
Interpres, Cancrum; sic cadet omne reum.
Flumina submergent, ubi quemquam flumina perdent;
Infodient terræ, si sterilescat Humus.
Auram, siqua gravet, Brasilâ feritate vorabunt;
Comburent IGNEM; siquid ab igne flagret.

LILIA.

LILIA.

Florete flores, quasi
LILIUM!
Et date odorem: & fron-
dete in Gratiam; & col-
laudate Canticum.

Ecclesiastici XXXIX.
Versu XIX.

ELEGIA XVI.

LILIORUM PULCRITUDO, VARIETAS, ET ODOR.

Argumentum.

Se, inter scribendum, Horti subjacentis LILIIS, *in Collegio Anglipolitano, apprimè non solùm oblectatum; sed etiam, propter Odoris præstantem halitum, cerebri viribus auctum fuisse.*

Observa porrò, Lector benevole: LILIA *non paucis scriptoribus, inter Vernas potiùs, quàm Æstivas,* DELICIAS *computari. Nobis tamen, ut qui sub Arctoo climate & scribimus, & orti sumus: quibúsque Alba præsertim* LILIA, *vix unquam ante Solstitium æstivale adolescunt; jure meritóq; placuit, Titulis potiùs Delicata Æstatis, quàm téneri Veris, id Florum genus insertare.*

Complura verò leges, in subiecta Elegia, LILIORUM *nomina generáque: de quibus exactiùs scripserunt Adamus Lonicérus, Herbarii Parte. 5. c. 371. 372. & 373. Q. Apollinaris, Enchiridii Libro 2. Mat-*

Matthias Lobelius Insulanus, in stirpium Historia. Petrus Penna, in stirpium novis adversariis. in quibus tu non sola tantùm vocabula, sed effigies quoque genuinas recognosces: & unà mecum adorabis, cum Auctoris Naturæ Latriâ.

Græcia prisca LILIUM *nominat* Κρῖνον, Κρινάνθεμον, Κρινόῤῥοδον, Λείριον, Σῦσον, & Ἀφροδίτης Χάρμα, *quasi dicas, Veneris Gaudium: quod tamen veriùs* VIRGINITATIS *nuncupari debebat.*

DUM mihi primævi deductus origine mundi,
 Biblicus historicis curritur ordo rotîs:
Dum Sex scribo Dies, & sex annosa dierum
 Pegmata, queîs cœlum nititur, atque chaos:
Assyriúmque nemus, paradisæámque Damascon,
 Et Babyloniacæ coctile molis opus;
Ac priùs, incastum gemuisse sub imbribus orbem:
 Ac pòst, sub flammis Pentapoléa probra.
Thariadénque patrem, duodenorúmque Nepotem
 Auctorem Patrum; legiferúmque Ducem:
Et Nilum, & Memphin, Pelusiacúmque tyrannum,
 Obrutáque Arabio Thaphnica castra fretô;
Sinæásque tubas; &, post sexennia septem,
 Jordanis domitas, atque Cedronis, aquas:
Et, quidquid terris, &, quidquid Josua cœlo,
 Imperiis jussit stare, vel ire, suîs;
Talia dispositis dum mando oracula chartîs;
 QUIS defecturum Spiritus implet opus?

NAM, mihi qui cupidam modulamine defricat aurem,
Mobilis, in caveæ ſpinulus arce loquax ;
Auribus ille quidem; non & tibi ſervit, Apollo :
DEBILE robuſto gaudet odore caput.
Quid mihi cum ſonitu nudo ? quibus affluit alîs,
Diffluit; ac, vacuâ dum ferit arte, perit.
Vos potiùs, quos noſtra vident Muſéa, tegúntque,
Ne Libyci poſſint nos violare Noti ;
Horti, (ò , ter-ſvaves animandis verſibus horti !)
Surgite ! Sit veſtri muneris Aura bona !
Sunt vobis, tereti ſurgentia Lilia caule ;
Lilia , jam valvas tangere nata meas.
Areolis ut quæque ſuis, ità diſſita formis ,
Ex vario patriam ſideris axe trahunt.
Hic, Coſmi Hetruſcis è mœnibus, Irides aſtant ;
Radicem, violæ vernus honeſtat odor.
Hic & Achæmeniis aſſurgunt Perſica bulbîs :
Cypreſſum ſimulat pyramidatus apex.
Et Phrygiæ, &, videas, Phœniſſæ germina glebæ ;
Ac, Veneris falsô, χάρματα, dicta ſono.
Cœrula flacceſcunt : & pendent Lilia gilva :
Stant quoque, Coryciô plurima tincta crocô.
Ebria Sarranô ſtant magnáque, parváque, ſuccô :
Sed regnum ac ſceptrum Candida ſola tenent.
Vivit in his Nabathæus odor, calet aura Sabæa ,
Inda viget balanus, malobathrúmque Syrum.
His ego, vel visîs, morientes integro ſenſus :
Doctior è minimo nervus odore venit.
Carpere , quid faciet ? quanquam, ſit Carpere parcum !
DEBET, in Eximiis, uſus habere modum.
Mella ſapore juvant ; tamen, Immoderata, nocebunt :
In quovis nimio, copia crimen erit.
Ergò, unum ſummæ poſitum ſtatione feneſtræ ,
Sat mihi liliolum eſt. Cætera Flora, vale !
Hoc ego, fictilibus riguum nutrire diotîs
Anxius, affuſo ter recreabo vadô.
Manè, meróque die potos, & veſpere, rores ,
Cum multo creſcens fœnore, reddet odor.

Hic

Hic mihi per geminas, blando ſpiramine, nares,
Robur inexhauſtum ſparget ad uſque caput.
Ex foliis ſenis, folium ſi forſitan unum
Defluat; exſudat ſtilla ſalutifera.
Hanc ſtillam, hoc oleum, neque σȣ́σινον eſſe Galenus;
Nec Grajum Hippocrates Λείριον eſſe putet.
Tu potiùs (quoniam prope lampada Lucubro talem)
Id DEMOSTHENICUM, Muſa, voces Oleum!

ELEGIA XVII.

IMAGO

B. ALOYSII GONZAGÆ, SOC: JESU,

CHRISTUM, *mediis in* LILIIS, CRUCI *adfixum, arctè complectentis, atq; baſiantis,*

CUM HYPOGRAMMATE,

Dilectus Meus MIHI! & EGO Illi! qui Paſcitur inter LILIA.

Canticor. 2.

(Obiit Beatus hic Juvenis XXI. die Junii.)

VIVITE Bellifoli pictoris, vivite, manes;
Cujus ab artifici ſpirat Imago manu!

Quàm nitet ad vivum genuino ALOYSIUS ore?
CASTILIONIDUM gloria ſancta Ducum?
Quamvis ille, procul poſito diademate gentis,
Et procul excuſſis, quæ daret Aula, bonîs;
SOLUS in abſtruſa videatur ſtare Seripho,
Aut in Marmaricis nobilis exul agris:
Non tamen eſt Solus; qui, vel Deſerta frequentans,
Ipſe ſibi Præſens ſemper, & Alter homo, eſt.
Qui digito cœlum, virtutibus aurea tangens
Sæcula; ſupra homines, Angelus aſtra tenet:
Aligeráſque inter medius premit arva phalangas,
Arva, ciſalpino luxurioſa Pado.
Hunc Mæandræo circumluit advena fluxu
Mincius; ac ſummas flore coronat aquas.
Ipſe, manu clauſum, vibrat intrà Lilia CHRISTUM;
Cujus quinque rubent vulnera, quinque roſis.
Hunc premit, hunc amat, hunc ſtrictis Aloyſius ulnîs
Implicat; hunc nexis baſiat uſquè labris;
Oſculáque addenſat. Sic mutuus, ille fit illi,
Alternante animâ Floris & Oris, AMOR.

ELEGIA XVIII.

LILIA EXAMUSSIM PICTA.

Adversùs Panto-Momum.

LILIA, quæ, MincI viridantibus adſita ripis,
Bellifoli, in tabulas, altera cura dedit;
Quàm bene defixis hærent fruticantia bulbîs!
Vix queat hæc Pæſti tàm ſolidare labor.
Quàm perpendiculò ſcapi ſe pertica tollit!
Arte Corinthiaci vix imitanda fabri.
Nativo circùm ſerpunt Folia arcta ſmaragdô,
Ex immo, ad ſummas ambitioſa comas.

Ardua

Ardua magnanimâ ſurgens ſtatione columna,
Erigit ad cubitos, culmina, pæne duos;
Supremóque ſuî fundens in vertice flores,
In calyces plures deſinit unus apex.
Parte calyx aliâ, jam pubere fractus hiatu,
Maturo ſolvit labra repanda ſinu:
Labra tot, in Maji quot currunt ſidere Nonæ;
Splendida, & Odryſiâ candidiora nive.
Non tanto rident alabaſtrina pocula cultu,
Arceſilaæâ pocula ficta manu:
Nec Parii lapidis, Libyci neque dentis, & oſſis,
Aut argentati gratia tanta ſcyphi eſt:
Quamvis ſaxum Alcon, quamvis ebur ipſe poliret
Praxiteles Calaber, Trinacriúſve Myron.
In medio floris croceo ſtylus aureus ortus
Vertice; criſtato claudit honore caput.
Ad ſummam! Sic Picta vides, ut Vivere credas:
Sic Vivunt, ſimul ut lilia Picta putes.
Nam pariter Spirant (quod vix didicêre colores)
Et durant (quod vix lilia viva queunt)
Denique; Quodcunque eſt, Exactæ eſt Palladis: atque
Pro titulo, FECIT; non, FACIEBAT, habet.
Huc tamen accedens, ſutorum è gente picatâ,
Neſcio, quis Momus; Non placet (inquit) opus!
Hujc ego; Quid cauſſæ eſt? Non diſtulit,addere cauſsā;
Quem redolent (init) Lilia, deſit Odor!
Dixit. & in cauſſa victor diſceſſit. At, heus tu!
Is, qui tantâ opus hoc dexteritate dedit:
Qui Lynceô ſimûl, & lippo, ſua ficta probare;
Et Verum voluit tangere, Apellis acû;
Qui, ne ſumma manus, ne Protogenæa Minerva,
Néve aliud pleno deforet artifici;
Omnia Bellifolus fecit Si oblitus Odorum eſt,
Si non appoſuit cinnamon, atque crocum;
Si Syriæ ſtillam myrrhæ, ſi nardon omiſit,
Et, quidquid redolent Lilia: Da veniam!
Bellifolus, criticis Oculatis, Zoile, flores;
Non & Naſutis pinxit hyper-Criticis.

ELEGIA XIX.

LILIA, VIRGINITATIS SYMBOLUM, ET PRÆMIUM.

Argumentum.

LILIUM, *L. Apuleius Afer*, JUNONIS ROSAM; *Nicander Græcus*, 'ΑΦΡΟΔΙ'ΤΗΣ ΧΑ'ΡΜΑ, *hoc est*, VENERIS LÆTITIAM, *nominant. Cejonius autem* COMMODUS, *is, qui ab* HADRIANO *Augusto adoptatus*, ÆLIUS *postea* VERUS, *&* CÆSARIS *cognomine, dictus est*; CASTISSIMI *Floris hujus* DELICIAS *honorabiles, usq; eò Turpitudinis infamavit; ut ex Elysiis Cyprias faceret, & ex Cœlestium* ODORUM *spiraculis, Saburranos fœtores; pudendissimo* LILIORUM *abusu. Ælium* SPARTIANUM, *de vita* VERI *Cæsaris, audi; neque tamen totum; Ne Castis tuis, Lector, auribus offendiculum, inquinamentis etiam solius & nudæ Historiæ, ingessisse videar. Cujus verba, ad Elegiæ sequentis illustrandum thema accommodatissima, sunt, quæ sequuntur.*

Hujus

Hujus (*Ælii* VERI, *Cæsaris*) VOLUPTATES, ab iis, qui vitam ejus scripserunt, multæ feruntur * aliquatenus diffluentes. * Fertur etiam aliud genus VOLUPTATIS, quod VERUS invenerat. Nam LECTUM eminentibus quattuor anaclitериis fecerat, minuto reticulo undique inclusum: eúmque Foliis ROSÆ, quibus demptum esset album, replebat: Jacénsque *, velamine de LILIIS facto, se tegebat, unctus odoribus Persicis. Jam illa frequentantur à nonnullis, quod & accubitationes, ac mensas, de rosis ac LILIIS fecerit; & quidem purgatis. * Atque idem OVIDII Libros AMORUM in LECTO semper habuisse: idem MARTIALEM, Epigrammatum Poëtam, VIRGILIUM suum dixisse *fertur.* * *Ista Spartianus.*

HISTORIAM *porrò Sanctorum Iuliani, &* BASILISSÆ, *Sponsorum-Virginum, quam paragrapho altero attuli; habes apud Derdorffium, in Iuventutis speculo, aliósque vetustiores, Ianuarii die IX. Quòd autem Nuptiales Deos Deásque historicæ veritati miscuerimus; speramus, pariter & Poëseos decoro*

coro incrementum ex hoc accessurum; & rerum integræ fidei, bonas apud mentes, nihil detractum iri.

I.

Apuleii, Nicandri, & Ælii VERI *exagitatio; propter* LILIORUM *abusum.*

JUnonis quicunque Rosas, sacra LILIA dixit;
Ex Asini, credo, dixerat ore sui.
Sed, qui præterea hæc, Cytherëia Χάρματα fecit,
Ac Paphiæ risum, lætitiámque Deæ:
Hic non Arcadicæ pecudis tantùm ore rudebat;
Ipse Asinus, totus quantus, & Arcas, erat.
Quid? Cœleste, Venus sibi vendicet Infera. germen?
DI, meliùs! turpis, quàm gerat illa, manus.
Tam divinus odor, Cypridis cum stercore,degat?
SIT procul à spurca plantula Virgo sue!
ÆLIUS hoc quondam, specioso agnomine Verus,
Cæsar adoptivi nobilitate Patris;
Sed, cuj Cæsareum totum esset stemma, NERONEM
VIVERE, & infami frangere Nocte torum;
Ælius hôc, inquam, maculavit Lilia probrô,
Talia cùm caperet stragula mensa procax:
Nobile cùm mollis tereret conviva tapetum,
Quale intertextis flos dabat iste Rosis:
Florida vulgatas tegerent cùm stromata nuptas
(Prô scelus) ac fierent Lilia, vela Lupæ:
Cùm conopéo latitarent sæpe sub uno,
Et diadematus mœchus, & empta Syra;
Et nardo udus onyx, & Naso, magister Amorum,
Et spurius (sanies Bilbilitana) Maro.

Has

Has tunc tot, Niveus simul uno tempore, sordes,
Flos clausit; Veneris ne leve χάρμα foret.
At Nos, nec licitis etiam, damus hoc Hymenæis;
IN lecto tantùm Virgine, germen erit.

II.

Divorum Iuliani & BASILISSÆ, in thoro nuptiali, LILIA *hiberna.*

Jam Sponso in dextram convenerat Antiocheno
(Invitum, Sponsi voce ligârat Amor)
Inter Orontæas emendatissima Formas
Nympha, puellaris dux BASILISSA chori.
Hesperus ortus erat. geniali Virgóque, Vírque,
Clauduntur septô. Sic, prior Ille refert;
O, mihi non Conjunx, sed tantùm Sponsa Sorórque!
(Quanquam, etiam Conjunx, si, Soror esse, feres!)
Omnia nunc gelidâ glaciavit Aquarius urnâ
Corpora. Janali sidere torpet humus.
Quid mihi, quídve tibi, cum flamma, cum face, solis?
Ni flamma hæc cœlo: fax flagret ista DEO?
OREMUS, Basilissa Soror! Præstantiùs ora,
Quàm zonam, Virgo solvimus. Ardet amor:
PLUS ardebit amor, si Par meditentur amantes;
Nec tangi, neque te tangere, Virgo, volo.
Tu quoque, nec tangi speres, neque tangere pugnes:
Ducere te cœpi; me Duce, Virgo mane!
Hæc ità (ceu sensit) juvenis. Consenserat Illa;
Concordésque inter NOX erat acta preces:
Quæ licèt atra volet, densísque alata tenebris;
Apparent levium Numina sueta Deûm:
Per thalami (quamvis cuperent & lumen & aures
Fallere) se trudit plebs Cythereja, fores.
Hesperus, Idaliô Viriplacam adduxerat astu;
Attuleras solitam, rex Hymenæe, facem.

Auri-

Aurigatrices aderant, à matre, columbæ,
Cypride; cum telis & pharetratus Eros.
Miſcuerat Syriam regina Volupia nardum:
Fluxit amaracino terna liquore Charis.
Præpotuêre tamen DIs vanis, Numina vera:
Ac Neonymphorum prævaluêre preces.
Namque, en, dum votis illi pia ſidera pulſant;
Sidera (Dorotheæ vix ſatis apta Roſis)
Mixta Roſis, toto ſparsêre repentè cubili,
Lilia, Pæſtano nobiliora ſolô.
Partheniô thalami risêre ſacraria flore;
Risére intacti lintea ſancta thori.
Suprà quidquid erat, circúmque, infráque; beatô
Lilia proflatu, nec, niſi lilia, erant.
Extemplò (ſensêre etenim, ſibi ſede migrandum;
Et thuri ætherio ſuccubuiſſe Fimum)
Diffugêre, liquor Charitum, ros mollis amomi,
Telis nudus Eros, nudáque Erote Venus.
Per tenebras quidquid venit, cum luce receſſit:
Intulit hanc lucem, CHRISTUS, & alma Parens.
Tantorum admonitu Superûm, quos cœpit uterque,
Perrexit Caſtos continuare dies.
Ex illo, NOX nulla viro, nox nulla puellæ,
Tempore: ſed PRUDENS, Virgóque Lampas, erat.

ELE-

ELEGIA XX.

TRIPLEX LILIUM; TRIPLICIS IN DEIPARA VIRGINITATIS TESTIMONIUM.



Argumentum.

INSIGNEM *moribus, & Divina scientia consultissimum virum, Tartareæ suggestionis Dubitatio incesserat; de* VIRGINIS-MATRIS *æterna Incorruptione sub litem vocandâ. Reduxit perplexum, in certissimam* FIDEI *viam,* B. ÆGIDIUS, *Franciscana*

ciſcanæ familiæ illuſtre ſidus; dum, mediis brumæ rigoribus, ter in nivalem terram illiſo ſcipione, TERGEMINUM *prolicit* LILIUM; *adiectis, ad ſingula prodigia, conceptis ſuper Integritate Deiparæ verbis*; MARIA, Virgo fuit Ante Partum! MARIA, Virgo in Partu! MARIA, Virgo poſt partum! *Hôc Ter-Candido calculo, & Virginis, in Dubitationem rapta, innocentia abſoluta; & Ægidii thaumaturga Sanctitas, lato famæ ſparſo odore, conſignata eſt: infeliciter deinceps in hunc Parthenium* SCOPULUM *incurſuris Antidico-Marianis; pro cuius aſſerendo honore, etiam flos Molliſſimus, non dubitàrit* LAPIS *prodire* LYDIUS.

HISTORICAM *huius prodigii fidem aſtruunt, præter alios complures, Ioannes Maior, in magno ſpeculo: & Chronicon Minorum Gallicanum. P. 2. &c. Quòd autem Liliorum foliis ſingulis, ſingula vitæ Marianæ myſteria tribuerimus: Veritate per cætera inviolatâ; Poëſeos (in hac duntaxat parte) libertati condonandum eſt.*

I. *San-*

I.

Sanctissimam VIRGINEM, *Poëta alloquitur*; VIRGO, *Poëtam*.

A TE, Virgo Parens, unguem discedere latum
  Nec vitâ possim; nec, duce morte, velim.
Tu, Mea semper eris; Tua semper, nostra Thalia:
  Fœderis, ô, simili sim quoque lege Tuus!
Finiturus eram, toties intrantia versum
  Lilia. Tu finem, florida Diva, negas;
Tu, Tibi deberi supremum floris honorem,
  Ut sentis animo, sic quoque voce mones:
Atque ais (audivi, quibus auribus audit amator;
  Et mihi, vel nutus, verba fuêre, tui)
Si tibi vox, unô decies repetenda tenore,
  Displicet, & cramben Lilia, Jane, vocas:
Lilia dissimula. vocem variabis & hortum;
  Si potes æstivam hæc dicere malle Nivem.
Seu, frondens alabastrum horti, marmórve sativum,
  Argentúmve comans, lac solidúmque, voces.
Denique, consumptâ voce omni; Lilia dices,
  Vel sceptrum MARIÆ, Virgineúmve satum.
Histories, quem vox nequiit, variabit honorem:
  Flósque, licèt VARIUS, non maculosus erit.
Sic mihi tu, Virgo. Fas est, à VIRGINE dicta
  Ore, suum Vatem; fas &, habere fidem!

II.

Doctoris THEOLOGI, *circa Virginitatem* MARIÆ, *animi fluctuatio*.

Ergò agè! cantemus! Dubitantius ibat ab urbe
  (Nomen id, implexo res dedit ipsa viro)
Ibat ab Ausonia, Tiberis quam trahuit urbe,
  In rura Assisii transtiberina Patris.

Anni

Anni tempus erat, ſpatiô quod carpitis æquô
 Tu, Ganymede oriens, tu, Capricorne cadens!
Terra parens, tunc exhauſtâ ſquallebat ab alvo;
 Et, niſi nix tegeret, depide nuda caput.
Non folium, non gramen erat, non fibra, nec alga;
 Radiceſque ipſas uſſerat acris hyems.
Ibat: & imparibus ſpargens veſtigia plantîs,
 Nutanti niveum calce notabat iter.
Nam, via talis erat, qualis fuit ipſe viator:
 Duplice dum titubat, dividuáque fide.
Chalcidico quondam veluti deprenſa carina
 Euripo, dubias cùm rotat Auſter aquas;
Pendula nunc dextrum, nunc littus prora ſiniſtrum,
 Reſpicit: ac votô librat utroque latus.
Haud aliter, Te Virgo-Parens, Dubitantius hærens,
 Atque tuæ pelagus Virginitatis, obit.
Nunc titulum Intactæ, ſociat Genitricis honori:
 Nunc, bene connexum, ſejugat ipſe decus.
Mater, ait. Fuerat: jam, quomodo Virgo manebit?
 Virgo Eſt: Quando igitur? quomodo Mater Erat?
Talia volvebat prorſum dubitator, & horſum;
 Atque voluturus talia plura fuit.
Sed, nodum in ſcirpo quærenti, in gurgite guttas,
 In cœlo ſtellas, in Phaëthonte jubar;
Et Ratione Fidem, humanis divina, prementi,
 Ægidius ductu Numinis actus adeſt:
Ægidius, Lyncevs animorum, augúrque Tonantis,
 Mira catus linguâ promere, mira manu.
Hîc baculo innixus (baculum pes æger, & ætas,
 In tumulum vergens, fecerat arma Seni)
Ceſſa, ô! (exclamat) Dubitanti incredule, ceſſa
 In trutinæ ambiguâ ponere lance fidem!
Una Eſt, Una Fuit, non deſinet Una, MARIA.
 VIRGINE quid MATREM dividis? Una Fuit.
Credere ſi refugis, quod biblica credere cogit
 Pagina; quod, cœli diphthera ducta ſtylo:
Aſt oculis baculoque meo, te credere, par eſt:
 Doctori hic baculus nempe Magiſter erit!

III. LI.

III.

LILIUM PRIMUM:

In quo PICTA *finguntur*, SEX *Mysteria Deiparæ, seu* GESTA, *In statu Virginitatis* ANTE *Partum, reluxisse.*

Dixit. Et, impactâ concussit arundine terram;
 Audi, ait, ô tellus! ac mea dicta proba!
Hæc MARIA, hæc Sum̄i genitrix fœcunda monarchæ,
 In qua nunc Stygii litigat astus hydri,
Ante salutiferum Virgo fuit Integra Partum!
 Virginis adstruitor, Virgine flore, pudor!
Jusserat. ad jussum flos Lilî prodiit albus,
 Candoris signum, casta puella, tui.
Quódque novum non ulla priùs conspexerat ætas,
 Vidit id in planta hac nostra Thalia novum.
Namque, velut Clytiés, è Nympha in germina versæ,
 Nunc quoque Solisequus vertice flagrat amor;
Aut velut Eoum, Granatæ nomine clarum,
 Indorum florem pictus-adornat apex;
Insita cùm præfert Patientis Numinis arma,
 Ac, cœlô orta Salus, crescere discit humô:
Haud secus, in foliis Mariani Germinis albis,
 Albior extabat, Mentoris arte, nota;
Argentíque velut dispuncta torevmate pando
 Bractea: & æthereâ ducta figura manu.
Unumquodque suis folium ridebat ab Actis.
 His argumentum, Virgo puella, dabat.
Hic erat, ut Promissa patri; dum hic supplice fletu,
 Se sterilem fœtas tot dolet inter oves.
Hic Nata, rudíque suos orbémque gementem
 Vagitu exhilarans: & labra lacte rigans.
Præsentata alibi Solymæo trimula templo:
 Tum, Desponsa pari, cœlibe mente, viro.

Cœlite

Cœlite mox fœtu, Gabriele interprete plena;
Montanósque ámitæ Visere prompta lares.
Omnia cœlestis dederat Mysteria glyptes:
Fit Liber, & vitæ Summula, SEX FOLIA!

IV.

LILIUM SECUNDUM:

In quo Mysteria SEX, *Virginitatis* IN *Partu, miraculo Poëticô intexta.*

Miratur; monstrúmque vocat Dubitantius. At, de
Flore Puellari se dubitâsse, negat;
Mater, ait, mater quo teste sit, Integra Nympha?
Hic labor, hoc magnum est Numinis illud opus.
Hujc contrà Ægidius; DIVINA Potentia semper
Par sibi, non Matrem servet honore Pari?
Ergo iterum testis feriatur arundine tellus!
Quas dedit ista Semel, Bis dare nôrit opes!
In Partu quoque Virgo fuit! Si credere, durum est;
Virgineum liqueat, Virgine flore, decus!
Dixerat. à dicto, LilI stirps Altera prodit;
Pulchrior, ac Partûs non minùs Acta gerens.
Namque videbatur, distinctis splendida Formîs,
Hîc, Enixa Deum, stante pudore, Parens.
Illic, Bethlemiô, pastor mirator, in antro:
Et, de thurifera Rex venerator humô.
Mox ad legitimas Oblatus Parvulus aras:
Translatúsque in agros, Memphica terra, tuos.
Denique barbaricum, Puerorum in funera, ferrum;
Sanguine dum cunæ, fletibus ora, madent.
Talis erat floris facies, & forma, Secundi:
Caussa perorata est. Virgo, Parensque fuit!

V.

LILIUM TERTIUM.

In quo Mysteria SEX, *Virginitatis* POST *Partum (etiam ipsa, ingenii caussâ, interserta) In quibus omnibus* DUBITANTIUS, *tandem* RESIPISCENS, *acquiescit.*

Subjicit Ægidius (nec habet, quod ganniat, Alter)
Virgo bina tulit: terna trophæa ferat!
A Partu quoque Virgo fuit: neque desinet Esse;
Virgineus constet, Virgine flore, nitor!
Hæc, simul effatus, stimulat simul arva bacillô;
Arva, Caledoniâ non minùs usta nive.
En tibi! Parthenio jam Tertia Lilia caule,
Dispandunt fibrâ nobiliore comas::
Inque comis, quæ restat adhuc, Mariana synopsis;
Impetret in senos ùt rubra vina cados.
Ut stet, juncta Cruci: Nato stet juncta necato:
Utque Resurgentis basiet illa latus:
Utque oculis Gnato comes hæreat, Astra petenti:
Postmodo cum superis ipsa secuta choris.
Aspicit hæc, floresque ambit Dubitantius omnes,
Quos Trifidæ pignus Virginitatis habet.
Jam pudet Ambigui: medicumque (recesserat ille)
Ægidium arcani vulneris, usquè vocat.
Sed magis hinc in vota vocat te, florida Mater;
Nempe, Voluptatis tu meus Hortus! (ait:)
Te neque deflorat thalamus, neque turbo, nec unguis,
Nec fera. Vade igitur, dens inimice, foràs!

Non carpſit Florem hunc Lucina, aut Neſtoris ævum:
  Lucifugúſne auſit carpere Neſtorius?
Sed, furat hæreticus! Nos hinc reſipiſcere, certum eſt:
  Huc, Tria nos cogunt Lilia, thavma novum!
Quòd, Præter tempus, ſunt edita Lilia; magnum eſt:
  Edita quòd ſunt Ex tempore, majus erat.
Denique, Quis poſthac dubio malè fluctuet æſtu?
  Sunt præſto, en, flores, ſtirps, color, humor, Odor!
Senſibus eſto fides! Hic Matrem- in- Virgine (Semper
  De reliquo Intactam) Tangimus, ecce, Manu!

SOLSTITIUM ÆSTIVUM.

Exultavit (Sol) ut Gigas, ad Currendam viam suam. A Sumo Cœlo Egressio ejus: & Occursus ejus, usque ad Summum ejus.

Psalmo XVIII. Versu VI.

Gyrat (Sol) per Meridiem, flectitur ad Aquilonem * & in Circulos suos revertitur.

Ecclesiastæ I. Versu VI.

ELEGIA XXI.

SOLIS, A SEPTENTRIONE, 'ΑΠΟΣΤΡΟΦΗ'.

Argumentum.

SOLARIS *globi velocitatem Inexhaustam, divina pagina* GIGANTÆIS *in stadio* CURSIBUS *comparat. Et jure quidem meritissimo.* NEC *enim Exercitationis cursoriæ nomen ullum, aut Exemplum, tam memorandum reperias; quod à Pernicitate, constantiáque Solaris orbitæ, non innumeris parasangis antevertatur. Fuerunt sanè, claruerúntque, maritimô* CURSU *præsignes, Tiphys, Iason, & Argonautæ. Fuerunt Equestri, curulíque, Pelops Tantalides, & Autómedon Thessalus. Fuêre Pedestri curriculo, Olympiadum signatores, Ischomachus Crotoniates, Polymnestor, puer Milesius; & quicunque Græcorum Quinquennia, stadiorum & agilitatis suæ* CORONIS, *interstinxerunt. Atque, ut à Personis singularibus orationem divocemus: generatim in celebri fama*

fama versati sunt, σταδιοδρόμοι; qui στάδιον Olympiæ (pedum Herculis mensuram, & pedes mensorios 625. continentem) sic semel percurrissent; ut in limite tamen conquiescerent. Famosiores, Διαυλοδρόμοι; qui peractâ semel metâ, novo labori pares, ad curriculi sui principium reverterentur: ad eundem tamen iterum finem recursuri. Gloriosissimi omnium Δολιχοδρόμοι; qui, ad perfectionem laborum bis triplicem sibi constantes, Curriculi spatium SEXIES, *nondum intercepto anhelitu, repetebant.* HORUM *omnium, & siqui densiore fulgerent numero, Coronas & Palmas,* SOL *solus unus capiti suo manibúsq; rapit, quasi Debitum: & adhuc interim longè* VICTOR; *quòd tam imbellibus comparari dignetur, imputat. Neque mirum; cùm vel unius solius* HORULÆ *circumactu, per tot jam sæculorum centurias, per tot annorum chiliadas, per tot mensium & septimanarum myriadas, plusquam millionem: intrà Horas verò XII. vltrà Quatuordecim milliones milliarium, non dicam, pervadat, sed perstringat atque pervolitet: jam infractâ contentionis æternitate; ut nec*

ipsâ SOLSTITII *sui Statione*, STARE *sciat*, *unus atque idem semper Pergens*, *sempérq; Perrecturus.*

Ad Argumenti porrò Scopum quod spectat : interrogatur SOL; *Quid caussæ sit, quòd à* CANCRI *signo Solstitiali reflexus, tam pertinaci fugâ, ab* AQUILONIS *ulterioribus abhorreat? Poëtam* SOL *responsô duplici absolvit : alterô Veterî, cùm se* LUCIFERI *vitare sedem testatur; cujus intoleranda superbia sibi thronum*, IN MONTE Testamenti, IN LATERIBUS Aquilonis, *destinarat.* (*Isaiæ c.14. v.13.*) *Alterô, recentiori; dum se Monstrum nescio quod horrere* SEPTENTRIONIS, *designat : cujus nominis cognominisq; primæ queq; syllabæ, voce hujus Elegiæ postremâ (ex Ierem. 1. v.14. & 6.4. v. 6.) continentur.*

I.

POETÆ, *ad Solem*, *Erotéma, seu, Interrogatio.*

PHœbe pater, vetus ignipedum stimulator equorum,
Sidereæque Pelops, Automedonque rotæ;
Æquoris empyrii, stellisque volubilis Argûs,
Summe gubernator, Tiphyos arte prior;

Passi-

Passibus Ischomachum superans, Polymnestora plantis:
Quando Diaulodromas ísque, redísque vias;
Semper in Urano qui curris Olympia campo,
Et volucri semper Victor es in stadio.
Phœbe pater, rapidi perpes Dolichodrome mundi,
Sexaginta agili sæcula calce terens:
Cujus, ab Auroræ thalamis, ad Atlantidas undas,
It rota per refluas quotidiana vices:
Cujus, ab Hydrochoi Libyco se cardine flectens,
Octipedem scandit currus ad usque feram;
Nec tamen ulteriùs: Nemeês sed monstra, Leonem,
Conversis mavult rursus obire jugis;
Quàm gelidam minimò tenus aurigetur ad Arctos.
HOC est, æstivâ sub face, Solstitium!
Atque utinam, Solis Statio foret ista quieta!
Nunc, sine re nomen; stat jubar absque Statu.
Diffugit à summo revolubilis orbita puncto,
Et levis à Saltu dissilit ipsa suo.
Sic venit, ut Redeat; procurrit in æthera Titan,
Ut Récidat: cœlo stat, statione Cadit.
Et tibi, Teuto, quidem gratissimus ille relapsus;
Gratior at Tiberi est, Niliacísque plagis:
Et cuicunque solo, cui tunc riget horridus aër:
Nam novat his sterilem Sol recidivus agrum.
Sed cur, quam radii capit Auster & Africa dotem,
Sola cohæredi non capit Arctos ope?
Arctos, & Antarctos (nisi me malè fallit origo)
De genitore Polo, de genitrice Physi,
Sunt consangvinei, duo puncta sororia juris;
Opposito quamvis hæc sit, & illa, situ.
Quod das Antarcto (fortasse faventiùs æquo)
In solidum Boreæ climati, Phœbe, negas?
Ardua cùm tangas apogæi culmina signi:
Cùm tuus in summo pendeat axe labor;
Cur non à summo procurris ad ultima cœlo?
Quantæ molis erat, Sex superare Gradus?
An tibi, nescio quæ facies, & monstra ferarum,
Occursu abscindunt horridiore viam?

An Superâ fortasse fugant ex arce Triones,
Septem flammivomi, Colchica bruta, boves?
Num, villîs barbâque ferox scuticâque, Bootes?
Aut sarráca (putri stridula plaustra situ?)
Aut ophis Arctous, barritricésque gemellæ?
Sive minax Helice? sev Cynosura minax?)
Quòd si siderii nihil est tibi funebre circi,
Omnibus assvetus nec trepidare soles:
Ecquid subjectis aliquid te lædit in oris?
Atque fugant oculos Inferiora tuos?
Omnia namque Vides; ità plurima forsitan Horres,
Siqua tuis metis ulteriora jacent.
Ad latus Eoum peregrinis Tartarus armis;
Torvus Hamaxobius, sanguineúsque Getes.
Et Grajæ Moschus fidei; Russúsque, biformis
Schismate; nec certis tincta VVologda sacrîs;
Et Mirmanscôi ferus æquoris accola, Lappus;
Hirtáque pellitis Finnica terra virîs.
Ad latus occiduum, num te trux terret Iërne?
Num viridis Thule? num Stygis, Hecla, domus?
Dissonus an Latio Camber? Regíve rebellis
Scotus? &, amphibiâ pace, vel ense, Getes?
Horum, quidquid id est, aliquid fugis, auree cursor:
Hôc visô, restas; restat ut agna lupô:
Utque, procùl viso, solet avia dama, leone:
Ut Jovis armigerâ Chaonis ales ave:
Quóque fugit studio. Máleæ ratis obvia cautes;
Hippolytíve, maris monstra verentur, equi.
Hôc studio tu, dum medio vectaris Olympo,
Vix Boreæ raso cardine, flectis iter.
Si licet, Ex astris astrorum discere caussas,
Mortali: caussas, lucide Phœbe, doce!
Id, si non Homini; at vati da, gloria vatum!
Arcanum condet Pieris arca tuum.

II.

Solis, *ad Poëtam*, ἀπόκρισις, *seu Responsio*.

Sic ego. Sic contrà Phœbus meus, auricomus Sól
 (Illapsum hunc pleno sensimus igne Deum)
Quas, ait, immodico caussas sermone requiris,
 Nos modici breviter carminis ore damus.
Solstitium, ceu bruma suum, sic fertilis Æstas,
 Ex ipso mundi limine, semper habet.
Ad Libyci cur nos Antarctica claustra profundi
 Fulva quadriga vehat; jam sua dicet Hyems.
At Boreæ culmen (quod nunc tua quæstio pulsat;)
 Declinare, duo grandia Damna jubent.
Arcton enim, Stygii dudum sibi cura Draconis
 Seposuit solium. Vox fuit illa vetus;
In Testamenti me monte locabo polari:
 Fiet Hyperboreum, regia nostra, latus!
Lucifer hæc dixit Phlegethontius. Et, licèt ausis
 Exciderit, pœnîs ambitione datîs:
Hæret inusta tamen delectæ culpa latebræ;
 Et colubri, fugiunt sidera cauta, thronum.
Prima fugæ ratio fuit hæc, ab origine rerum:
 Hanc veterem, sequitur caussa, poëta, recens.
Ecce, sub hoc ipso, Boreas quem pervolat, axe,
 Nescio quæ, Monstrum protulit ora Novum!
Huic, caput est Hydræ; coma serpentina Megæræ;
 Et crocodilæo lumina felle madent;
Frons perfricta lupæ; bovis, & Nabolassoris alti,
 Cornua: nasuti rhinocerotis acus.
Plura relaturus TACUIT Deus; ac discessit:
 Sed, dum digreditur, disticha terna canit;
Posterioris (ait) video, vis nomina Pestis
 Discere: quæ produnt biblica fata tibi.

Fac, capitis (quod Nomen habet) duo gramata prima;
Et, quod cognomen, grammata prima juges,
Hinc Accusantem cape Casum. Hic Nomen, & Omne
Pandi comperies, Ex Aquilone, MA-LUM.

ELEGIA XXII.

JUNII MENSIS, CIRCA SOLSTITIUM, COMMODA, DELICIÆ, ET FRUCTUS.

Argumentum.

BONORUM, *& illecebrarum, quæ in* ÆSTIVUM *maximè* SOLSTITIUM *incurrunt; tanta Farrago est: ut, sub suos singula Titulos, & Elegias, distinctis mittere classibus; Libri fieret, in immensum exituri. Quapropter, Puerum visum est introducere Pastoritium: sed, cum Davide docto, Carmina Psalteriáque inter balantes: cum Martano Bituricensi studia inter Boves; cum Ioanne Antonio Aretino Libros inter Ovilia: cum* HESIODO *denique Musas, medios inter Agros meditantem, atq; Cantantem: & in ipso adolescentiæ flore, jam Eruditione virili. Quem tu proinde per me licebit,* HESIODUM *mecum, sed Christianum, appelles. Hic tem-*

temporis fallendi studio, suos inter greges, unum in acervum glomeratim conjicit potiores Iunii residui divitias: Naturam imitatus, in obesis pumilionibus efformandis; quos hæc, Brevi statu peracto, NODOSUM SEMEL IN GLOBUM *ligavit: Tanquam, ituri per singula membra operis præmolestus, & nimis quàm diuturnus, futurus esset Labor!*

Quæ nos porro delibamus veriùs, quàm exsequimur; tu diffusiùs descripta reperies, stylo vernaculo, apud Ioannem COLERUM, *Perlebergensem, in Kalendario perpetuo, titulo Iunii: Ex quo nos Physica sola transsumpsimus.*

BUCOLICA.

HEsiodus (non ille Vetus, sub rupibus Ascræ:
Sed, quem Christiades format Apollo, Novus)
Parvulus in viridi residet dum vertice Pastor;
Vertice, quem gregibus mons Capri-collis alit:
Teia de Boja modulatus carmina cannâ,
Tale, interpositâ voce, sonabat epos.
Ite, meæ pecudes, gratum pecus, ite, Tonanti!
Atque virens niveæ carpite gramen, oves!

DIES LONGISSIMI.

Iam rubei Tropicum caneri Titanius axis
Emensus, calidos sistere cogit equos;

Fumantémque, retrò cautô rapit impete currum;
Ut, quantum evolvit, temo revolvat iter.
Nunc, bis ad octonas horas, adnectitur hora;
Et necdum pleno est æquore mersa dies:
Lunáque, contractis queritur compendia metîs,
Vix emoliri tam face posse brevî.
Tunc Septem dormire horis, satìs esse, jubetur
Auroræ, ac Soli mîque, patríque meo.
Tunc creperô cum Manè, juvat sepelire quietem;
Diffrictíque oculis, dicere; Mater, ave!
Móxque; vale, mater! Nos, & grex laniger, agni,
Vadimus ad Faunos: vos colitote Larem!
Ite, pecus! supero gratum pecus, ite, monarchæ!
Ac matutinum carpite gramen, oves!

CORONÆ, FLORESQUE CAMPESTRES. SAMBUCI FLORENTES.

Uda procellosi jam efflevit stella Medardi;
Lætáque, purgato sidere, floret humus.
Jam licet, intactum nimbis, nubésque perosum,
De sicco Assyrium monte videre jubar.
Mox, ubi rorantes deterserit altior herbas
Æstus; in undanti ludere valle lubet:
Et libet, intonso florentem crine galerum
Ferre, coronatîs ac rutilare comîs.
Tunc mihi fit cidaris, distinctus lychnide juncus:
Tunc caput innexis impedit alga thymis.
Nec procùl hinc pendet Sambuco florida sepes;
Naribus, ô sepes illecebrosa meis!
Sed plus, ô, cúpido, flos officiose, palato!
(Delicias etenim & rustica flamma coquit.)
Frondibus ex istis, sambucea lecta placenta,
Quàm bene pransa, domi? quàm bene rure, sapit?
Ac fama est, medicíque putant, & odore docemur;
Junonis tales, & Jovis, esse dapes.
Quidquid id est, pueris prosunt, teneríque puellis;
Fœtentésque animas è Senis ore fugant.

Ite pecus, supero gratum pecus, ite, magistro!
Et fluidum crispæ vellite gramen, oves!

PRANDIUM SUB QVERCU.

Paullatim medium se tollit in æthera Phœbus:
Ora siti torret dimidiata dies.
Ne capiti sit flamma gravis, ne noxia, Solis;
En! mihi dat gelidum Quercus opaca locum!
Hanc subter, querulo fons limpidus imbre scaturit;
Arida qui facili perluat ora vadô.
Huic, modò materno rhaphanos quos vulsimus hortô,
(Mordacem rhaphanos, at sine dente, cibum)
Immergo; ac succi fugitivum instauro saporem:
Hinc, sale defrictum simplice, lætus edo.
Additur & mistus contusis Caseus herbis:
(O, quàm rancidulæ blanda sagina gulæ!)
Hesternique Ceres furni, mollissima crusta;
Farréque cœruleo buccea nigra, placet.
Interpista dapi, pratensis grana cymini,
Marcentem stimulant, aut coriandra, famem.
Sic pransus, sic pastus, ago sub opaca bidentes;
Ac saturâ lætum mulceo voce gregem.
Ite pecus, placido gratum pecus, ite, Tonanti!
Umbrosúmque vagæ carpite gramen oves!

CERASI.

O, ego! Quæ video mensæ catalecta Secundæ?
Quis putet? In Sylvis, urbis aluntur opes.
Quod jacet ad lævam, pictâ nemus arbore ridet:
Hîc fœtu cerasi versicolore nitent.
Nomen in his unum est; non est color omnibus unus;
Hæ livent stirpes; hæc nigrat: illa rubet.
Omnibus Hyblæi destillat gratia succi;
Cùm flagrante acinos ruperit hora die.
Omnibus ambrosiô miscentur nectara libo;
Cùm coquit, hinc tortos, docta culina favos.
Ante tamen reliquas, Cerasus mihi Nigra probatur:
PULCRI, Oculi nigri! succina pulcra, nigra;

Pulcra Ebenus, Corvusque niger: Pulcherrima rerum
Ajo, Nigris cerasi plena canistra botrîs.
His Arbor quam prendo manu, quam præpete vinco
Ramorum ascensu, turget onusta bonis.
Non tot in æstivo teretes stant gurgite cannæ;
Non tot alit querulas accola saltus aves:
Nec tam densa, putri sub Lerna, rana coaxat;
Nec segetes nostras tot populantur apri:
Quàm densis undat cerasus baccata manîplis.
Unio non unus, millia multa trahit:
Unio, vel minio, vel sangvine tinctus, & ostro;
Ac bene tornato bacca rotunda cyclô.
Hîc onero pandosque sinus, perámque capacem;
Tot Geminis saccus, quot Rubra grana, vehit.
Jactet mellíferas felix Hyrcania quercus:
Atticus ambrosias laudet Hymettus apes!
Coralii ramis Erythræum purpuret æquor!
Suspensum Babylon venditet alta Nemus!
De minima pastor cerasô, de vimine virgæ,
Indas carpit opes, atque Maronis apes.
Jámque corallineæ nascuntur in aere baccæ:
Pensilis in cerasi stat mihi Cœna botro.
State, pecus, summi gratissima cura toparchæ!
Dum vello cerasos; vellite gramen, oves!

SCIURORUM NIDI.

Semita, quæ dextros Capri-collis respicit hortos,
Æmula Gargano, quercea tota viret.
Hic sua dentati posuerunt antra Sciuri;
Arctaque, cum querulo murmure, tecta colunt.
Intus, opaca specus, viridis lanugine musci
Subsuta; ac docili concamerata pede.
Auroræ lacrymis, & lenti glutine roris,
Ac labii viscô, fabrica tota coit.
Hôc laquear veluti cæmenti fœdere, nexum est:
Vix modicè summus perterebratur apex.
Hæ sunt, in tanto Pantheji culmine valvæ;
Per quas Sol peragat, belluáque ipsa, viam.

Nidus hic est. Et nunc adolescunt improba nidi
Pignora; mox, multo sylva nepote fremet.
Irrequietum animal! nunc huc, nunc saltibus illuc
Mobile, ringetur de statione suâ:
Impatiensque sitûs certi, nec [illegible] certa sequetur;
Indignans, Pennas non s[illegible] astra datas.
Quin & Alexandri lacrymas [illegible]itabitur; ac, Se
ne conclusum, duriter Orbe, feret.
Et Solis (quoties Solis grav[illegible]ferit æstus)
In faciem scandens, improba verba vomet.
Supremique sedens in rami margine franget
Ore nuces, Solem syrmate, bile jecur:
O, mihi si detur caudatum prendere monstrum!
Claudetur caveis: ærea vincla trahet.
Tunc mihi substricto desternet ventre flagellum:
Uncaque deârmatis porriget ora minis.
Tunc, cùm primores ipsi huic hebetavero dentes,
In digitis magnum rodet inane nucis.
Perge, pecus, decus Ulmi non vile dynastæ!
Et vespertinum quærite gramen, oves!

LINI SATIO TEMPESTIVA.

Odi ego (sed, Quis non?) Tardos. mihi tardus asellus
Displicet: &, tardi vertere rura. boves:
Os, tardum dicenda loqui: tardusque bonorum
Nuncius: Ac tardus pes, dare tarda manus.
Est odio, tardus mensæ, templique, forique:
Et, cuj sera placent pocula tarda Sitis.
Denique, Qui tardè per Singula vivit; in Uno
Sit saltem Velox; UT citò busta petat!
OMNIS enim tardus, telluris inutile pondus,
Aut stupor, aut certè vir SPECULATOR, erit.
Sed mihi præ reliquis Satio tardissima lini,
Cor fodit atque oculos. Lina, colone, sere!
Quanquam tralapsum est jam pridem sidus, & hora
(Menstrua jam cerni debuit ista seges)
Tu tamen, heus, vel serò seras! Spes incitet albæ
Interulæ! stimulent textor, & uxor, opus!

I, sere! Sed jam nunc, dum te mea fistula, dum Sol
  Admonet; ac, patiens seminis, hiscit ager.
Quidquid id est; cum fruge labor succedet; ut hilum,
  Ac filum, malis vellere, quàm nihilum.
Ite, citæ pecudes, mea sola peculia! Lino
  Parcite! pro Lino, carpite gramen, oves!

NOVALES AGRI.

Post hæc, agricolæ, campos versate Novales;
  Sic tamen, ut solitâ sub vice, terra vacet.
Sit requietus ager! solidum respiret in annum!
  PARVA Quies, ingens postmodò Messis erit.
DEFLUIT, assiduò Species exercita partu:
  Et Lucina uteros Perpetuata necat.
QUÆ parit alternis, in plura Puerpera durat
  Pignora. SUFFOCANT, quæ sine fine gravant.
Nomen idem Tellus, Prægnánsque habet uxor easdem
  Cur non & leges utraque Mater habet?
Ditescant ambæ! Parcant quoque fœtibus ambæ!
  Uxor prole virum; Rus beet arva satô!
Quin potiùs, ne pigra manus desvescat; In hortis
  Inveniat vester præmia digna Labor!
Hîc vos aut humili religabitis Allia tignô,
  (Allia, Judææ prandia nata fami:)
Aut ibi Pompejas claudetis vimine cæpas;
  Vel, quas lactucas Romula gleba parit.
Dissita quæ pereunt, In robore, nexa manebunt
  Germina; concordi proficiéntque situ.
Ite, meæ pecudes! nec olentia tangite morsu
  Allia; sed fragrans carpite gramen, oves!

FUNGI, &, FRAGA.

Venimus ad montis flexum: calcaria fumat
  Jam propiùs fornax; tostáque saxa coquit.
Hanc cavus apricâ cinxisse voragine collis
  Gaudet; in æstivas luxuriosus opes.
Nam, quà depressâ pluviæ tellure bibuntur;
  Fungorum pandit copia molle caput.

Puniceos videas alios, ex tempore vescos;
Flaventes alibi dixeris esse favos.
Pars potior, candet; niveúmque, revulsa, cruorem
Stillat. Boletos rustica corda vocant.
At, quà conspicuo pinetum vertice surgit;
Montanâ clivus fertilitate rubet.
Pingitur ambrosiô tellus lætissima fructu:
Punica Fragorum purpura serpit humi.
Fragáque fontano (fons est vicinus) oberrant
Margine. Naïadum dixeris esse dapes.
O, mihi! quis Cois pictor tam blanda tabellis
Grana repræsentet? Non ità Gemma nitet.
Quàm rutilo lucent Erythrææ sanguine baccæ?
Quàm bene guttatis stat mitra viva notîs?
Quàm spirat teneras, Zephyrîs agitantibus, auras?
Quàm svavî mistus vernat odore sapor?
Sev, plenîs congesta volîs, deglutio Fraga;
Sev lactis paterâ misceo, sive meri:
Sev destillato distempero denique Baccho;
Persica non æquè est lauta Choaspis aqua.
Quare alii gemmas sanè piscentur Eoas!
Aut sparsum Arabio littore Coralion!
Per me! trans terras quærant, transq; æquora! Dum me
Gemmea, per nemorum confraga, Fraga juvent.
Ite, meæ pecudes! fragili sed parcite Frago:
Et lentum potiùs vellite gramen, oves!

CUCULUS.

Solis equi properant! Calpen lux spectat Iberam,
Hesperio sensim præcipitanda freto.
Hoc canit & Cuculus, scabiosi carminis oscen;
Dum procùl, umbrosi montis ab Alpe, gemit:
Nestoreósque ululans (nisi fabula fallit anilis)
Augure divinat voce notátque, dies.
O, vitæ mortísque sagax Avis, absone Præco!
Clange! sed, ad numeros (ut tibi dicto) suos.
Ante tuos annos, Byzantius occidat Hostis!
Ante tuos cineres, Barbarus esto cinis!

Vox

Vox tua, ſit Leſſus Mauris, ſit Nænia Turcis!
[illegible] ! Bubo libidinibus!
Fernando, Imperii centum cane luſtra monarchæ!
Heſperiis totidem Regibus! Arma cadant!
Sed cannæ calamíſque meis, da largiter ævum:
Et grex mille novus vivat Olympiadas!
Flecte gradum, grex balantûm! vocat hora: redite!
Carpere tam ſerum parcite gramen, oves!
Oh, aliquis noſtris exſurgat ab oſſibus Ultor!
Oſſa quidem paſſim Martia, condit ager:
In Fatis latet Ultor adhuc. Oriaris ab aſtris
Alter, in hoſtiles Joſua nate neces!
Quiſquis eris; quocunque ſolo, vel ſole, creatus;
Et, quocunque minax nomine bella geres;
Nuniades Alter fias! Ne occidere ceſſes,
Sol potiùs ceſſans differat occidere!
Auſoniis hoc tunc Aquilis, gladióque labanti,
Solſtitium felix, & Status aptus, erit.
Contrà, Otomanniadis, (Martis refluente Trigonô)
Sit Cancri Tropicus, Retrogradúſque gradus!
Jámque domum, pecus ite meum! ruit Heſperus; ite!
Somnum, non, ſolitum carpite gramen, oves!

POETA.

Tale Theocriticâ carmen regerebat avenâ,
Solſtitii Paſtor deveneratus opes.
Si longum eſt; inſumpta Dies eſt tota, canenti;
(Solſtitii longos, quem latet, eſſe dies?)

ELE-

ELEGIA XXIII.

SOLSTITIUM JOSUÆUM.

Hiſtorica.



Argumentum.

JOSUÆ CAPITE. X.

Quæ, cùm audiſſet ADONISEDEC, rex Ieruſalem, quòd ſcilicet cepiſſet JOSUE Hai, & ſubvertiſſet eam (Sicut enim fecerat JERICHO, & Regi ejus; ſic fecit Hai, & Regi illius) &, quòd transfugiſſent Gabao-

Gabaonitæ ad Iſraël, & eſſent Fœderati eorum: Timuit valde. Urbs enim magna erat GABAON, & una civitatum regalium, & major oppido HAI: omnéſq; Bellatores ejus, Fortiſſimi. Miſit ergò ADONISEDEC, rex Ieruſalem, ad OHAM, regem HEBRON: & ad PHARAM, regem IERIMOTH; ad IAPHIA quoque regem LACHIS: & ad DABIR regem EGLON, dicens; Ad me aſcendite: & ferte præſidium, ut expugnemus GABAON: Quare transfugerit ad IOSUE, & ad filios Iſraël? Congregati itaque aſcenderunt Quinq; reges Amorrhæorum: rex Ieruſalem, rex Hebron, rex Ierimoth, rex Lachis, rex Eglon, ſimul cum exercitibus ſuis: & caſtrametati ſunt circa GABAON, oppugnantes eam. Habitatores autem GABAON, urbis obſeſſæ, miſerunt ad IOSUE; qui tunc morabatur in caſtris, apud Galgalam, & dixerunt ei; Ne retrahas manus tuas ab auxilio ſervorum tuorũ: aſcende citò, & libera nos, férq; præſidium. Convenerunt enim adversùm nos Omnes reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis. Aſcendítq; IOSUE de Galgalis: & omnis

omnis exercitus Bellatorum cum eo, Viri fortissimi. Dixítque Dominus ad JOSUE; Ne timeas eos! In manus enim tuas tradidi illos. Nullus ex eis tibi resistere poterit. IRRUIT itaque JOSUE super eos REPENTE, totâ nocte ascendens de Galgalis. Et conturbavit eos Dominus, à facie Israël: contrivítque plagâ magnâ in GABAON: ac persecutus est eos, per viam Ascensûs BETHORON: & percussit usque AZECA & MACEDA. Cúmque fugerent filios Israël, & essent in descensu BETHORON: Dominus misit super eos LAPIDES magnos, de cœlo, usque ad Azéca: & mortui sunt multò plures Lapidibus Grandinis; quàm, quos gladio percusserant filii Israël. TUNC locutus est JOSUE Domino, in die, quâ tradidit Amorrhæũ, in conspectu filiorum Israël; dixítque coràm eis; SOL, contra Gabaon, NE MOVEARIS! & LUNA, contra vallem AIALON! Steterúntque SOL & LUNA; donec ulcisceretur se Gens, de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc, in LIBRO-JUSTORUM? STETIT itaque SOL in medio cœli: & non FESTINAVIT Occumbere, spatio

ſpatio Unius diei. Non fuit antea, & poſtea, tam longa Dies: Obediente Domino voci Hominis: & pugnante pro Iſraël. Reverſúſque eſt Iosue cum omni Iſraël, in caſtra Galgalæ. Fugerant enim Quinque Reges; & ſe abſconderant in ſpelunca urbis Maceda. Nuntiatúmque eſt Josue, quòd inventi eſſent Quinque reges, latentes in ſpelunca urbis Maceda. Qui præcepit ſociis, & ait; Volvite Saxa ingentia, ad os ſpeluncæ: & ponite viros induſtrios, qui clauſos cuſtodiant: vos autem nolite ſtare; ſed perſequimini Hoſtes. ⋆ Cæſis ergo adverſariis plagâ magnâ, præcepit Josue, dicens; Aperite os ſpeluncæ: & producite ad me Quinque reges, qui in ea latitant. Fecerúntque miniſtri, ut ſibi fuerat imperatum. ⋆ Percuſſitque Josue, & interfecit eos: atque ſuſpendit ſuper quinque ſtipites: fuerúntque Suspensi, uſque ad Vesperum. Cúmque occumberet Sol; præcepit ſociis, ut deponerent eos de patibulis. Qui depoſitos, projecerũt in ſpeluncam, in qua latuerant: & poſuerunt ſuper os ejus Saxa ingentia; quæ permanent uſq; in præſens,

Bella juvat Deus, atq; animat; nisi Caussa rebellet;
Legitimásque acuunt ipsa vel astra tubas.
Quæ vis, vel vir quantus, Adonisedecus in Armis;
Cuj Solymæ sceptrum, cuj furor arma, dabant?
Quem reges regem ductorem, in castra secuti,
Quattuor, armabant ambitione novâ?
Jam, validam muro atque situ Gabaona, sed Unam
(Vix arcet quinos unica cerva canes)
Cum Jerimothæis rabies Solymæa maniplis,
Et summontanis cinxerat auxiliis.
Hîc Eglonææ stabant tentoria gentis:
Hîc sua vibrabat signa, Lachæa manus.
Hîc muris cœlóque simul capita æqua ferebat,
Urbis Hebronææ, stirps Enacæa, tremor.
Quid prodest, arx alta quidem, sed ab hoste domanda?
Arceat hostiles arx genuina globos!
Talis erat Gabaon; moles propè nubibus æqua:
Intus, tractantes horrida bella, Viri.
Sed non & belli vires, nervúsque machæræ,
Ignea vis animi. Deérat & alma Ceres.
Quid restet? nisi, bellorum dux Josua fulmen?
Atque Palæstini ferreus horror agri?
Oratum mittuntur opem, per devia rura,
Cursores. Celerem Josua portat opem.
Cursorésque ipsos, tam mollia pacta ferentes,
Quos modò præmisit; mox præit, atque trahit.
Galgala, Jordanem, ac prætoria castra relinquens,
Agmina sublustri fervida nocte rapit.
Inflammabat iter, consulti Numinis ardor;
Alatos dederant Numen, & ira, pedes.
Ergo, Bonis (neq; mirum) avibus, superobruit hostem
Josua, securum tam properantis opis.
Nox cœlo nondum decesserat omnis; & omnis
Jam campo exierat regia pulsa phalanx.
Præcipites illos inopinus & ensis agebat,
Et pavor, &, POTIOR caussa pavore, Deus.

Hic

HIC etiam, (Ex Alto, ne grandine pœna vacaret)
Induit ultrices ſtrage pluente manus:
Horriſonáque cavas ſpiſſans vertigine nubes,
Saxoſas hyemes torſit in ora virûm;
Lapsáque de ſummo, galeas perfregit, & arma,
Pondere tempeſtas exitióque gravis.
Beth-horæa fugax acies per prona volabat:
Siſtebat trepidam mucro, lapíſque fugam.
Pars etiam Azécæ, pars venit in arva Macédæ:
Non Azéca, nec his tuta Macéda, fuit.
Sangvine rorabat cæſorum, pervia Nobe:
Sangvine, fuſorum devia Maſpha ducum.
Sangvine confuſis ſtabat Fons Nephtoa lymphis;
Sangvine radices, mons Jarimææ, tuæ.
Undabat Rhaphais legionum funere vallis:
Undabat vallis, quæ terebinthon alit.
In plagam, plaga dextra hoſti, plaga verſa ſiniſtra eſt;
Quæque fugæ fuerat meta, cruoris erat.
Jamque dies adeò, & lucens defecerat hora;
Ire ſub Heſperias Sol properabat aquas:
Nondum hoſtis, nondum defecerat hoſtia ferrum
(Tantus tam innumeros egit in arma furor!)
Abſolvenda fuit tam juſti victima cultri;
Ad vivum radix & perimenda mali.
Ergo (ipſo dictante preces, inſvetáque juſſa,
Numine) Nuniades ſic polemarchus ait;
Sol, qui ſucciduo Gabaonidas aſpicis arces
Fulgure, & extremâ culmina luce feris;
Sta! neque cede gradu! nec in æquora mergitor ultrà
Cypria! Juſſa Hominis, ſint tibi Juſſa DEI!
Et tu, quæ valles radiis Allonidas urges,
Luna, moraturas ſiſte quieta rotas!
Quis credat, divina fidem niſi pagina cogat?
Hæsêre immoto ſidus utrumque ſitu.
Non Hyperionius vel latum currus ad unguem;
Non digitum obliquum Cynthia movit equos.
Obſequium didicêre pati, quibus Omnia parent.
Prodigiô obſtupuit mundus, & unda, novô.

Paſſim

Passim aliquis sumptâ, longô jam vespere, cœnâ,
  In thalamum, ductu noctis, iturus erat:
Irritus at noctis pariter falsúsque soporis,
  Esuriens iterum, Prandia sera capit.
Passim alii longos incusavére labores;
  Quæque Horæ fuerant, temporis esse Moras.
Quin etiam, si vera refert Parnassia fama;
  Ad Solem, à sero misit Atlante, Thetis;
Quid tardi cunctentur equi? Quo pondere, pressi
  Suspirent axes, distineántque rotas?
Cur frustra residémque thorum, solitáque paratum
  Præsepe annonâ stare? Quid astra vacent?
Venit &, indignante ardens (hucusque Satelles,
  Nunc Censor) vultu Vesperus. Ire jubet;
Séque, negat, comitésque suos, & Atlantidas, ultrà
  Duplice passuros rura flagrare die.
Quod Soli queritur, Solis quoque sæpe Sorori
  Occinit: & fratris rumpere fræna, monet.
Sed, nihil his fratrem, nihil his movet ille sororem;
  Quâ cœlî steterant, in statione manent.
JOSUA tantisper, milésque, sub auspice cœlô,
  Indelassato fortiter ense furunt.
Ac felix fuit ille furor. Quia debellatum est;
  Et pansa ad Solem funera quina Ducum.
Hæc, avidô spectans radiô, vix denique Titan
  Occubuit. Juvit, quinque VIDERE cruces:
Juvit &, ultrici concisa cadavera sicâ,
  Cernere. Quis Solem, mira Videre, vetet?
Mundi Oculus, Sol est. Oculum Vidisse, vetustum est;
  Ast, Audisse Oculum bellica jussa, Novum!

IGNES JOANNÆI.

Vxor tua Eliſabeth, pariet tibi Filium: & vocabis nomen ejus IOANNEM: & erit tibi GAVDIVM, & EXSVLTATIO. Et MVLTI in NATIVITATE ejus, GAVDEBVNT.

Lucæ Cap. I. Verſu XIII. & XIV.

ELE-

ELEGIA XXIV.



Argumentum.

AD GAVDIUM *invitat, ex S. Ioannis* BAPTISTÆ *Ortu, concipiendum.* IGNES *suscitari,* LÆTITIÆ *indices, jubet; & Ligna comportari, ad* PYRAS *struendas: in monte præcipuè* POGIO *ad fl. Danubium sito. Eum tunc temporis rumor fallax memorabat,* ÆDE *Marianâ ab Hostibus deustâ, deformatum.*

ANnua mirifici rediêre Genethlia Vatis,
Qui Prodromo dominum calce præivit iter:

Qui Semet, tenerique Puer molinunis Annos,
Anteiitque suos in loca senta, pedes;
Parvus adhuc, propiusq; Infans, quàm Cursor. at Altas,
Nondum Quinquennis, cœpit Olympiadas.
Voxque priùs factus, quàm posset promere Vocem;
Cuj minimâ in bucca buccina magna fuit;
In cujus digito, postquam se protulit, uno
Ingens ostentum, Mundus & Agnus, erant:
Cujus in Infanti quantumvis pectore, jam tunc
Tota Prophetarum curia sedem habuit.
Gaudendum est igitur! Festa nam gaudia frontis,
Promisit Genius; præstitit alba dies.
Cantandum est! Cecinit genitor, cuj plectra fidésque
Linguæ excantârat Credere tarda, FIDES:
Saltandum est hodie! Saltâras, Virgine coràm,
(Nec sinè matre tuâ) Numine plene Puer.
Nox castis hodierna pyris facibúsque fuganda est;
Lucidáque in medio pompa struenda foro.
Quem fora deficiunt, & lati compita circi,
Vade foràs, Popule! scande sinistra juga!
Hîc, quà nubifero Pogius ferit æthera dorso,
Antiquæ Pogius molis & arcis opus;
Pòst, Boji magnatis apex: mox Virginis ædes;
Cuj basis est tellus, tegmen & aula, Polus.
Nunc (puto) Mons tantùm est, arbustaque semideusta.
Sed, nihil hoc poterit, Virgo, nocere tibi.
Tuta sedes alibi; quò nec penetrare favilla,
Nec poterit fumus nec Stygis ire furor.
Interea, quòd sylva glabra est, quod cespite vertex
Decalvatô horret; damna, sed Apta, puto.
Nocturnos nam hic ipse locus magè quadrat ad Ignes.
Nempe, Suis semper sunt bona juncta malis!
Huc, cantûs studiosa cohors, pueri atque puellæ,
Scandite! pacificos & glomerate choros:
At priùs, ædificate pyram. Trahe pinea tecum,
Tu virgo! trahe tu robora querna, puer!
Arida mox, spatiis interlucentibus, igni
Nutrimenta date. Stridat in alta rogus!

Quó-

Quóque magìs lambant ſocialia nubila flammæ :
Et fiant unus. Mundus & Aſtra. focus ;
Vos, quibus eſt, agiles transferre ſcientia montes ,
Mirum Gregorii , thaumaticúmque genus :
Ite citi , transferte , volet tràns æquora, tránſque
Phœnicas, Libanus; cum Libanoque, cedri !
Eſto ſupra Pogium Libanus : mons monte prematur.
In Bojo Syrium culmine culmen ovet :
Tunc inflammetur ! Simul omnis, & undique circùm ,
Ab Joannæa ſplendeat ora Face.
Antrorsum , ſpargant Tiberina ſuburbia flammam ;
Atque Ratem fulgor verberet iſte-Bonam :
Retrorsùm nitidas monſtret Tegopagia turres ;
Paſſavicóſque nitor currat ad uſque tholos.
Corradiet Straubinga decens, atque ardua VVertha ,
Et VVindpergææ Thebais alta domûs :
(Olim ingens, olim alta Domus, ſacra Thebais ! at nunc
Mons , reor , atque ſuis pervia ſylva Notis.)
Sed vos nunc, Lacrymæ, geniali cedite nocti !
Deſiccet madidas Flamma jocoſa genas.
Pergite , io ! Socii ; ſarmentáque ſubdite tedis :
Juncta cedris abies, ipſa ſub aſtra, crepet.
Dextráque Danubii. quo mons adlambitur, unda ,
Scintillante vadi mobilitate tremat ;
Imbibitóſque, alto radios ex vertice, rurſum
Gurges in alta vomat : Sítque reflexa pyra !
Colludant; ſpargántque faces elementa datatim :
Pingat & Ignis aquam ; pingat & unda rogum.
Sic poſitas, ſaltu ſuperet plebs Maſcula flammas :
Virgine circumeat denſa Puella choro.
Utraque turba canat. cantantes adjuvet echo.
Dictet amœbæos læta Thalia modos.
Materies vobis, tam læti Nuncius ortûs ;
Vel quicunque Novi nuncius alter, erit.
MERCURIUM cantate ſacrum, cantate profanum ;
Dummodo delectu conſtet, & arte ſuâ.
Inſtruat ipſa Strues vos lignea ! Non fit, ut Ignis ;
Sic etiam , è quavis arbore, MERCURIUS.

ELEGIA XXV.

Hiſtorica.

DIVI JOANNIS BAPTISTÆ NATIVITAS,

(Ex Capite S. Lucæ 1. v. 57.)

Alternantibus JUVENUM, *ac* VIRGINUM *choris, choreiſq; ad* IGNEM *Ioanneum, decantata.*

JUVENES.

MErcurium Veterem celebrâſti Teuto Vetuſte:
  Hujc thura, hujc ignes, vota, precéſque dabas.
Mercurium nunc, ecce, Novum nove Teuto, canemus!
  Hujc aram, hujc dabimus turba canora focum.
Tantùm, ô non-ſancto veniam date ſidera verbo!
  Mercurius, nobis Nuncius eſto Bonus.
Sacrilegi procùl eſte Dii! DEUS unicus eſto!
  Ac ſolo reſtet Nomine Mercurius.
Creſſis digna notis, referantur & omina læta!
  Hiſtoriéſque omnis Mercurialis erit.

VIRGINES.

ELISABETH impletum eſt tempus pariendi: & peperit FILIUM. Et audierunt Vicini, & Cognati ejus; quia magnificavit

vit Dominus misericordiam suam cum Illa: & congratulabantur ei. *Vers.* 57. 58.

O, ter læta dies! ô, Nox, dignissima Sole!
Explevit Lunas mater ELISA suas.
Ter ternæ, gestanti uterum, rediére Dianæ:
QUÆ Sterilis fuerat, pro Genitrice cubat.
Percursat tam lætus agros, & mœnia rumor;
Vicinas Genitrix tangit ELISA domos;
Tangit & absentes: Cognatáque limina mulcet:
Divisa in multos Gaudia, mater habet.
Collætantur ei, Nymphæque nurúsque Propinquæ:
Ac præ se plausum rebus & ore, ferunt.
Ore quidem, insolitum tollunt ad sidera partum;
(Sidera, quorum Ingens Gratia partus erat.)
At melius Rebus, verbosa charistia claudunt;
Mactea dum cumulant, nixibus apta novis;
CITRIA, Carmelíque rubras à vite, lagenas;
Ováque, &, ovorum germina, cortis aves.

J U V E N E S.

Et factum est: in die octavo venerunt circumcidere Puerum, & vocabant eum nomine Patris sui, ZACHARIAM. *Versu.* 59.

Et jam bis quartum Phaëthon reparaverat ortum;
Roscidáque, Octavô manè, tepebat humus:
Conveniunt (ex lege) Patres, Aaronidos aræ
Posteritas, vittis & reverenda mitris;
In Consangvineo cultrum tinctura cruore,
Pelliculæque cadit jam genitalis apex.

Quem tremulâ resecans Rabbinus Saminaa cote;
Grande (sed injusso) Nomen ab ore, premit;
Esto Puellæ tener, ZACHARIAS! Téque memento
Esse, quod hic audis, pro PATRE, nate, tuo.
Nate! patris magni vel par vestigia calca:
Vel, si fas, major! Nominis omen habes.
Esto MEMOR DOMINI, Zacharia, almíque Parentis:
Ille tibi Genium nam dedit; Iste Genus.

VIRGINES.

Et respondens MATER ejus, dixit; Nequaquam! sed vocabitur JOANNES. Et dixerunt ad Illam, Quia Nemo est in Cognatione tuâ, qui vocetur hoc Nomine. *Vers.* 60. & 61.

Talia mussabat. Mussantem, tota secuta
Turba Sacerdotum, Nomen ad astra crepant.
Audiit hæc, thalamo seclusa Puerpera casto
(Nam pia secubitus Ilithyia petit)
Quantùm infirma gradu, tantùm firmissima voce,
Obstat: &; Humanum tollite Nomen (ait)
Vult aliud Deus ac cœlum. Ne obsistite cœlo!
JOANNIS titulum parvulus iste ferat!
Jusserat. Occlamant jussis: &; Si tibi forti
De Machabæorum stirpe propago foret:
Si tibi vaticino Jonæ de sangvine sangvis;
Si de Careadæ posteritate Ducis;
Tum tibi JOANNIS meritò vox mente sederet:
Semper ad Antiquum gloria nomen hiat.
Nunc tibi non avus est, proavúsve atavusque, nec ultrà;
Non dextrâ, aut lævâ nexus amicitiâ:

Nemo

Nemo maritali consangvinitate propinquus;
Quêm tam retrusi Nominis umbra juvet.
Sed. sileat Genitrix! Genitor, pro jure loquatur:
Dicat, quod fari Lingua nequit, Digitus!

JUVENES.

Innuebant autem PATRI ejus, QUEM vellet vocari Eum? Et postulans Pugillarem, scripsit dicens; JOANNES EST NOMEN EIUS! Et mirati sunt universi. Apertum est autem illicò Os ejus, & Lingua ejus: & Loquebatur, benedicens DEUM. *Vers.* 62. 63. 64.

NUTIBUS ergò rogant, capitis symptomate surdi
Non auditurum verba sonora, Patrem.
Ille, palimpsestæ cretato in codice pellis,
Paucula, sed grandi pondere, sensa notat;
JOANNES nomen puero est. Monosyllaba vocum
Ultima, facundi rhetoris instar erat;
NON ego, non mater, non vos, non turba propinqua,
Non utriusque, dabunt nobile Nomen, avi: (ipso,
Ac, neq; quisquam Hominum. Dedit, æthere missus ab
Aliger. Hoc fixum Est. Hoc Fuit. Hoc & Erit.
Talia visus erat verbis scripsisse quaternis.
SCILICET, & muto copia fusa stylo est!
Attoniti, stupuêre patres, responsa parentum
Consona; & Elinguis Judicis arbitrium.
Nec tamen elinguis manet hic. Namq;, ecce; diremptâ
Lite, Pater pueri (pro puero, atque Deo)
Decreti fert grande lucrum; quódque antè Notârat,
Nunc Loquitur, nomen: Perdita lingua redit.

Mirantes pariter, ſubitúmque ob munus ovantes,
Affatur Socios. Vox rediviva micat :
Et cœlo tota hæc impenditur, atque Tonanti ;
Quem facili ructat gutture, Plenus Amor.

VIRGINES.

Et factus eſt timor, ſuper omnes VICINOS eorum : & ſuper omnia MONTANA Judææ, divulgabantur omnia verba hæc. *Verſu 65.*

Mercuriô mox fama volat pennatior omnî,
Conſtrictis, referens verba rediſſe labris ;
Vocalémque repentè Senem, cum fœnore damni :
Ac réducem ſurdis auribus ire ſonum.
Quódque novæ caput hiſtoriæ eſt ; morientis Eliſam,
Et conclamati, fruge tumere ſinûs :
Mox etiam ; Fudiſſe ſinu frugale ſolutô
Pignus : & , è cœlo Matris habere decus :
Æthere demiſſam prolem ; miſſum æthere nomen :
Ad ſummam ! Plenos Numinis eſſe lares.
Cunctorum ſacer inſinuat ſe mentibus horror :
Abramiæ recolunt priſtina fata domûs ;
Iſaâcum vagire novum : cunabula Sarram
Volvere (cum riſu, jam graviore) Novam.
Jámque increbreſcit magìs, ac magìs, Admirandî
Aura puerperii : temporéque aucta, valet.
Ac , velut Oceanus primô cùm ſtringitur Eurô ,
Unda undam, fluctum turbine fluctus agit :
Flabráque truduntur flabrîs : vis naſcitur, ex vî
Æoliâ ; plenô dum tremat unda ſalô :
Sic aliam ex alia timida Admiratio mentem ;
Sic aliam ex alia rumor oberrat humum.

Audit

Audit gesta, potens Bethsura, & vilis Apadna:
Audit Hebron; audit Rhama, superba situ.
Discit Ethra hoc propior: discit Jerimotha remota;
Urbésque, ac valles, pulcra Sephattha, tuæ.
Unus (&, hem, Minimus!) tot eum narrantibus, Infans
Supra omnes Montes, & Nemus omne, Volat!

JUVENES.

Et posuerunt omnes, qui audierant, in corde suo, dicentes; Quis, Putas, Puer iste erit? Etenim Manus Domini, erat cum Illo. *Versu 66.*

Descendunt in corda ferè sensu alta profundô;
Prælagaque agitant fata futura fide.
Divinant; Pueróque movent oracula mille;
Quis Puer hic? Immò (dicite) Quantus, erit?
Unum est pro puero augurium, vox omnibus una;
Vivat! &, ô, simili sidere semper eat!
Sidera namque illi, radiô clementia dextrô,
Cuncta micant: & Sol albus, & hora bona.
Quódque boni punctum est; Deus hôc operatur in ortu:
Quantulacunque, Suo numine membra vigent.
Aspicite, en, oculos! Thesbitæ lumina flagrant:
Frontem! Mosè novô frons radiosa micat:
Os, linguæque apicem! Danielica Suada renidet:
Formam! vix aliam sumeret ipse Decor.
Denique, vel Vates est hic, aut Angelus: aut (si
Difficilè alterutrum credis) Utrumque simul.
Nam, Vatem eulogicâ, jam nunc, Pater asserit odâ;
Angelus, ex Hominis-Numinis ore, cluet.

VIRGINES.

Ominantur Virgines, ex Diei illius imperturbatâ ſerenitate; Choróſque claudunt.

Et jam Mercurium cantavimus, æthere miſſum:
Succedat ſacris Flamma profana focis!
Cúmq; focis, joca miſta, ſonent! Bona fama, puellæ!
Innubi hæc micuit ſidere tota dies.
Non Hyades ſparsêre nemus, non Plejades arva;
Siccaque totius ſidera noctis eunt.
Provenient igitur (niſi quid mentitur anilis
Fabula) provenient ubere Lina ſatô.
Fertilibus gliſcet nux per coryleta racemis:
Pluráque, de ſudo commoda Sole fluent.
Finiimus nymphæ. Juvenes, applaudite nymphis!
Caſtus erat chorus hic; caſtior eſto thorus!

JUVENES.

Turcarum Imperatoris obitum referunt, ex Mercurio publico: ac diſcedunt.

Claudatur Bona NOX, famâ duce, Nocte perenni!
Urgeat hæc oculos, Turca ſepulte, tuos!
MERCURIUS namq;, ecce, novus, Jove miſſus ab ipſo,
Nuntiat Odryſii fata ſuprema Ducis.
Imperii Achmetes quondam furiale flagellum,
Et fuit, & cecidit. VIRGA ſuperſtes erat:
Oſmanes fuit hic. Virgæ ſcuticámque, manúmque
Muſtaffas ſeſe junxit, in arma furens.

Nunc

Nunc flagrum, nunc virga jacet : nunc taurea dormit.
  Hev, Quis nunc Plagæ nomina quarta feret ?
Quis ſucceſſor erit ? Quicunque eſt, infremat ille !
  Dummodo plus fremitu, quàm feritate, tonet.
Non hujc ante oculos exempla cruenta priorum ;
  Sed magìs ante pedes pallida buſta cubent.
Extincto modò, quid confert furor hoſticus ? Hydrops
  Nempe illum, & Bacchus ſtravit, & Hora ſua !
FINIIMUS Juvenes. Diſcedite ! Dat rogus Unus
  Thuráque BAPTISTÆ ; Buſtáque nigra Scythæ.
Quod ſupereſt : Si quiſque ſuum ſibi vendicet ; ille
  Cum thure ASTRA petet ; cũ cinere iſte STYGEM.

LIBRI ÆSTIVORUM. I.

FINIS.

ÆSTIVORUM

LIBER II.

ÆSTATIS PROFICIENTIS,

SIVE,

JULII MENSIS GAUDIA

PERTRACTANS,

VISITATIONEM B. VIRGINIS.	SITIM, &, FONTES.
FOENI-SECTIONEM.	S. IGNATIUM LOYOLAM.
CANICULARIA.	

ELE-


DELICIÆ
IVLII.
Wolfgang
Kilian
F.

ELEGIA I.

PROLOGICA.

...monet; Hujus LIBRI *Elegias, ut plurimùm, fore* BREVES: *& Cur?*

Erecturus eram, Longos contexere versus:
Injecit rigidam nostra Thalia manum:
Et; Quid tu, invito (dixit) vel Apolline, vel Me;
Quídve, repugnanti Sidere, ducis opus?
, genas sudore meas, frontémque fluentem!
...as Aganippeæ vix lavet imber aquæ.
... Arcas coquit arva Leo. Solemque fatigat:
...unc latranti furit Sirius ore Canis.
Hippocrenês cogit nos tempus ad undas;
...oc, jubet umbroso tingere membra lacu:
platano subter frondente, vel ilice densâ,
...angere fontem sitim; fallere sede diem.
Scripsisse, tibi, sub tali proderit astro:
... Dictâsse, mihi; si lyra Longa sonet.
...dia. (ceu quondam) solvet tua corpora febris:
...es, sed se serâ voce; Valete, libri!
... si fortè tamen (velit hoc ità vita!) valebis;
...e tibi, longâ mole, molestus eris.
...hes accedent, Ingens vexatio. Musas,
...scarum expellet seditiosa cohors.
...epet, insanno Messorum turba tumultu;
...strorúmque gemens, messe gravante, rota.
...etiam Tonitru niger intermugiet æther;
...etróque te: truces sparget, & igne, minas.
...nterfistes: tunc, versibus ibis omissis,
vota, & si superos; ad gemitum, atque Cruces.
...ue; Diurnum aliquid, sed non Durabile, panges:
...abor ille DIu; nec Diuturnus, erit.

Aut

Aut igitur Liber iste, Breves plerumque Camœnas
Diligat: aut, per me, Mense sequente, sile!
TALIA, subductâ dixit mihi fronte Thaleja:
Et mox, abductô, fugit in antra, pede.
QUID faciam? Morémne geram? Parére monenti
Si pulcrum est Homini; pulcrius ergò, Deæ. (est,
Quare, lector, ades! Dabo carmina curta. Molestum
Scribere longa, mihi; volvere longa, tibi.
Quid curas Titulum? lege Rem. Sic Disticha nostra,
Sint EPIGRAMMA, tibi: sint ELEGIA, mihi.

VISITATIO B. VIRGINIS.

Visitavit Nos Oriens, ex Alto. *Luc. 1.*

VISITATIO TVA custodivit Spiritum meum.

Iob X. Versu XII.

ELE-

ELEGIA II.

DACTYLICA,

Ad exprimendam Deiparæ Festinantis alacritatem.

Argumentum.

Exſurgens MARIA, in diebus illis; abiit in Montana, CUM FESTINATIONE, in Civitatem Juda: & intravit in domum Zachariæ: & SALUTAVIT Eliſabeth, *Luc.* 1. *V.* 39.40.

EXſtimulate pedes! ſuperate cacumina, Muſæ!
 Nam ſimili properat Regia VIRGO pede.
Evolat, ut rapido Balearica torta lacerto:
 Aut, velut ignivomo fulmina truſa Notô.
Quà via cunque trahit, nihil eſt, niſi Curſus, & ardor;
 Nazáreos odio dixeris eſſe lares.
Tam prófugo rapitur ſtudiô: patriámque Puella
 Vitat, ut Exilium. Jam Galilæa retrò eſt.
Jam Samaræa terit. ſimul effugit, arva; relictô,
 Quidquid olet Vitulos, Jeroboame, tuos.
Ac neque turrigeræ Solymeia templa Sionis,
 Nec proawita calens tecta morantur iter.
Irrequietus Amor, ſuper ardua fertur, & imma:
 Quorſum eat, uſque memor; non ità, Per quid eat?
Mollit iter, Studium. Sed & ipſa, parata clienti
 Stant elementa fide: proſubigúntque viam.
Sole dies radiat, ſolitô magìs alba ſerenô:
 Anteit, ac, Zephyri molliter aura fremit.

Sæpe

Sæpe tubas etiam, lituósque imitata sonoros,
Hospite Davididem voce salutat Heram.
Adfremit unda loquax : &, ovante dirempta recessu,
Virgineis pedibus dant vada sicca locum :
Flore novo fragrat omnis ager : penitúsque Rosetum
Terra fit, à Dominæ saucia facta pede.
Cuncta favent, meritosque struunt tibi, Mater, honores :
SED, tibi nec favor est, nec pretiosus honor.
In pretio tibi Sola Via est, brevitasque viarum :
In pretio, Prodromi mater ELISA novi.
Hinc trivio graderis medio : neque pulveris horres
Nube, vel aërii pollinis imbre, premi.
Scobs igitur sabulosa, nigrat tua pallia, Virgo ;
Peplaque cum facie, cum pedibúsque manus :
Labraque cum jugulo, & sitientia glutinat ora :
Veriùs an poteras, Nympha, VORARE Viam?
Tota venis igitur Cinerosa : larémque Senilem,
Tota (nec id puduit) Pulverulenta subis.
Quin, magè Pulvis ei potes, & levis Umbra videri,
Cujus in hospitium, & lumen anile, venis.
Hæc Senii vitiô (Ter, ô, inclyta!) Te, puto, dicet
ÆQUAM aliis (Quia Nos Pulvis & umbra sumus)
Sed procùl hoc procùl esto! Venis ter amabilis hospes;
Gratáque, &, in Sobole hac, bis veneranda Parens.
Fusca quidem; Speciosa tamen, quasi Luna viatrix ;
Lucidáque, ut, tetricô Stella marina fretô.
Sic oculis, animóque micas (quasi sidus) Elisæ :
Vaticinámque novo lumine pingis Anum.
Hinc, ità Grata oculis, ità Clara prophetidos; esse
Pulvis Homóque mihi : non etiam Umbra, potes.

ELE-

ELEGIA III.

Hiſtorica.



Argumentum.

INTERDUM *Culpæ non-Lata, ignoratus etiam Error; Latiſſimè tamen, & ad cœlum uſque patet. Notiſſimus eſt hoc in genere,* CYRIACUS *Abbas; quem* LAURÆ *Calamónis (Aſceterii, ſic in Palæſtina dicti, & ad Iordanis ripam ſiti)* INCOLAM *exercitatiſſimum:* DEI *Mater, per quietem oblata, comitantibus utroq;* JOANNE, *(Baptiſta, &*

stâ, & Evangelistâ) INVISERE *tamdiu dedignata est; quamdiu Evangeliorum codici, qui in cella Cyriaci servabatur, adnexus, ignorante possessore, scelestus* NESTORII LIBER, *cohæreret. Is, vix serò tandem deprehensus exustúsque;* VIRGINI *ad hominem aditum, & Cyriaco* VIRGINEM, *reconciliavit. Vide Ioann: Moschum, Prati Spiritalis c. 46. Baronii Tomum V. ann. 429. & alios complures.*

QVI Tuus est, sit Virgo, meus! Sit uterq; sub uno
  Imbrice! Sit gemini corporis una domus.
At cōtrà; procul esto meo mihi culmine, quisquis;
  Ex animo, Dominæ non studiosus erit.
Longiùs ille tamen, Gyarísque remotiùs, absit,
  Siquis & (Hanc pestem quis ferat?) Hostis erit!
Quid? Mihin' esse queat Mariæ proscissor, Amicus?
  Quâ sine, non possum Vivere nolo Mori?
Sit Diris datus ille locus! datus incola Diris!
  Semideus quamvis hic foret ille, Polus.
Exemplis doctus, fugerem tam noxia monstra;
  Me nisi fervidior prædocuisset Amor.
Nox (testata cano) tenues sic sparserat umbras,
  Ut tamen hæ radii diluerentur ope:
Luna, facis præbebat opem; suppletáque fratris
  Spargebat mundo lumina, fida soror.
Illa soporatis (siquis vigilaret) ocellis,
  Et maris, & terræ clara theatra dabat:
Monstrabatque cavo stellante, æthere, luces;
  Ac, siqua in stellis pulcrior inde micat.
Tu, mea lux, astris es pulcrior omnibus. Et nunc
  Non tantum vibras eminus, ecce, jubar!

Comi-

Cominus, ipſa venis, comitata ſatellite cœli
Duplice. Non Pollux; non ibi Caſtor, erat;
Ornamenta tamen rutilantis uterque Palatl,
Et conſangvineâ nexus uterque fide:
Ac, niſi lex uteri variaret, cæterà Fratres;
Et JOANNÆ Æ vocis honore pares.
TRES ibant pariter: medio tu tramite, Virgo.
AD latus, hinc atque hinc, Prodromus atque Nepos;
Juxtim, lympha fluens, duplici Jordanis ab ortu,
Splendebat radiis aurea tota tuis.
Ad ripas, Calamonis erat cognomine nota,
LAVRA, Palæſtinis apta latebra viris.
Hîc & Palmiferi dudum ſacer incola campi,
Divinas ſitiens aſpiciebat aquas:
(CYRIACO nomen fuerat, Jordanis alumno)
Cyriacus vigili membra ſopore levat.
Ecce tibi! Quod Sole ſolent vix cernere pauci;
Nocturnâ Vigilans ipſe quiete videt.
Tantus erat tuus, ó Virgo, nitor, aurea! Cernit:
Et, tibi mox Oculus totus ut eſſet, avet.
E thalamo, caſulaque ruit (thalamúmque, caſámque
Omnem, unus cubitus fecerat; una ſpecus)
Proſilit; ac tecto (niſi quà ſopor alligat alas)
Devolat: &; Virgo (clamat) amata, Mane!
Virgo, mane! jô, ſiſte gradum! quæque omnia luſtras
Pegmata cellarum, ſylvicolâmque lares;
Ne tranſi ne (quæſo) meum, venerabilis, antrum!
Viſe meas etiam cœlite calce fores!
Cyriacum ne ſperne tuum, lux, ſtella, corona!
Mater, abis? Mater! nec mea vota capis?
TALIA clamabat. clamantem mobilis Echo
Per rupoſta fuit viſa juvare loca. (ta eſt:
VIRGO, nihil contrà. comitum quoque lingua reten-
Non tamen & flentis lingua retenta Senis.
Nam curreris (ità viſus erat ſibi; peſque labaſcens
Poſtmodo perſuaſit) flenſque ſecutus Heram;
At ſaltem, Saltem, ô, Oculos (ait) Alma, retorque!
Hev, ubi ſunt Oculi nunc quoque, Diva, tui?
Siccine

Siccine (ſiqua Reum tangit me noxa) nec ipſum
Reſpicies Miſerum ? Reſpice ! viſe ! doce !
GUTTA cavat lapidem : Matrem non molliat humor
Flebilis ? Ad flentis mollior eſto preces !
Sic flebat. Lacrymanti ergò, cervice reflexâ,
Non tamen & mollì, tetrica Virgo refert ;
Quid tu ? (inquit) Stabulúmne tuū,& gurguſtia,viſam ?
In quibus eſt Hoſtis nidus, & umbra, mei ?
Dixit. & obticuit, ſuperáſque receſſit in auras.
Solvitur hic ſomnô; nec tamen, Ille, metu.
Quærit : &, ut prendat Mariæ manifeſtius Hoſtem ;
E ſilicis cæco ſuſcitat igne facem.
Atque papyratam circùm penetralia, circùm
Oſtia laternam, curtáque tecta, ferens ;
Non foris hunc Hoſtem, non, quem petit, invenit intus:
Nox foris, & cavitas, & niger horror, erant ;
Intus, humi fluitans lodix, reſupinaque fulcris
Menſula fictilibus : teſtáque, caſſa dape :
Penſilis & clavo rhaphanus, minimíque paratûs
Arula, cum Libro. Præter at iſta, nihil !
Ac, licèt illato Pectus quoque lumine luſtret,
Diſquirátque animi faſque, nefaſque ſui :
Nil tamen hîc etiam (Tanta eſt fiducia mentis !)
Stat, quod Virgineæ pugnet amicitiæ.
Jámque videbatur labor hic, ludibria ſomni,
Aut deſperandæ ſedulitatis opus.
Ergo Evangelico (Quid enim præſentius, ægra
Mens coquat ?) intentum codice pectus alit :
Quódque migraturæ ſupereſt de tempore noctis,
In Librum infixo lumine, lector obit.
Paullatim Nabathæa Syros aurora reviſens,
Formoſum croceô vexerat axe diem :
Tunc, quem Nox hoſtem texit, Lux clara retexit ;
NESTORII (virus ter furiale,) Librum.
Juncta (malum !) ſanctis charta infandiſſima chartis,
Appendice pium peſte gravabat opus.
Mox Senior, Ferat (inquit) opus quem conditor,ignē !
Sic data ſunt meritis ſcripta nefanda rogis.

Juſta

ufta crisis! dignúmque pio Minöe tribunal!
Hæc eádem similes ventilet urna Libros!
n Lucem veniat, quicunque est scriptor Amicus;
In Flammam, quisquis Virginis Hostis erit!

FOENI-SECTIO.

Aperta sunt PRATA: & apparuerunt Herbæ virentes: & Collecta sunt FOENA, de Montibus.

Proverbiorum Cap. XXVII. Versu XXV.

ELEGIA IV.

PRATA, JULII MENSIS PROPRIA: ET OMNIGENO FLORE DECORA.

Argumentum.

OETINGA-VETERE, *per urbem* MILDORPIANAM, *reversus Auctor*; *Haâgæ*,

H *Comi-*

Comitatûs Boiarici, tractum, sylvas, atque PRATA *demiratur.* FLORES *campestres omnium generum (ceu* FOENI *materiam) per singulorum Græca, Romanáve vocabula; necnon Papiliones, aliáque Insecta pratensia, perstringit.*

HAAGÆ SITUS.

FAllor? An hic ipse est viridantis frugifer Haâgæ
Tractus? & Arbusti nobilis uber ager?
Culta, Palatinâ quà gleba siligine pinguis,
Triticeô in domini fercula flore comat?
Hìc, ubi subnigris procùl undique cærulat umbris,
Amphitheatrali sylva reducta cyclô:
Sylva, Dianæis olim (siqua ulla) pharetrîs,
Atque Melampodicis exagitata sonîs:
Nunc Albertæis (quantùm propè nulla) Molossis
Pérsona; fulmineos retibus indit apros.
Principéque induti pavitantes cuspide Cervi,
Majestate priùs, quàm Ducis ense, cadunt.

ITER. ALAUDA. COLLOQVIUM.

Sed sensim, è primis Querceti collibus, orsi,
Pergimus, en, pronis ad loca plana rotîs!
Jam sylvestris ager, mansveti jugere campi,
Sternitur; ac placidâ valle recumbit humus.
Jámque procùl dextri se tollit ab aggere clivi,
Deutero-Laureti parva, sed apta, domus.
Quàm juvat, ô comites, Mildorpide fessa quadrigâ,
Fractáque ad alternum pendula membra latus,
Tollere pilenti malè gratâ è sede? rotísque
Libera, nativæ restituisse viæ?
Hevs! auriga Pelops! eho! intersiste! pedestres
Ire, juvat: Celeres siste parumper equos!

Vah!

Vah! rectè & comes hîc! Descendimus, alite faustô!
Aërio nobis plaudit Alauda trochô.
Cernis, ùt in lentos se circinet ardua gyros?
Ut canat? ùt jubeat nos quoque, In Alta, sequi?
Æqua mones. cassita! Sequi stat, In Alta monentem:
Hoc ipsum Superis, si petis astra, refer!
Dic; geminos illuc, Alemannide gente, sodales
Tendere: sed, Post te: sed, meliore die.
Felix ille dies! qui nos de pulvere busti,
Phœnicas, superâ finget in Arabia!
Interea, Patienter iter, patientiùs orbis
Cursemus stadium: limes, Olympus erit.
Tantisper, terras Miremur! & astra Sequamur!
MULTIS, ad cœlum est factus, ab orbe, gradus.
Nunc, quoniam soli, sub Sole (Lupambule) blando,
Exigimúsque diem, conterimúsque viam;
Prata per, & (sic ne valeam!) per Thessala plusquam,
Et Cilicum Tempe, divite picta crocô:
Florea promamus, pratisque simillima verba:
NAMQUE decent pictum, non nisi picta, locum!

PRATORUM VARII FLORES.

(Hos singulatim, sub Operis totius calcem, explicatos, in Syllabo seu Indiculo Vocum, lector reperiet.)

En! quàm conspicuo nitet omnis germine campus?
Quàm natat undanti molle virore solum?
Quàm bene gramineis amicitur compta capillis
Area? quot Florum mitra coronat agrum?
Pro minimo, Viror est, & amœnus agrestios horror;
Pro minimo, bulbi, malva, triphylla, thyma.
Herboso pretium cumulat natura tapeti
(Verus enim, Terra est, sic decorata, tapes)
Versicolore vices alternant gramina flore:
Chloridos & varia sindone fulget humus.

Hîc (viden') ut radient animatô lychnides astrô ?
Hîc ambubejas ut sua flamma probet ?
Hîc & luteolâ fulget flavedine caltha :
Hîc & pallidulâ luce chamædryades.
Nec scintillantî minùs ardet cacabus aurâ ;
Nec minùs , auratis crinibus heliopus.
Hos inter, niveo buphthalmi vertice candent ;
Et niveæ candent lilia fronde comæ :
Lilia, quantumvis inculti ruris alumna ;
Svave tamen capiti partheniumque bonum.
His , sua narcissi miscent insignia ; miscent
Irides , ætheriô germina blanda labrô.
Hîc vel cœruleâ cava tintinnabula pendent
Cyclade ; florentî vel pelecanus ave.
Parte aliâ, violas cœlesti rustica cultu
Salvia dum simulat ; germen utrumque jugat.
His & purpureos amarantus nectit odores ;
His se bettonicæ Punicus addit honos :
Et, quæ multifido dependens stellula filo ,
Sangvineo Eoi muricis imbre rubet :
Et, quæ densa fibrîs referunt capitella comatîs ,
Aut botrum, aut morum; tincta cruore rosæ.
Pratenses etiam rosulæ de vepribus halant :
Ostrinóque frequens volvulus ore coit.
Hortenses etiam pæonides, atque cruentis
Smilaces assurgunt (pendula planta) nolis.
Adde, chamæmêlis chrysanthema juncta Pelasgis.
Itala : chrysanthos, chrysocomasque Syras.
Adde coronatô rutilantes vertice, nodos ;
Quos centumgemino copula flore plicat :
Euphrasiámque, oculis visu succoque salubrem ;
Quam propè, gomphænæ est multicoloris apex.

HERBÆ, ET FLORES RIVI.

Quin Rivus quoque (pratorum Vita altera, rivus)
Pinguia transverso prata decusse secat.
Prætereuntis aquas querulo se rore fatentes ,
Ad latus, hem ! viridî ripa colorat humo :

Pro-

ronáque pitiſſans inhianti gramine ceſpes
Stagna, bibit vitreas, atque figurat, aquas.
ntus, aquatilibus naſturtia ſemper amœna
Aſparagis; intus mentha, vel ulva natant:
landior hæc oculis; ſed naribus aptior illa.
Has prope, pulegii germen agreſte ſedet:
tque leontopodis, riparum in margine, planta;
Parva, ſed, Immemorem quæ vetet eſſe ſui.
men Inobliti quia fertur Amoris habere:
Hinc quoque Mnemoſynes nobile nomen habet.

PRATORUM INSECTA. GRYLLI CANTUS.

INGULA quid referam, ripæque & amabilis arvi,
Semina? Tot flores, tu quoque, grylle, canis.
u, medio de Sole ſtrepens, vix ſtridula ſerô
Veſpere, vix ipsâ carmina nocte, premis.
E, tua vocali trudentem cantica pennâ,
Florilegæ cingunt, & venerantur, apes:
u, quæcunque vagô pervadis paſcua plectro;
Paſcua, ducto illuc milite, Caſtra facis.
am ſua Papilio poſt te trahit agmina pictus;
Hæc lituos ſequitur turba ſuperba tuos.
latis ſtant ordinibus: ſagulíſque nitentes
Pars Tyriis; multos cærula penna vehit.
ars, picturato diſtinguit tergora pardo:
Pluribus eſt albus, ſed ſine Sole, color.
am pueri, miniô ſparſas venantur, & aurô;
Aut, violæ tinctas more, ſequuntur aves.
oſt has, cantharides, viridíſque & coccina, ſerpunt;
Coccina, quæ Mariæ-Bucula, nomen habet.
oſt has, longipedes ſaliunt, ſine lege, locuſtæ;
Et gryllo ducunt admodulante choros.
u choreas his, grylle, cies. His tibia longa eſt;
At tu, tibicen. Sic, puto, grylle, canis;
, laus Pratorum! O, nullis imitabile ſuccis
Chroma! ô, Divinæ linea ſumma manûs!

Quis te Parrhasius? quis sic animaret Apelles?
Quis Zeuxis, cupidas fallere doctus aves?
Tam varias nunquam daret Attica Pœcila formas;
Tam varias nunquam discolor Iris aquas.
Non Solymæa suum tam cultè Gloria regem;
Non Salomoniacam vestit Erythra domum.
Non ipsum (vix certè Ipsum!) revolubile cœlum,
Tot radii alternas fértque, refertque, vices.
Aut igitur Cœlum, posthac, Campestre vocetur;
Aut hic, Cœlestis sit mihi Campus, ager!

ELEGIA V.

Argumentum.

Prati, florúmq;, modò celebratorum, repentina per FOENISECAS *absectio deploratur. Fœni-Sectionis quoq;, Siccationis, & Collectionis, hypotypósis adjungitur.*

SIc omnis tandem bona Forma fatiscit! Et auri,
Et lapidum species, Indáque gemma, perit!
Ipsa etiam Solis, cum vespere, blanda senescit
Gratia; & Hesperiis lux tenebrescit aquis.
Ipsa etiam Cœli, tandem fluet igne venustas;
Ipsa suus cœlo detrahet Astra dies.
Æthere Lapsuro, quid, labi cætera, mirer?
Fas est, Summorum fata, minora sequi.
Ille meus, tot cultus heri modò versibus, & tam
Pegaseo largè fonte rigatus ager:
Ille meus Zephyri pullus, Zephyritidis ovum,
Flos Floræ, ac teneræ Chloridos unus amor;

Nunc

Nunc acie ferri Campus cadet. Ecce, remotis
  Jam mors è villis, perniciéſque, venit!
Sex procùl, (an fallor?) barbato robore Septem,
  Huc, per aperta ferunt ſe corpleta, viri.
Et jam jamque magìs, poſt dorſum monte relictô,
  Conſpicuô vallìs prona furore petunt.
Fœni- (nam quo aliô tituli velentur honore?)
  Carnifices! quos falx, barbaráque harpa, cibat:
Grande quibus fœnus, Fœnū eſt; quejs dextera ſectrix,
  Magnum opus, & ſævum ferrea Luna lucrum.
Succincti pharetris omnes, & cotibus omnes:
  Vagina occultis ad latus undat aquis.
Nam, ſua quæ cujvis vagina eſt fágina; falcis
  [illegible]
Dum loquor; unà omnes uno jam prata furore
  Ingreſſi, ſævum præmeditantur opus.
Sacrilegas poliunt, prævulſo gramine, falces;
  Et teſſellatâ cornua rupe acuunt.
Mox, ſcelus aggreſſi, diductos varice limo,
  Tranſverſaque pedes in ſtatione locant:
Ordinéque obliquùm longô crudelia lunant
  Inſtrumenta; agilî ducta, reducta, manu.
Arva metunt, jugulant flores, vaccinia cædunt,
  Lilia decapitant, vettonicáſque ſecant;
Euphraſias ſternunt, amarantina germina mactant;
  Lychnidas extingvunt, chryſocomáſque necant:
Abrotonum plectunt, chryſanthema Romula truncant,
  Decollant calthas, conficiúntque roſas.
Alba liguſtra, thymos, libanotidas, irin, aniſum,
  Cúmque tribus tondent mille triphylla comis.
Et verbena perit; cadit Ambroſiana ſub ictu
  Salvia (Quod ſcelus eſt, &, violare Deos)
Quid dicam ulteriùs? perit & caſſitula, ſiquam
  Tardior in glebis cura parentis alit.
Anxia quam mater lugubribus obvolat alîs;
  Funeráque his laniis in caput atra canit:
Innocuo[illegible] ſua rorantem ſanguine natæ,
  Harpam, ánne Harpyiam, clamet? in ambiguo eſt.

Crimen inhumanum est, gramen; sed atrocius, ipsas,
 Graminis indigenas perdere falce feras.
Et, cur dico, Feras? Sirenas, frugis alumnas?
 O, vestris Siren non canat ulla casis!
Sed strix, &, Stygiis modò noctua missa cavernis,
 Ad vestras ululet, voce minante, fores!
Hoc matris votum est, pro funere prolis, alaudæ.
 Vix matrum in ventos ira vel omen eunt.
Sed, metus hic vestros (ad nos nihil attinet) artus,
 Fœnisecæ, exsugat! Nunc mea Prata cano.
Quanquam, quid Prati reliquū est? quid restat in arvis?
 Campus, qui Fuerat floridus, ille Fuit!
Hoc satis est! Major verbi est neque mollibus herbis
 Gloria, [illegible]
Nunc bustum est, Pæstana fuit quæ Troja. Papaver
 Quod modò vernabat, triste cadaver adest!
Ver olim, mox herba virens, flos postmodo, tandem
 Gramen: ab hoc, stramen fœnebre, culmus, acus!
Rustica, post horam, rastris instructa juventus,
 Clamosâ hanc vallem garrulitate petet.
Hîc, quam falx multô scripsit modò barbara versu,
 Fœnea rastrorum linea dente cadet.
Turbatis vertent languentia gramina sulcis;
 Et calidô frangent térque quatérque die:
Floreáque ut demum testentur mortua Tempe,
 Factáque solari torrida busta face:
In Cipporum apices redigent lacrymabile pratum.
 Quot tumulos campus, pyramidásque feret?
Quot, per prata, strigæ surgent, quasi picta Sepulcra?
 Avehet has querulis crastina triga rotis.
Jámque novô stipans fœnilia rusticus ervô,
 Hac unâ exsaturat multa palata dape.
Sub Fœno, sua cuique suo blanditur orexis:
 Persica, fit vitulis, cœna; tragema, capris.
Brassica, plebejis fit equis; bellaria, vaccis;
 Fit promulsis ovi; fit melimela, bovi.
Semineci panis muri, satureja locustis;
 Pastillus gryllis; Omnia, pigro asino!

ELEGIA VI.

TERRÆ QUERELA

Ob Graminis perpetuam demessionem: ejusdémque, ad FOENI *sterilitatem, indignabunda obfirmatio.*

Scripta in FOENI publicâ, per Germaniam, penuriâ, & pratorum calamitate.

MAter Terra, sedens in colle Scamandridos Idæ,
Talibus augebat fletibus amnis aquas;
Infelix ego! tam vario, tam divite fœtu:
Quem rapit ante suum, falx Falis hirta, diem!
Tot mihi nunc prato pubescunt ubere campi;
Tot florent valles, tot loca celsa virent.
Munere fœta meo regio, quæ flumina bina
(Ipsa situ medio semper amœna) bibit;
Gramine pendenti ripam prætexit utramque:
Hinc, umbram Euphrates, pabula Tigris, habent.
Sunt uterî nostri, Cilicúmque & Thessala Tempe:
ME pariente, suô fit gravis Hybla thymô.
Ex me Cecropius vernátque & spirat Hymettus:
Ex me, pingue Rosam rus Jerichuntis alit.
Thaboris Hermonísque, meus sunt, germina, succus:
Denique, dic; Quod non gramen, & herba MEA est?
Omnia barbaricâ simul aufert Julius harpâ
Annuus. ô, Mensis, messis acerba mihi!
Crudeli jugulant æstivi gramina ferrô
Fœnisecæ, cæsô lilia caule, jacent,

Meque ipsam (quis sacrilego non palleat auso?)
  Ad cani tondent verticis usque fibras.
Maternúmque, piæ Themidis sine legibus, ardent
  Decalvare caput. Squalleo, nuda comîs.
Atque ità, quæ Mater, tot sum per sæcula, Vestra;
  Rasô Vestalis vertice fio Soror.
Scilicet, hanc seris profiteri cogor in annis
  Nunc demum vitam? Fiat! & esto ratum!
Addite, mortales, peplum mihi: tempora vittis
  Cingite: & obnuptis os operite genîs!
Cum facie ablatâ, Matris quoque demite munus:
  Cogite, Vestalì Virginitate frui.
Sic neque me posthac Parientem cernere, vobis;
  De vestra detur, nec mihi falce queri.
Dixit. & austero firmavit numine dicta:
  Ac certè hic annus graminis orbus erat.
Aut nimiis etenim Tellus fervoribus usta,
  Aut Hyadum pluviis postmodo mersa Notîs;
Dedignatur adhuc, solitô dare pascua Fœno:
  Sic neque pax, neque Mars, pabula sveta secat.
Ergo, quod in Terra nusquam est; quæratur in Astris!
  Hinc, superâ DANIEL sidus ab arce, micat.
Ille dabit, Septem durans in tempora, gramen;
  Et (Fœnum in Cornu cuj sit utroque,) Bovem.

ELEGIA VII.

NABUCHODONOSOR MAGNUS, FOENUM, UT BOS, COMEDENS.

Historica.



Hujus VIRI *(quem* NABOLASSOREM, *scriptorum vulgus appellat) Tragicam sanè Metamorphosin, per gesta suósq; annos expensam, reperies, accuratâ veritatis trutinâ, apud Iacobum Salianum, Ecclesiasticorum annalium Tomo V. ab Anno Mundi 3464. Nos tibi, Lector, Synopsin daturi solam; Di-*

viniorem non potuimus, quàm nuda Biblicorum voluminum verba.

Argumentum.

DANIELIS *Cap. IV, Vers. 25.*

*

Omnia hæc, venerunt ſuper Regem NABUCHODONOSOR. Poſt finem Menſium duodecim, in aula BABYLONIS deambulabat. Reſpondítq; REX, & ait; Nónne hæc eſt BABYLON, civitas MAGNA? quam ego ædificavi in Domum regni, in robore fortitudinis meæ. & in gloria decóris mei? Cúmque ſermo adhuc eſſet in ore regis: vox de cœlo ruit; Tibi dicitur, Nabuchodonoſor Rex! Regnum tuum tranſibit à Te: & ab Hominibus ejicient Te: & cum Beſtiis, & Feris, erit habitatio tua. FOENŨ, QUASI BOS, COMEDES! & SEPTEM TEMPORA mutabuntur ſuper Te; Donec ſcias, quòd dominetur Excelſus in Regno hominũ: &, cujcunque voluerit, det illud. EADEM horâ, ſermo completus eſt, ſuper Nabuchodonoſor; & ex Hominibus abjectus eſt,

est; & FOENUM, UT BOS, COMEDIT: & Rore cœli corpus ejus infectum est: donec capilli ejus in similitudinem AQUILARUM crescerent: & ungues ejus, quasi AVIUM. Igitur, post finem dierum, EGO Nabuchodonosor oculos meos ad cælum levavi: & sensus meus redditus est mihi: & Altissimo benedixi.

MUSA, cothurnato paullisper tetrica passu,
Effer suspensos ex Helicone pedes!
Ad tumidam Babylona fides heroidas affer;
Quáque potes, claudi poplitis abde genu:
Esto aliis, per nos, Elegia! Tragœdia nobis:
Ac, pro re grandi, grandia verba tona!
REX regum, Auroræ populorum fulmen, & horror
Tethyos occiduæ, conchilegæque Tyri;
Quem Ptolemææ formidavére tiaræ;
Cuj tot Hyperboreæ succubuêre mitræ:
Fortè Semiramiâ Magnus Nabolassor ab aula,
Pensile quà cœlo tollit hypæthra nemus,
Splendida suppositæ despectans mœnia molis,
Ructabat tales, è saturo ore, sonos;
NONNE hæc est illa, illa potens, Babylonica Troja?
Quam neque Neptunus, nec posuêre Dii?
Ac neque, Nemrodi stirps invictissima, Belus?
Æmula, nec, Belo dextra Semiramia?
Sed, Tantam Tantus, firmam fortissimus, urbem,
Cœlo æquam eduxi, Juppiter alter, EGO!
Per NOS metropolis; per nos, est regia mundi:
Per nos, Belæo verberat astra tholô.
Quòd coctô látere est, Syrióque bitumine sôlda;
Ab nostris Thebæ hæ sic coiêre minis.

Quòd mediam secat Euphrates, & ponte maritat;
Tigris, & Euphrates sub mea fræna fluunt.
Quòd concursantes, sine noxa, vasta quadrigas
Mœnia tramittunt; mœnia Nostra, scias!
Quòd, plus quàm decies octonis pervia portis,
Quòd totidem surgunt turribus; auctor Ego!
Quòd Babylon, domiti spoliis Orientis, & auro
Dives ovat; Nostri robore Martis ovat!
Quas Belo posuère aras, quæ templa priores;
Sæcula debebunt postera nonne Mihi?
Talia dicentem, & dicturum talia plura,
Vox interrupit, turbinis acta modô;
Decretam, Nabolassor, habe, quam justa Tonantis
Ira jubet, pœnam! Dejiciére locô!
Pelléris solióque simul, simul urbe. Tuúsque
Qui Nimiùm fueras; non eris ipse Tuus!
De cœlo quæcunque venit sententia, Fixa est:
Et solidô mordet metam adamante suam.
Illicet, emoti Regem dementia cordis
Efferat: Humani pectoris ordo cadit.
Attonita, à superæ manifesto fulmine vocis,
Mens, fumum ac nebulas concipit: icta, furit.
Jam Sibi fit Quadrupes, bipedum ter maximus ille;
Jam se sylvicolam Rex putat esse Bovem
Jam cidarim (Assyriæ regum pro more, bisulcam)
Magnanimæ credit Cornua torva feræ.
Cor tumidum, putat esse toros: Os, tanta locutum,
Fit tantum, quantùm Caspia porta patet.
Collum, torque fluens, illi palearia fiunt:
Sublimes oculi, more Cyclopis, hiant.
Sardonychata manus, sibi tangere sidera visa,
Et digiti fulvi, gemmiferíque pedes;
Ungula nunc fiunt, ex unguibus Et Rex totus,
Fit Sibi Bos totus; fit sibi norma Boum:
Bubalus, atque bison, taurúsque boator, & urus,
Efficiunt unum, tot fera monstra, caput.
Et modò concordi populorum voce (nec abs re)
Cognomen Magni qui Nabolassor habet;

Magnus avo, magnus natalibus, atque magiſtrô
(Quippe magiſterium ſub Daniele tulit)
Bellator magnus, victor poſt prælia magnus,
Ingeniíque acie magnus, & arte fori;
Hev mihi, tam magnâ, titulorum tam magnorum,
In ſegete, grandi labe coronat opus!
Deſipit, exerrat, ſtolo fit, fit ſtultus & amens:
Hôc ſolo tandem in nomine Magnus erat!
Quíque tot, hev! linguas, quot ſceptra & regna, tenebat;
Aſſyricè doctus, Chaldaicéque loqui;
Parthica cuj vocum cuj Meda peritia nota,
Cuj non ullus Arabs, non Geta, verba daret;
Quem Pharos eſſe ſuum, ſiquid loqueretur, alumnum
Crederet; ac, victæ Cyclades, eſſe ſuum:
Omnibus ex linguis, reliquarum oblitus, ab Una
Jam Grajâ μῦ! μῦ! dicere, doctus erat.
Uſque adeò Mutire datur; ſtata verba ſonare,
Non datur. O, Rege in Rhetore, grande probrum!
VESTE paludatus Tyriâ, poſt terga fluente;
Syrmate verrebat verſicolore viam.
Calcibus excuſſit procùl indignantibus illam,
Cornigeri Caudam dum putat eſſe Bovis.
Jámque aulæ fugitans (tanta eſt dementia!) paſſu
Pronus quadrupedî, liminis ima ſubit:
Pérque gradus præceps, regali marmore ductos,
Ad loca, de ſolio volvitur, æqua ſolo.
Provolat ardentî, quà fert via publica, curſu;
Currentem ſequitur ſerva caterva Ducem:
At, pedibus multùm imparibus. Vix ſerò prehenſum,
Conſilio ad ſceptrum blanditiíſque, vocant.
Sed, famulos putat ille ſuos, paſtoria caſtra;
Hinc ſceptrum, ut baculum, reſpuit, atque pedum;
Et, quoties oſtrina parant obtrudere Regi
Pallia, purpureis aut decorare togîs:
Ille rubram Tyrii peſtem velaminis, ut Bos,
Vitat; &, ut taurus, muricis odit opus.

ERGO,

ERGO, renitenti (Quid enim, niſi cogere, reſtat,
  Cui fruſtra ſuaſum eſt?) vincula, vimque parant.
Primaque circumdant. Serum de vellere, vincla:
  Ille ſed in rapidos diſcutit illa Notos.
Aurea vincla petunt. (neque longè huc quæritur aurũ;
  Quas tulit hic torques, hæ modò nodus erant.)
Ille ſed hæc etiam, tanquam malè congrua tauro,
  Scindit, & è collo non crepitare ſinit.
Aurea quo rupit, quo robore vincula Serum;
  Hac ipsâ ferrum vi chalybemque, ſecat.
Diſſipat æs ſolidum (TANTÙM valet, alta phreneſis!)
  Publicaque, inviſis omnibus, arva petit.
Hìc venit in, DURÆ famoſos nomine, campos;
  Et, Statuæ quondam nobile mole, ſolum.
Pro Bove nunc agit hìc; ubi nuper pro Jove fulſit:
  Graminaque hìc quærit, quà modò thura, ſibi;
Cujque genu poſuêre Duces, & regna; fatiſcens
  Curſibus atque metu, ponit & ipſe genu.
Vellit adoratas, tantus modò Juppiter, herbas:
  Hic videt Idoli flens baſin ipſe ſui;
Atque, è disjecto ſiquod ſibi fortè coloſſo
  Prognatum videat; carpere gramen amat.
Hìc etiam, quem latè orbis metuebat Eous,
  Ipſe ſuæ veſpas, ac timet œſtra, cuti.
Tigridis ergò citas, rapido pede, tendit ad undas;
  Trajicit hìc currens ocyor ipſe, vadum.
Hinc abit, ad rigui viridantia prata Niphatæ;
  Atque avido ſcandit paſcua ſumma gradu.
Aſſyrias illic inter ſylváſque, feráſque,
  Montéſque, & valles, & nigra teſqua, boat.
Ah! quoties ſaturis, ſed avarò pabula dente
  Præripere intentis, lis fera Bobus erat?
Ah! quoties aliquâ Falſiſſima cornua quercu,
  Aut bove, fixurus, vulnera Vera tulit?
Pugnantes etiam, niveâ pro conjuge, tauros,
  Juridicîs voluit conciliare minîs:
SED nil profecit. Qui ſe non noverat ipſum,
  Hunc nemo agnovit. Rex, gregis unus, erat.

Sæpe

Sæpe etiam summi despectans vertice saxi,
  Unde Niphatæus sidera pulsat apex;
Ternò obeunda die, veteris modò mœnia Nini,
  Nunc unò aspexit, tè Duce, versa die:
Vidit &, (ac, visâ, ingemuit) Babylona remotam;
  Ah! quàm distantem nunc Babylona suam?
Nec tamen ex tota, quantumvis sedibus amplâ,
  Urbe placet quidquam, quàm vetus aula, Duci.
Et neque tota tamen, Domino placet aula superbo;
  Sed tantùm, summâ quod viret arce, Nemus.
Pensilibus cuperet sibi prandia semper in hortis;
  Prandia, quæ vernans suppeditaret olus!
Sed, desideriis citiùs, quàm tangere plantis
  [illegible]
Saltibus ac sylvis fixus Rex efferus, hæret:
  Pro septo, hujc pecudi, Numinis ordo fuit.
Septem æstus illum, totidémque ussére Decembres:
  Ætheris innocuam præstitit umbra diem.
Ungula quæ visa est, milvinum prodit in unguem;
  Et pilus, Arctoi penna fit accipitris.
Fecerat has tumido cristata superbia plumas.
  Nunc eat! ac, monstrum se neget esse Feræ!
Sed, VENIÆ datur hora reo. Res mira! voracî
  Qui non ore novis parcere nôrat agrîs:
Mordacî non dente herbis, non gutture verbis;
  Hujc, pœnâ exactâ, parcere Numen amat!
Jam Duræ campos, jam Tigridis utraque prata,
  Jámque Niphatæum carpserat omne jugum:
Jam fœni pars una super, regióque, manebat;
  Euphraten inter quæ viret, atque Tigrin:
Hanc tandem intravit, latè superantibus herbîs
  (Tanta est Assyrio vísque, Venúsque, solo!)
Graminis hic pinguis turritâ messe sepultus,
  Non illinc terras, non speculatur aquas.
Tantùm cœruleum, medio de cespite, cœlum
  Aspicit: Aspectô, QVIS regat astra, subit.
Tunc aperit, damnátque, Oculos, minùs antè levatos;
  Agnoscítque Unum, conciliátque, Deum.

Nec

Nec mora! divinis veniunt impulſibus acti,
Chaldæi . æſtivo ſidere, fœniſecæ.
Inveniunt, faciúntque, viam: Regémque reducunt:
Reſtituunt ſolio hunc ſubdita regna ſuo.
SIC falx (nec pudor eſt) ſceptro jam clarior, orbem,
Quem ſceptra abſtulerant, reddidit una Duci.
Nec Dux ipſe negat: Factúſque modeſtior, exſul,
Aulæ pro foribus tale epigramma notat.
QUISQUIS amas fieri malè Bos, imitare Superbos!
Icone non fictâ mox eris hirta Fera!
Talem, me tumidum, fecit mea Regia; cúmque
Urbe ſuâ, regio: Pro Ducis ore, bovem.
Aſpiciant alii poſthac ſua regna toparchæ;
Ac tituló [illegible]
[illegible]ptum & Memphin, Nili de gurgite pinguem,
Rex Pharius, cumeras HORREAQUE Ampla vocet!
Phæaces ſua regna, putent, POMETA, dynaſtæ!
Et ſua Pæſtani, lata ROSETA, Duces!
Judæi Palmeta crepent! Vinetáque Lesbos!
India ſit gemmis tota, MONILE, ſuis!
Unicuique ſuum, de fertilitate, tyranno
Nativâ placeat nomen! & indè metat!
ME titulis deinceps juvat inferioribus uti.
Sit STABULUM, Babylon poſtmodo magna, meum!
Sit, FOENILE ingens, (depaſtum, ac Tigride toto
Exeſum) vaſtæ Perſidos omne ſolum!

ELEGIA VIII.

STATUA NABUCHODONOSORIS.

Huic iam olim; & nunc denuò ſtirpitùs everſa; ſuccreſcit, in Campo DURÆ, *Fœnum.*

Argu-

Argumentum.

HIC *ipse, quem legisti modò,* MAGNUS *Nabuchodonosor,* BABYLONIORUM *&* ASSYRIÆ *Monarches; ante Annos aliquot, in campo, quem* DURAM *appellant, inusitatæ magnitudinis Colossum inauratum erexerat. In hoc* BELUM, *Orientalium populorum* IOVEM, *Regii Oris imagine figuratum, sic Gentibus sibi subjectis, certo die venerandum proposuerat: ut astu, stolidæ superbiæ [illegible], uno in* IDOLO, *unaq; ingeniculatione, &* BELUS *adoraretur, &* NABUCHODONOSOR, *à* BELO *repræsentatus. Scelestam hanc vanitatem difflavit,* VENTUS *ille Roris* FLANS; *qui* TRES *Palatines Iuvenes impietatem exsecratos, medias inter Flammas, cùm urendi essent, refrigeravit. Tunc enim, in Vnius ac* VERI NUMINIS *professionem* REX *jurans; atheum utiq; Deum illum, cum* IDOLI *formâ, disjecit:* BASIN *(ut fit) reliquit, nihil sacrilegii retinentem.* CÆTERUM, *ut Homines sumus, in crescente præsertim blandientis Fortunæ Majestate:* NABUCHODONOSOR, *Sui ac Veteris resipiscentiæ memoriâ deletâ; post annos haud ità* mul-

multos, iterum in COELUM OS SUUM LEVAVIT: *& ob hoc, ex Hominum ejectus consortio, Bovisque corde sumpto furiosus, inter* DESERTA *septennio palatus est. Vix serò tandem, recognito* DEO COELI, *mentéque sanâ restitutâ; creditur à Poëta,* STATUÆ *illius scelerata, (Nequid etiam radicis ex Impietate primâ superesset)* BASIN *quoque, & fundamenta revellisse. Divinæ certè Paginæ verba, in propatulo sunt, Perfectissimæ Emendationis testimonium* REGI *conciliantia.*

Igitur post finem (*inquit Historicus Sacer*) Dierum, Ego NABUCHODONOSOR, oculos meos ad Cœlum levavi: & Altissimo Benedixi; & Viventem in sempiternum, laudavi, & glorificavi: quia potestas ejus potestas sempiterna: & Regnum ejus in generatione & generatione. * Nunc igitur Ego Nabuchodonosor laudo, & Magnifico, & Glorifico REGEM COELI: quia Omnia opera ejus VERA, & omnes Viæ ejus Judicia! & Gradientes in Superbia, potest humiliare.

EN *Monarchæ, bis Impii, nunc ad Pietatē*

ac religionem reducti, indubitata vestigia! ad quæ, ut pervaderet; Excisis Simulacri reliquiis, nullum non LAPIDEM *(quod ajunt)* MOVIT. SED *Nos interim, in viam Regiam, amice* LECTOR!

O, factum bene! Tot pedibus modò trita Sabæis,
Tot-Chaldæorum supplice fracta genû,
Herbida Duræi reviréscit gloria campi!
Jámque, vicem sabuli, florea surgit humus!
Hîc, ubi sacrilegi steterant Idola colossi;
Ubere Quinctilis cespite Mensis ovat.
Hîc, ubi terribili modò fulserat icone Belus,
Regis adoptato Fictilis ore Deus;
Prata thymis undant. multóque, en! ebria tellus
Euphrate, exsudat germen, apúmque dapes.
Jam quoque læta boum tollunt se pabula, Fœnum;
Quod circùm, gracili crure, locusta salit.
Mox etiam, absectò surgent de gramine, cippi;
Et fœni, in cortis funere, pyramides.
Quin, ut nulla supèr tantæ stent rudera labis;
Eruere ad fundum Signa profana, placet.
Quíque priùs simulacra loco dimôrat; in ipsam
Nunc Basin, extremâ vi, Nabolassor agit.
SIC, qui Memnoniâ steterat metuendus in Ara,
Creditus Assyrii sidus habere Jovis:
Cuj plebs prona genu, sacra thura focósque Tribuni,
Summisêre Duces balthea, Rex solium:
Nunc, tot possessâ per sæcula, sede revulsus;
Hostilem patitur, Rege jubente, manum.
Sustinet & teneræ ludibria sæva Juventæ.
Quis Belum Assyriæ jam putet esse DEUM?
Quis putet, esse Virum? Nam, ad ferrea robora fractus,
Fit limus: limi è fragmine Pulvis abit.
Pulveris, in nubes, levitas volat. Incipit ergo,
Quò propior Cœlo est, hôc minùs esse Deus!

OTIA

OTIA CANICULARIA.

Frequens meditatio, Carnis afflictio est.

Ecclesiastici XII. Versu XII.

Lætare ergò, Iuvenis, in Adolescentia tuâ! Et in Bono sit Cor tuum!

Ecclesiastæ XI. Versu IX.

ELE-

ELEGIA IX.

Adolescentis φιλομέσου

ITER

In Patriam

CANICULARE,

Scriptum

Nomine JOACHIMI SEXAGENII, *Platanophili, Iuven. Cl.*



Argumentum.

Borealium regnorum Universitates atq; Academiæ pleræq;: & illæ potissimùm, in quibus Vin-

Vindemiæ vel nullæ vel macilentæ sunt; Iuvenum Musas atq; Studia, per ÆSTATEM *aliquantisper, publico & indicto* OTIO, *laxare antehac consuevêre. Mos ille tenuit eo adhuc, quo hæc Auctor scribebat, anno Christiano* CIↃ IↃ CXLI: *Fuitq; spatium illud plusquam menstruum; &* CANICULARIS *ferè Sideris durationi respondens.* SEXAGENIUM *porrò illum, illustri nunc dignitate Virum, Iuvenem tunc in primis Clarum, (cujus nomine respectúque hæc, & sequentes aliquot* ELEGIÆ *conscriptæ sunt) prima omnium* DILINGA, *erudivit Suevica: &, annuis redeunte vicibus* JULII *calore, in Patriam ad respirandum, dimisit.* HIC *igitur, cum coævis, litterarúmque consortibus indidem discedens;* ACADEMIÆ *illius* (PELICANI *insignibus exornatæ) necnon Vrbis, locorúmq; circumjacentium* LAUDES *valedicendo retrectat. Max,* ITINERIS *modicè delibato progressu, Elegiam in Templi claudit encomio: quod non positu magis sitúque suo, quàm Structoris (Illustrissimi* HENRICI, *Episcopi Augustani) religiosâ munificentiâ, etiam ad Parnassi Pindiq; vertices respiciendens;* NITOREM *suum, longè latéque*

præ-

prætereuntium Oculis incidentem, neq; debuit neq; potuit, etiam POSTERORUM *memoriæ occultare.*

NUnc CANIS Icarii Vitatos ordior ignes,
Et data sepositis OTIA blanda Libris.
Sic jubet, assiduo tenuatus Apolline nervus:
Sic, inconnivâ spiritus arte macer.
Parnassi tantisper iter, mutetur in illam,
Quâ non est Juveni gratior ulla, Viam.
IN Patrios secede lares, Studiosa Juventus!
GAUDIA da genio, sed Bona sola, tuo.
JAMQUE imus. Sed, nequa gravet mora tristis euntes;
Omne acidum, Patriæ condiat unus amor.
Mutua verborum fallant commercia curas;
Dimidiúmque viæ, pro pede, lingua voret!
RHEDA vehit pigros: Alacres facundia portat:
Nam plus, quàm geminæ, vox trahit uncta, rotæ.
Mollibus addatur; thematis quoque gratia, verbis!
SIC jam longa dies, longa curulis erit.
Alma mihi, DILINGA, vale! Pelecania Phœbi
Regia; &, IN parvo gloria magna solô!
Quæ modicis famam complexa es mœnibus amplam;
Quæque brevî, nomen longius, urbe trahis.
Non ego te posthac, nisi post duo cornua Phœbês,
Inter Castalios; Phœbe, videbo choros.
Non ego turrigeri residens in vertice collis,
Pascam oculos, Istri prætereuntis aquis.
Tu quoque, vive, vire! mea Sylvula: seu, Paradisi;
Seu, quæ Martini de lare nomen habes.
Juverat hæc Arâ; volucrum me cantibus illa:
Hæc placita est animis, auribus illa, meis.
Nunc tamen illa juvat serò, placet altera serò:
JAM sumus in portis, culta Lavinga, tuis.
His ipsis quoque (rejectâ post terga Coronâ
Hospite) digressi, frangimus arva Noti.

Jámque amplum rapidè quatiens terit ungula campum;
Jam dextris sensim deviat Ister aquis.
Paullatim sylvæ láteri, colléſque, propinquant;
Quos intrà, jaculi more, Sagitta fluit:
Amne Sagitta sonante ferox, &, ponte domari
Impatiens; vernâ cùm tumet unda nive.
Vallis ad accessum, viridis de culmine clivi,
Respicimus. Visa est non levis acta via.
More suo, nemorum quæ sunt semota, nigrescunt;
Ultima, sub nebulas, cærula sylva fugit.
Nulla Lavinga procùl superest: latet abdita saltu:
De Dilingano pars nitet una jugo.
Hæc quoque, tam vasto vix ipsa notanda recessu;
Templa suum tollant ni MARIANA caput.
Digna patrocinio moles! titulóque potenti!
STRUCTORISQUE sui non minùs æqua Mitræ.
Huic aliquis nostrûm, Pyliæ post vota senectæ,
Sic inter superos Templa precatur avos;
Fama tuos, HENRICE, tholos, tua marmora, téque,
In COELUM (sed, Te serò sequente) vehat!

ELEGIA X.

OTIUM NEGOTIOSUM.

Epistola Canicularis. I.

Scripta nomine JOACH. SEXAGENII, *Iuv. Cl. ad Insignem adolescentem* AULUM LINUM, *cognomento* MELITENSEM, *Contubernalem, & Patriæ studiorúmq; consortiô ipsi familiarem.*

Argu-

Argumentum.

Promittit SEXAGENIUS; *se, ad* LINUM, *quotidianis scriptis Elegidiis, tanquam Epistolis Laconicis*, OTIUM *istud litterarium, Caniculæ tempore litteratè transmissurum.*

LECTORI AUCTOR.

Pro hoc cæterísque pauculis, quæ subsequentur, ELEGIDIIS *Epistolicis, paucis mihi, nequid hæsites, conveniendus es; priusquam porrò gradum in libro promoveas.* SEXAGENIUS *ille, cujus etiam in proximè superiore Elegia nomen legisti, Iuvenis olim, si quisquam alius,* φιλόμουσος, *nunquam is fuit; qui Tempus istud (quod* VACATIONUM *alii nominant, interrumpendis Cerebri laboribus meritò destinatum) arbitraretur profanis penitùs frivolísque studiis, atque lusibus comburendum. Ideóq; (quod sat ipse scit, sibique gratulatur) sæpius in manum, etiam tunc, revocatô calamo; sive pedestris per Heliconem ingenio serpebat: sive Heroicorum facinorum equestribus exercitamentis, Historiarum campos persultabat: stylo per*

gratas vices alternante. Hôc ille instituto, Epistolica etiam ELEGIDIA, *quorum formam hîc & imitationem vides, conscripsit; ne Respirantis* OTII *ullā particula, cum Temporis dispendio, & gratìs, ipsi intercideret. Ad* SEXAGENII *laudabilem normam, Nos quoq; in præsenti (sed Illius prorsus nomine recordationéque) Epistolas has* CANICULARES *confinximus: quò tantò minùs admirêre; Cur hæ sub* OTIORUM CANICULARIUM *titulo stent collocatæ? Eas tu nunc, Amicissime Lector, si placet, Percurrito: si molestum est, Optimâ Musarum mearum veniâ,*
Præterîto.

AULE, meæ alterius pridem vita altera vitæ,
Et lux, Lucinæ pæne coæva meæ!
(Nam, nisi ter senô, nostros non ampliùs annos,
Noctivagæ cornû vincis & orbe Deæ)
Ex quo nos Fabiis sociat lex patria Castris,
Et Pelecanææ stat labor ille rotæ;
Quomodo proterimus septemplicis OTIA Solis?
DIFFLUIT, assiduô Musa remissa situ.
OTIA tunc prosunt, cùm parva negotia pungunt;
NEC bene cura vacat, siqua labore caret.
Scribam ego, si pateris quotiésque effricta soporem
Lumina dispulerint, & nova nata dies:
Tunc nova cum croceâ, nascetur EPISTOLA, luce;
Ad te quam madidam perferet Hanno puer.

Acce-

Acceptis si fortè juvet, rescribere, nostris;
Rescribe: At breviter! Simus uterque Lacon.
Concordes animis, concordes mollibus annis,
Ac patriâ & studiis, propositóque, pares;
Quæso, etiam simus Fratres brevitate Lacænâ!
Símque tibi Pollux; tu mihi Castor eris.
Nec tamen alternâ redimendos morte paciscor;
Tu potiùs (nullâ sub vice) Sidus habe!
Cœlestísque, diu ac semper, sis Salvus! Et istâ
Ne te etiam fraudet charta Salute; VALE!

ELEGIA XI.

AMBULATIO MATUTINA.

Epistola Canicularis. II.

Argumentum.

AULUM *Linum idem, qui suprà,* SEXAGENIUS *ad Ambulationem in* CANICULARIBUS *matutinam, exstimulat. Cunctanti, ante oculos ponit Anicularum, omniúmque Superstitiosorum deliria; Ex Cuculi, Vetulæ, Léporis, similiúmq; occursibus, sinistra itinera ominantium.*

DUm rubra luciferos ab Eoô Aurora cubili
Emolitur equos; lúxque reducta tepet:
Emeritô, Line, surge torô! mecúmq; subactum
I matutinô roscida prata pede.
Hîc tibi, ne properes, rémoras matercula texet,
Venturíque mali stulta Superstitio.
Jam tibi sexcentas finget plebs absona tricas;
Insistátne prior planta Sinistra solum?

An pes Dexterior præeat? digitóne pedestri
Præsaga incurras limina? Térne spuas?
Quin, etiam Egresso, nec jam nigra fata timenti,
Obvius aut olitor suggeret aut mólitor:
Clamabítque; Refer, refer, ô Line provide, gressum!
Vicinum Cuculus per nemus omne gemit.
Præterea; Adversi viden' ut de tramite clivi,
Curva gradum contrà, torváque trudat Anus?
Denique; Non Léporem cernis, transversà meantem?
(Et poterit certè præteriisse lepus)
TALIA multa canent, & sic deliria claudent;
INCHOAT à Tribus his Sol malus omne malum!
Tu, ne crede malis! risúque timoribus obsta
Lymphatis. Cuculos, oscine voce fuga.
AT Vetulas omnes, Annæ transmitte Perennæ;
Atque bonas, bene fac ire, malásque malè!
Mox canibus Léporem terre, ac sectare: Prehendes.
Sin jaculum effugiat forsitan iste tuum:
Porrò urge! Veniet tibi præda vicaria lucrô,
Ille tuus mólitor, demonitórque mali.
Hic,quasi Saxum olim, Battúsque immobilis, en, fit,
Dum Léporem fugitat, grandior Ipse LEPUS!

ELEGIA XII.

ITER, &, MULIER VESANA.

Epistola Canicularis. III.

Argumentum.

Narrat AULO *suo* SEXAGENIUS, *de Itinere à Castris Fabiis, comitante Iac. Satyro, Drusomágum versùs suscepto: deq́; nobili, sed importuna, Hospitis uxore.*

TE ſinè, nec planè ſinè te tamen, AULE Sodalis,
(Uſque-adeò comites nos Amor uſquè facit!)
Me Satyrô per mille vias, ſalebráſque trahente,
Infracto exegi Millia ſena pede.
Orvvangæ evictis, operoſo tramite, ſylvîs;
Ante oculos, ILERÆ roſcida vallis erat.
Jámque relinquenti Collis fera teſqua Lupini,
Mirantíque Arces ad latus omne novas;
Hinc Memminga ſuas monſtrabat eburnea turres;
Illinc conſpicuas longior Iſna domos.
Venimus huc tandem, & fatis divertimus atrîs:
Hoſpitis at nomen prodere, cauſſa vetat.
Unica cœna fuit: saturô tamen, ante tragema,
Surrexi ſtomachô. Fercula poſcis? Habe!
Fercula (ni fallor) dena, aut quindena, fuerunt:
Omnia pro lubitu. Sed Piper acre dapis.
Coxerat hanc, Uxor Bambæ (ſic dicitor!) Uxor,
Fumida cuj priſcis cera ſuperbit avîs.
Hanc mihi Bamba hoſpes, buccâ celebrabat utráque;
EST avus hujc (inquit) FURIUS, atque pater:
FURIA gens illi proavos dat in ordine centum;
Ac, quæ præterea Bamba crepare ſolet.
Interea hæc, Xantippa mihi trivenefica viſa eſt:
ET certè ſolidos litigat illa dies.
Sæpe quoque in ſpumas linguam, maledictáque ſolvit;
Sæpe quoque in famulas irruit ungue genas.
Quid loquar: haud potui quidquam guſtare canini
Phlegmatis. Abſceſſi; Bamba, vale! (ajo) vale!
Parce, tuæ ſtirpem poſthac extollere nuptæ!
Quid tua tota aliud FURIA, quàm, Furia, eſt?

ELEGIA XIII.

STUDIOSUS, LUSOR & IMPOSTOR.

Epiſtola Canicularis. IV.

Argumentum.

Indignatur apud AULUM *per epiſtolam* SEXAGENIUS, *ſuper quodam Scholaſtico, profectûs magni in litteris jactatore; ſed omnis interim generis Luſibus indulgente.*

NOſti illum patriæ oſorem, turbæq́ue ſodalis,
Nautea cuj ſoli ſit genitale ſolum:
Qui noſtræ comes eſſe viæ, Line blande, gravatus,
Icarii ſimulat tædia victa Canîs.
Nomine pro vero (ſi vis) dicatur Abollus.
Diſce, Quid hæc inter, gnavus Abollus agat?
Hic, cùm ſit minimæ ſtudiorum claſſis, & artis;
Scamnáque perterebret ſeſſor. aſelle, tua:
Cùm ſit ſtramineæ conſtans tutela Coronæ;
Omegáque extremæ ſemper, & alga, ſcholæ:
Ille tamen plenis animum diffundit habenîs;
Ac plus, quàm juvenum tota caterva, VACAT.
Nunc rapida Iſtræis imitatur equiria campis;
Nunc ludô orbiculos quadrupedante ferit.
Nunc ſabuloſa pari perſultat Olympia paſſu:
Nunc in diſtantem fulminat igne ſcopum.
Gnoſſiacis quandoque petit nigra puncta ſagittis;
Trajicit aut agiles trans ſtata ſigna pilas.
Sæpe volubilibus refluum ſecat aëra diſcîs:
Sæpe Poloniaco pervolàt arva jocô.
Denique, quidquid agit, METAS contingere curat:
Hac tactâ, punctum ſcilicet omne tulit!
Deſtinat huc omnes, inter media otia, nervos:
Atque jubet Muſas, atque valere libros.
Ad patrem interea (muſſantem, & multa querentem,
Quòd tam lento artes permeet ipſe gradu)
Nequiter inſultans, ſcribit; REM cedere bellè:
Non procùl à META jam Studia eſſe ſua.

ELEGIA XIV.

SCHOLASTICUS ÆGER, EX ASSIDUO POTU.

Epiſtola Canicularis. V.

Argumentum.

Narrat AULO LINO *idem* SEXAGENIUS, *de Scholaſtico quodam*, CYATHONE, *utrique in ſtudiis Dilinganis notiſſimo; Grammatico quidem ſedulo, & inſigni: cæterùm Potore longè maximo, ægrotante.*

Deſcribuntur horti urbis Lavinganæ ſuburbani, lupuli cereviſialis feraces.

Tangitur autem in hac Epiſtola Elegiaca, LUPULUS:*qui æquivocâ ambiguâque ſignificatione notat, &* GRAMMATICUM *ſuperiorum temporum non incelebrem: & Legumen illud, acuendæ Cereviſiæ aptiſſimum.*

SI, pro more, VALES, Rectè eſt! Nos,cætera ſalvos,
Unus habet, noſtro pro CYATHONE, dolor.
Hunc capitis diſpungit atrox plerumque gravedo;
Immodicúſque coquit tempora laſſa vapor.

Quódque malum superat; NON est medicina malorum,
  Et responsa, parùm mollia, dat Medicus;
Bibliotheca (inquit) Juveni nocet, &, Nimium esse
  Linguarum in studio, Grammaticísque Libris.
Grammaticis prohibete illum, Grajísque, Latinísque!
  Horum culpa gravat, densáque turba, caput.
Lascaris in Grajis Gretserus Gaza, Clenardus,
  Atque Trapezunti pallidus ille labor.
Inter at Ausonios, Donatus & Alvarus obsunt,
  Et Despauterius, cum Diomede sene.
Sit procul Holthusius! sit Ravenspurgius illi!
  Sitque vetus Fabius! sítque Capella novus.
Ultrajectini, dictíque à Verre Simones,
  Ultrà Trajectum regnáque Verris, eant!
Hos medicus, pluréſque vetat. Tamen Unicus illum
  Grammaticus, censu de meliore, latet.
Hujus is Unius tabulis eradere nigris
  Si sciret nomen; summus Apollo foret.
Scis bene, quas Tabulas, quod dicam nomen, amice;
  Et, si te lateant hæc duo; caupo sciet.
Ponè Lavinganæ stat Eoa suburbia portæ,
  Conspicuum thyrso frondicomante nemus.
Multa stat in seriem foliosô pertica contô,
  Pertica adoptivis luxuriosa comis.
Hirta novercali frondescit sylvula Baccho;
  Ac serpentino repit in alta dolô.
Ementita cavô turget botryone labrusca;
  Crescit & in vapidos flebilis uva cados.
Hinc anima, & tota est Cerealis gratia succi,
  Hopfenburgiaci sorbile virus agri.
Hoc, quoties summas ederosi vimine rami
  Allambet stirpes; signa legumen habet.
Tunc erit in medio rabiosa Canicula cœlo;
  Tunc trahet ad patrios blanda Vacuna Lares.
Hìc igitur morbus Cyathonis sonticus hæret:
  NEMPE, Lavinganâ sæpe sub urbe Calet.
Descriptum subit indè nemus; Cererísque sub uvis,
  Frangit zytho æstum, frangit odore caput.

Nec metris contentus abit: sed sæpe metretæ
  In Cyathonis eunt utriculare caput.
Hoc medicus vetet ergò nemus, Cerealia Tempe!
  Et Cereris fluidæ, tam sine lege, scyphos!
Aut, si Grammatici in culpa sunt; nominet Omnes:
  Principiúmque mali conferat in LUPULUM!

ELEGIA XV.

NIMIA, SUB CANICULÆ ÆSTIBUS, AMBULATIO PERNICIOSA.

Epistola Canicularis. VI.

Immodicâ in campis ambulatione confectâ, die postero æger SEXAGENIUS, *conqueritur* AULO *suo de nimio* CURSU *& Disputandi orexi,* ELTERI *Sacerdotis; Viri præstantis, & nomine dignitatéq; inter Collegas Ecclesiæ Fabianæ,* SENIORIS.

Quòd me clara dies, ac jam propè Nona diei,
  Sub lodice tenet (scribimus unde tibi)
Ne, quæso, morbum, Aule, puta! (quanquam herculè, morbus
  Quidam est Pigrities) Me tenuêre Pedes.
Defessus jaceo, & totô sum corpore vappa;
  QUÆ lassum elumbet cura, labórve? rogas.
Quà vitreus lævo diflectit Guntius amne,
  Floreáque occiduis prata pererrat aquis.
Hìc, ubi dispositô salices utrimque sativæ
  Ordine longum umbris explicuêre nemus;
Cujus ad extremum nunc argentaria lucum
  Stat Mola; quà celeri est ascia trita rotâ:
Huc me traxit herì, gelidis ELTERUS ab antris;
  Et secum insanam compulit ire viam.

Sed nihil, IRE, fuit. Properare, volare, coëgit:
Cùm ſimul & Logicis litibus ora daret.
Quid quæris? Studium in Stadio miſerabile traxi;
Nec poteram Juvenis, ſyndromos eſſe SENI.
Non tamen auſus eram, perfrictâ fronte, negare;
Quippe, puer vetulo; Magnificóque minor:
Adde, Sacerdoti plebejus; quíque tot inter
Symmyſtas, SENIOR nomine réque foret.
Conſedi tandem, curſu occiſiſſimus: Atque;
Hev me! (inquam) palmam, me quoque teſte, rapis!
Ridenti. & flabris inhianti laudis iniquæ,
Cum palpo dixi (non tamen abſque probro)
Quid tua tam juvenis ſibi vult, Eltere, Senectus?
Alatóſne facit vis paradoxa pedes?
Sev trames, ſev callis erit, ſev ſemita tandem:
Qualiſcunque via eſt; non erit apta Seni.
Ut ſera eſt annis, ſic eſt pede tarda Senectus:
SI QUIS curſor erit, non volet eſſe Senex.
Uſque adeò non conveniunt, & Neſtor, & Ajax:
In TE tam diſpar quomodo forma coit?
Per ſaliceta ſalis, veluti per Olympia: Quíque
In SENE pes non eſt; In SENIORE, bis eſt.

ELEGIA XVI.

PISCATORIS FILIUS, COMES DIFFICTUS.

Epiſtola Canicularis. VII.

Argumentum.

Purgat ſe AULO *ſuo* SEXAGENIUS, *de Epiſtolarum interruptâ ſcriptione, ex Arce Tranſ-Ilerana; culpâ in fluvium reſtagnantem trajectâ. Nuntiat deinde, de quodam Pere-*

Peregrinæ gentis Aulico Boreali: qui, AULO *familiarissimus, cùm ex Piscatoribus oriundus esset, tamen Cisalpinum se* COMITEM, *per mendacem jactantiam venditabat (fraude*, OTIANTIBUS *Scholasticis haud admodum infrequenti.) Refert, quàm Satyricè istius Nobilitatem Pictor quidam, nomine Agron, exagitaverit; Piscatoriis plerisq; Instrumentis, Momicô penicillô productis.*

JAM mea Luciferis plus cessat epistola denis,
Cessatura aliis forsitan illa decem. (sens:
Caussa moræ est, Non sanè Animus, sed, Nuntius ab-
Avia quem lato dividit amne via.
Namque, Ileræ gravidâ diffusus origine torrens,
Non pede nos patitur, non, remeare rate.
Hîc ego trans ripam, nitidâ putris hospes in arce
Demoror: hîc fungor Deucalione novo.
Diluvium summæ speculor de culmine turris.
Heic ego me solum jam superesse reor.
Inferioris enim curis non immoror Aulæ.
Nam, Quotaquæque hîc est Aula sinè Invidia?
Invidiam hanc auget, tuus ille, TOPANTA, toparches,
Ille Perillustris, Pontide gente, COMES.
Qui, calamistratis (tanquam è Carthagine) cinnis,
Quíque Syenæô fuscior Æthiope;
Despexit comitésque omnes, Nisosque comatos,
Ac Transalpinæ nobilitatis avos.
Quódq; nefas majus! COMITIS quoq; voce vetustâ,
Ac linguâ offensus, Teutoni terra, tuâ:
Ausoniam vocem, atque Italos affectat honores;
Séque salutari, non nisi, CONTE! jubet;

Tanquam Italus, tanquam Tiberino gurgite lotus,
Qui Tiberim nunquam vidit & [illegible] Remi :
Alpibus ex ipſis, cuj nulla vel [illegible] uſquam
Umbra, vel Italici fumus odoris iit : (Oeni,
Qui neque (quod minimum eſt) Mataram, de vallibus
Attigit : is, CONTES, non COMES, eſſe cupit.
Nunc tumor hic & pus, in apertum prodiit. Ecce,
Nuntius è Quadis, à patre miſſus, adeſt.
Iſte refert; genus, &, quàm longa eſt, Pontida totam,
Piſcatore ſatam progenitore domum.
Hunc quoque (qui tumidi genitor mendacia gnati
Diſpuit) hamatîs quærere lucra dolìs ;
Squammigeræque cib[illegible] ac retia ponere genti :
Moldæ piſcoſas ev[illegible]uare ſcrobes.
Dum Thraſo tantiſper rapto ditatur, & aſtu ;
Ac, Batavô raptis Marte, ſuperbit equis.
Hujc quidam (ut plebs eſt mordax hoc Sole,) retectô
Tam madidæ fuco nobilitatis, Agron,
(Pictor Agron, vateſque ſimul, cum dente Catulli)
Pinxit acetoſo fellea probra ſtylô.
Pro foribus, tam patritiis, nam nocte ſilentî,
Æthere ſubluſtrem ſuppeditante facem,
Duxit Apellæô clypeata Inſignia ſuccô :
Impoſitus plumæ eſt verſicoloris apex.
Deîn, clypei mediis Halievtica ſymbola campis
Intulit; artificî diſtribuítque manu.

EPISTOLA PICTORIS LYCAMBEA.

Subſcripſit; COMITI, mittit cognata Salutem
Sepia: quam titulis debet ab innumeris.
Salvete, ô, Quadæ ſcutata Inſignia naſſæ!
Salve, ô patritiô tragula jacta vadô !
Salve verriculum : ſalve mac[illegible]loſa ſagena !
Salve perſpicuis nobil[illegible] roris !
Fuſcina [illegible] tridens [illegible]que, ſirpiculíque !
Tuque genetliliacum [illegible] decus !
Linea cum calamis [illegible] Salve !
Salve, quæ patr[illegible] !

Vos,

Vos, remi, salvete! (Remus quos, Romáque, nescit)
Spiráque, &, alternâ palmula torta volâ.
Instrumentorum satis est. Ne Lexica texam,
Neu' Piscatorum singula signa canam;
Finio, præcipuô Piscantûm in Stipite. Salve!
Salve tandem, etiam Tu mihi, CONTE, (Comes!)

ELEGIA XVII.

COELESTIS CANICULÆ OCCASUS.

Epistola Canicularis. VIII.

Idem, ad Eundem.

ULtima, de tota tibi mittitur ista Vacunâ,
Scripta Therapnæis littera curta modîs.
OTIA Thespiades claudunt; animúmque referri,
Docta Stagiræi sub Senis antra, jubent.
De Me, res salva est; cuj, mensis hic unicus, Ævum;
Unáque lux, Annus visa Platonis, erat
Nos sortem magis, AULE, tuam; nitidíque, dolemus,
Sideris auratos sic cecidisse dies.
Quippe pharetrigeræ feliciter antra Dianæ,
Cinxisti assiduô, prædo beate, cane.
Jam lepus est, jam cerva tibi, jam damula prênsa;
Nec latratores fugit aprugna tuos.
Nunc tamen hi periêre Joci! VENATIO cessat:
Flent catuli. CANIS, heu! optimus OCCUBUIT!

SITIS

SITIS,

ET

FONTES.

*

Viator Sitiens, ad Fontem os aperiet; & ab Omni Aqua proximâ Bibet.

Ecclesiastici XXVI. Capite, Versu XV.

ELEGIA XVIII.

ARUNTIUS, VIATOR SITIENS.

Argumentum.

Aruntium Romanum, tanta bibacitatis intenperantia infamavit; ut, Vini deficiente potu,

potu, Ne Bibendi usum intermitteret, AQUA *Ventrem, tanquam utrem, ingurgitaret. Ob quam proinde consvetudinem, etiam* HYDROPOTÆ *nomen invénit; testibus Plutarcho in Parall. c. 39. & Aristide l. 3. Rerum Italicarum. Qualem hunc, Lector, putes, inter itinera fontibus destituta? qualem febriles inter ardores fuisse? Quem nos idcirco, in hac & sequenti Elegia, sub* VIATORIS & FEBRICITANTIS *titulis producimus, non jam Romanum illum, nec Pagani Deorum cultûs: sed Teutonem, & Christianarum rerum non ignarum. Nec enim unus credi debet* SITITOR *fuisse Aruntius; nec secum Insaniam suam omnem bustis intulisse. nam Immoderati Desiderii unicum Nomen & Exemplum, ad Sexcentos hodie successores hæredésque transivit.*

IN Lyciis Teuto sitiens ARUNTIUS arvis,
Vindelicâ tardum dum movet Urbe pedem;
Tale fatiscenti meditatur gutture carmen
(Nam Lauri ac Phœbi non alienus erat)
SIDEREI fervet rabies Nemeæa Leonis;
Et coquit insanâ rus, nemus, arva, face.
Lustra feræ subeunt, umbracula querna volucres,
Antra viatores, frondea tecta greges.

Solus

Solus ego (inquit) Agrô deprênsus & orbe Lycæ,
Exsequor immensam, prata per usta, viam.
Solibus expositus, nullaque levandus ab umbra,
Assor; &, ut foculô membra liquante, fluo.
Hev mihi! Vindelicis felix Augusta theatris!
Tótque refrigeriis mœnia blanda suîs!
Cur ego vos, vestrásque aulas, & opaca reliqui
Atria? cur lucos? arboreúmque gelu?
Sed minimum est, jam, Sole premi. Calor exarat ora;
Sæváque, discruciat viscera tosta, Sitis.
DULCE quidem Sitis ipsa malum! modò mitiùs urat;
Sítque propinqua suo (Fons) medicina malo.
AT mihi, quàm procùl est, Superi? quàm devia lympha?
Post tria cursa viæ millia, curro tria:
Et currenda viæ tria millia tertia restant,
(Tam grave ni mendax nausea fingat iter)
Donec ad optatos veniam, mea littora, Fontes:
Quos ego nunc tantùm dentio, non, habeo.
Atque utinam, dentire etiam, concederet ardor!
Ne possim hoc ipsum; sicca saliva facit.
Arida viscosò luctantur glutine labra:
Tardiùs hinc, quàm de pumice, succus eat.
Nec, dedignanti superest, sputare, facultas;
Ut, quæ displiceant, Respuere illa queam.
Ergò, quod abscissum est usu; sit in exule voto!
Tractetúrque animo, quod nequit ore trahi.
Sit desiderium, quod debuit esse voluptas!
Et, quæ non bibitur, fingitor unda bibi!
Sit laticis tantisper amor, dum deficit humor!
Sed tu venam aperi, Delphica MUSA, tuam!
Pegasei mihi si puteal patefeceris antri;
Jam, mille in situlas effluet una Sitis.

ELE-

ELEGIA XIX.

ARUNTII SITIENTIS, IN FEBRI, ΠΑ'ΘΟΣ.

Argumentum.

ARUNTII HYDRÓPOTÆ, *(si legisti) jam proxime meminimus. Eundem puta & hîc recurrere, non jam* VIATOREM, *sed* FEBRIENTEM. *Hic Teuto jam, & Christianus, ex verbis Psalmi 41.* Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum, *sive Somnians, sive (quod eodem pæne recidit) Insaniente in Potum vigiliâ Fontes Imaginans; anhelat ad omne Undarum genus,* Cer*vinâ plusquam orexi. nominatim autem ad Puteos Fontésque sibi notiores atq; gelidiores, Dilinganum Summœvianum, Campidonensem, Ratisponensem ad Carthusiam, Andecensem, ac quatuor Augustanos. Transsilit deinde votis suis,* SITIENTIUM *affectu genuino, ad Celebriores, tam è Profanis quàm Biblicis monumentis sibi compertos Fontes: donec* UNO *potiatur.*

Hîc nolim, ullate, lector, hyperbola (in

poësi

poësi præsertim) offendat: tametsi appetita Flumina integra Oceanóſque deprehendas. Quod enim Philoxenus ille, Gnathóq; Siculus in esculentis optabant; hoc in poculento quovis, etiam AQUATICO, *impensè* SITIENTES *expetunt: quorum in numero quidam* MELANTHIUS, *sibi Gruis optabat Collum, quò diutiùs Bibendi voluptatem sentiret; ut Clearchus auctor est apud Cœlium Rhodig. l. 13. c. 25. Et ego Omnes verè* FEBRIENTES, *& in febri Aquarum orexi tortos, interrogo; Num illorum tunc vota desideriáque, etiam Omnes in unam congesti Concham Fontes explevissent? Negabunt certè; si de* AFFECTU SITIENTIS *quæstio sit, qui tunc esse consuevit Insatiabilis. Hîc tu tamen dices mihi; Quid hæc tam barbara Sitis, ad civiliores* DELICIAS? *Interroganti respondeo; Certè quidem, si verum inquirimus, mi Lector:* Inexpertis, & *semper liquore* Saturis, NIHIL! Expertis *autem aliquando, & veteres Febres retractantibus, ad materiam* PLURIMÙM *facit, Immaniter* SITIVISSE. Habet enim, Præteriti Doloris ſecura recordatio, Delectationem! *inquit ad L. Lucejum M. Cicero Famil. epist. l. 5.*

I. UN-

I.

UNDARUM *desiderium, generatim.*

QUALIS, in Ægiochæ nemorosis vallibus Idæ,
Saucius à Triviæ CERVUS arundinibus;
Currit, & ex ipso stillantia vulnera cursu,
Hinc furiat plagîs; asperat indè Sitî.
Tunc Jovis ille petit nutrices Najados undas;
Aut Electræi clara fluenta vadi:
Aut in Bœbæa marcentia labra palude,
Aut quovis Cretæ tingere gurgite, hiat.
TALIS ego, hev, ego! nunc, Calidæ tot spicula Febris
Passus, &, exhaustô torridus ore, furo.
Verba quid inquiro, rabidum quibus eloquar æstum?
Non habeo, nec quo, nec quid & unde, loquar.
Verba SITIS simul, ac linguam, sorbétque, ligátque;
Quid, nisi rem siccam, siccior ipse, querar?
Nec tamen Ipse queror; cuj jam nil vena reliquit
Arida. AB AFFECTU tota poësis eat!
Tu lóquere, Affectus! tu scribe! Disertior una
Intus orexis erit; quàm, fora mille foris.
QUIS mihi, quis nunc det, quidquid potabile totus
Europæ atque Asiæ tractus, & Afer, habent?
Quis nostro infundat, sine fundo & sine, palato,
Quidquid ubique fluit; quidquid ubique madet?
Rores, exhydrias, nebulas, cum nubibus imbres,
Cisternas, fontes, irrigua antra, vada?
Rivos, torrentes, amnes, fluviósque, lacúsque,
Stagnáque, & Euripos, & maris omne fretum?
Denique, quidquid erit làticis; modò frigore vivum!
(Namque Chines non sum; frigida Tevto bibam!)
Omnia collectim nostram properentur in alvum!
Ipsos Oceani glutiat illa sinus.
Sèd, quid in Oceani delirus nomine pecco?
Nolo salum! PURO est rore domanda Sitis.
Nunc volo, non thermas, non tinctas sulphure Bajas,
Nec Cereris liquidæ propudiosa vitra;

Ac-

Ac neque Cecropii mellitum nectar Hymetti;
Ac neque Campanô pressa Falerna pede:
Tantum, ô, tantum aliquis Fontanam porrgite lymphã!
Quæ speculum superet luce, gelúque nivem!

II.

Expetuntur FONTES *nonnulli* GERMANIÆ: *& ex Augustanis*, *Fons* MERCURII; *Fons* AUGUSTI *Cæsaris*; *Fons* HERCULIS, *ac Trium Gratiarum*.

O, mihi dilecti, quos nunc memor ardeo, rores!
O, tot diversis roscida, Najas, aquis!
Quid vidisse juvat, si non licet uda bibisse
Antra, tot irriguis blanda refrigeriis?
Nunc ego te recolo, laticis spelunca beati,
Quam Dilinganâ Nympha sub arce gelat.
Nunc ego te repeto, scatebræ cava mandra beatæ,
Algojâ Hildgardis quam dat in urbe, bibi:
Et te. parve quidem, sed ob hoc gelidissime crater,
Exciso crater limpide de scopulo;
Quem juxta Tiberina Puer pomœria VITUS,
De laribus sacris, in sacra prata vomit.
TE quoq; (quid jam non cogor meminisse?) recordor,
Monte sub Andecio qui sine labe scates:
Qui geris Ungaridos de nomine nomen Elisæ;
Et, Dominæ exemplô, largior usque, fluis.
Vos quoque, Vindelicæ liquidissima gloria gentis,
Tres Fontes, totidem Praxitelæa freta!
Vos ego, sed pronus, sed ter veneratus, adoro!
Quis dabit, ut tantæ sitis in ore Sitis?
Tu primùm, quem magnificô Cyllenius ære
Conspicuus, parvo vinctus Erote, premit.
SED magis Augusti me Cæsaris illicit ingens,
Nec, nisi sub tanto concha caduca Duce!

Cujus

Cujus in extremo recubans Pandora jocosa
  Margine, custodit, quas dare debet, opes.
Et circùm divi, aut divûm medioxima turba;
  Ære quidem sicco, nec tamen imbris egens.
E regione, recens pulcrô stat CURIA fastu;
  Quàm Ratione aliis, tam Statione, prior.
Hanc videt; innumerísque tubô rorante per auras
  Saltibus, exsultat ductilis ære liquor:
Suspiciénsque oculo Capitolia Rhetica fixô,
  Admirabundis arcubus astra ferit.
Ex hoc, quæso, mihi date Fonte! Quid, invida, prodest,
  Si multa in nullo gutture gutta fluas?
Quòd mihi si tribuas unum siphonis hiatum,
  Auguste, è cannis, rector aquose, tuis;
A te, marmoribúsque tuis, nova marmora quærens;
  Ad Bacchi, celeri calce migrabo, forum.
Tertius hîc Fons est, umbratus ab Herculis Hydrâ:
  Tres, infrà hanc, Charites otia magna gerunt.
Prima capillitium, madidam premit altera vestem:
  Ultima, collectô perluit imbre genu.
Indè bibam, gratésque feram tibi, Cæsar: erítque,
  Tres supra Charites, GRATIA, quarta Charis.

III.

Sitiuntur à Febriente FONTES *Sæculorum veterum; Siculus, Ammonis Iovis*, DARII *Persarum Regis; & Biblici notiores.*

SED (video) Nihil optatîs, nihil exprimo votîs:
  Nec, nisi mentitis lactor imaginibus.
Ergò valete, valete omnes mihi cominus undæ!
  TRANS mare vota procùl, trajiciámque sitim.
NEC refert, quòd & hinc prece sum rediturus inani;
  Jam scio; Quod procùl est, Præteriisse bonum.

Interea,

Interea; Quædam est, etiam VOLUISSE, voluptas;
Et desiderii, Fingere, grande lucrum.
Huc ades, ô, Siculam tacitis Arethusa latebris,
Urinatrici quæ Thetin arte subis.
Et tu, quæ medii Libyco sub sidere Phœbi,
Frigidior Scythico lympha rigore natas;
Corrigeri quondã AMMONIS tumor udus, & humor;
At nunc pollubrum, colliquiæque JOVIS!
Nec galeam, rex Persa, tuam; neque pocula damnem,
Pocula supremæ sola relicta preci:
Dum, Bessæa tibi post vulnera, Grajus aquosam
Miles in hostili casside, portat opem.
Cùm tu deficiens, haustâ genialiter undâ;
NUNC SAT (dixisti) viximus! EBIBIMUS!
Quis vetet, & sacros me sollicitare canales?
Biblica fortassis sopiet urna malum.
Da mihi, quem dederas querulis Jerichuntis alumnis,
Dulcem, Elisæe, salem: dulcius indè vadum!
Da mihi, quæ dederas Thesbitæ flumina vati,
O tu, seu Genius, seu magè Numen, eras!
Da mihi, quo solita es, Juditha pudica, liquore
Casta Bethuliaco tingere membra specu!
Da mihi, quæsitum mortis discrimine rorem,
Quem pluvio servas, fortis Ephrata, lacu;
Cisternæ gelidos, ad mœnia Davidis, imbres!
Quem rex effudit, sit meus ille latex!
Admoneor quoque Viventûm Salomonis aquarum:
Mandibulæ admoneor, Dux Manuæe, tuæ.
Jam subeunt menti, Hebræis indulta querelis,
Ex Orebæa flumina jussa petrâ;
Jam subit &, steriles Arabum qui humectat arenas,
Sparsus Elimæâ fons duodenus humô:
Quem circùm, decies-septenis consita truncis,
Fertilibus turget pendula Palma comîs.
Fons Agaris quoque, fons (optem) meus esto Rebeccæ!
Ille Palæstinis notior, iste Syris.

IV. ARUN-

IV.

ARUNTIUS, *vi imaginationis vehementi, fingit sibi, præter spem tandem Inventum* FONTEM: *Inventô gaudet, ac fruitur. In ejus Laudes ac descriptionem effunditur.*

HÆC ego dùm voveo, mentémque cupidine pasco;
  Inscia adhuc, veras, en, bibit auris aquas!
Lympha, sub adverso (quantùm puto) murmurat antro;
  Hospite quod quercu sylva propinqua fovet.
Intrabo! experiar! NULLA est via longa, volenti:
  Ac, FALLI, post tot vota caduca, parùm est.
Hem! NON semper Amans frustra sibi somnia fingit!
  Certè, ego quod sonitum sum ratus, unda fuit.
Quæque fuit, nunc unda fluit; de margine quercûs,
  Fonticulus liquidîs in mea labra viîs.
Fonticulus, nive frigidior, subtilior Aurâ,
  Splendidior vitrô, Syrte volubilior:
Nam, spumas ciet, ac nitidîs exultat arenis;
  Sic tamen, ut nullâ guttura fæce lutet.
Hîc sabulum numerare licet, numerare lapillos;
  Hîc licet, herboso ponere membra torô:
Hic bibere, ac, vasti crateris amystide, mensas
  Vincere Threicias, Teutonicásque, datur.
Huc ergò à Superis, nemorúmque ab numine, ducti,
  Plusquam Cervinô venimus, ecce, pede!
More feræ, Sitii; sitientis more, Cucurri;
  Currentísne bibam more, vel ore, feræ?
Non ita! Sic Nilum cursu canis hauriat! At me,
  Me mora, me requies, me sapor ipse juvet.
Denique, Si verè Sitio, verissimus haustor,
  Utar Præsenti: nec properabo frui.
QUID mihi præteriti prodest consumpta rapina?
  Nempe; BIBISSE, nihil dat mihi, sed, BIBERE!

ELEGIA XX.

Hiſtorica.

AMMIANI MARCELLINI SITIS, &, FONS.

Argumentum.

IN SITI, *quantumvis extremâ, hauriendíq; difficultate*, NUNQUAM *deſperandum*; *exemplo docet* AMMIANI MARCELLINI, *Scriptoris inter Auguſtæos hiſtoricos notiſſimi. Cujus verba tibi, Lector, fidémq; geſtorum, ac totum illum mirè indagatum, miriúſq; attractum* FONTEM, *ex ipſo fonte*, (AMMIANO) *repræſentamus.*

Libro Hiſtoriarum XIX. circa medium.

ACCITIS igitur, regis imperiô, prædatoribus universîs, ſtrictóque comminus ferrô: cùm ſanguis utrobíque immenſis cædibus funderetur; repletæ ſunt corporibus foſſæ, latiórque via indè pandebatur: & concurſu copiarum ardentium civitate oppletâ; cùm omnis defendendi

vel

vel fugiendi ſpes eſſet abſciſſa: pecorum ritu, armati & imbelles, ſine ſexûs diſcrimine, truncabantur. Itaque, veſperâ tenebrante; quum adhuc, licèt iniquâ reluctante fortunâ, multitudo noſtrorum manu conſertà diſtringeretur: in abſtruſa quadam parte oppidi, cum DUOBUS aliis, latens obſcuræ noctis præſidiô, poſticâ, per quam nihil ſervabatur, evado: & ſqualentûm peritiâ locorum, comitúmque adjutus celeritate, ad Decimum lapidem tandem perveni. in qua ſtatione leniùs recreati, cùm ire protinus pergeremus, & incedendi nimietate jam ſuperarer (ut inſuetus Ingenuus) offendi dirum aſpectu, ſed, fatigato mihi laſſitudine gravî, levamen impendiò tempeſtivum. Fugaci equo nudo, & infræni, calonum quidam ſedens; ne labi poſſet, ex more habenam, quâ ductabatur, ſiniſtrâ manu arctiùs illigavit: móxque decuſſus, vinculi nodum abrumpere nequiens, per avia ſaltúſque membratim diſcerptus, jumentum exhauſtum curſu, pondere cadaveris detinebat: cujus dorſualis comprehenſi ſervitio uſus, in tempore: cum

iiſdem ſociis, ad Fontes Sulphureos Aquarum, ſuapte naturâ calentium, ægrè pervéni. Et, quia per æſtum, aridâ SITI reptantes, aquam diu quæritando, profundum ponè vidimus puteum: & neque deſcendendi * præ altitudine, nec reſtium aderat copia: neceſſitate docente: poſtremâ, indumenta linea, quibus tegebamur, in oblongos diſcidimus pannulos: unde, explicato fune ingenti, centonem, quem ſub galea ferebat unus è noſtris, ultimæ aptavimus ſummitati: qui per funem conjectus, aquáſque hauriens, ad peniculi modum; facilè SITIM, quâ hauriebamur, extinxit. Unde citi ferebamur ad flumen Euphraten, ulteriorem ripam petituri.

Iſta Marcellinus, Stylo Militaris & amphibii Scriptoris ſubferreo: ſed rei tamen geſtæ teſtimoniô αὐτοφώνῳ.

TU, cuj dira vadi coquit inteſtina cupído,
Nec citò deſpera! nec citò rapta bibe!
Perſica languentem ſub prælia Marcellinum,
Sennueci abſtulerat devius error equô:
Per juga, per valles, inaquoſáque rupis aprica.
Et victum, & profugum, ſtravit & ipſa Sitis.

Nec

Nec fortuna tamen vitam despexit hiantem.
Insperata cavâ valle reluxit aqua.
Clarum erat, ex imma puteum proserpere caute;
Depressum quamvis, Tartareóque situ.
Adde, quòd & tanti Facilis descensus Averni
Nec foret ab genio, nec foret arte Löci.
Non via per tristes, non semita prona salebras,
Non per præcipites machina fabra petras.
Ac, neque per funem labi, dat funîs egestas;
Ut dici, AD RESTIM res REDIISSE, queat.
Hev! quid agat? Pereátne ruens, ne lympha periret?
Ac modicum toto sanguine flumen emat?
SUGGERIT auxilium sors Desperata: Repénsque
Ingenium Miseris pro Jove sæpe fuit.
Ecce, profunda oculis, tactúque profundior, infrà
Horret inaccesso tetra vorago specu!
In minimas Ductor, longo sed segmine, telas,
Carbasinam scindit synthesin, atque togam.
Quod dux, hoc comites faciunt. Fit fascia longa:
Peniculi primâ fronte ligatur apex.
Laneus aptatur capiti, ceu spongia, fungus,
Furtivas tacitè combibiturus aquas.
Sic, procùl infernis demissa lacinia rivîs,
Traduce semjanimos gurgite fovit heros.
Hydria, pannus erat: Funis fontanus, amictus.
SIC, minimâ è FILI, vita pependit, ope.

ELEGIA XXI.

Argumentum.

Modum POTUI *statuendum; etiam inter* MENSAS: *propositîs, quæ terreant, Exemplîs* MACEDONUM, *Alexandri* MAGNI, *&* EPULONIS *Evangelici.*

CRede, Aliquas semper Sitienti profore Nymphas;
Et, faciles bibulis Najadas esse Deas.
At, simùl attigeris liquidi compendia voti,
Plenaque sub fauces fluxerit urna tuas:
Ne nimiùm indulge! Nocet indulgentia pronis:
Ut Sopor, ac Vinum; sic petit Unda modum.
Injice fræna gulæ; quæ, si nullo ære paratur,
Non tamen & nullo sæpe luenda malo est.
Quære; quid Emathii Mavortia castra tyranni,
Viribus, atque viris, & vacuârit equis?
Invenies, post longa stati iejunia potûs,
Fluminis immodicos his nocuisse lacus.
Invenies, Oxi nimis haustis amnibus haustos,
Sicca quibus Libyci parsit arena Jovis.
Ipse Philippiades, cur sit, si fortè requiras,
Triste Semiramii funus & urna rogi?
Non jacet à Bessi, non stratus acinace Pori;
Sed jacet à pateris, barbare Bacche, tuis.
Hoc quoque (ne divina absint exempla) monebo:
In Mensis etiam Nequid, amice, Nimis!
Parce supervacuo: numeróque & mole coërce
Pocula. Frugali mensa triente natet.
Nôsti illum, nósti, Solymææ gentis alumnum,
Murice quem Sidon vestiit, arte Tyros?
Sindona cuj gracilem, Serum colus, Indáque, nevit?
Cuj vix in numero daps Saliaris erat?
Nam stata, Pontificum superabant fercula Fastos;
Sabbata regales septiduana focos.
Aurea quid memorem, peregrinis clara pyropis,
Cymbia? quid, Græco spumea vasa meró?
Ille quidem, sine fine bibit, sine fine voravit:
Nunc famet infelix, &, sine fine, Sitit.
Quàm cuperet, tenuisse modum? flammísque futuris,
Seposuisse Unum, de modò Mille, scyphum?
Et quid dico, scyphum? Guttam miser (ah miser!) unã,
Et petit ex Undis, & Digitale vadum.
Interea, non Gutta datur, non Unda, nec Uni!
Ac, quæ de Lachrymis stilla fit, Igne perit.

ELE-

ELEGIA XXII.

FONS LAVINGANUS.

In quo depictus CHRISTUS, *cum Muliere, ex Urbe* SICHAR, *Samaritanâ.*

Argumentum.

Litterarum studiosos Iuvenes, ad FONTEM *hunc, pro mœnibus per Æstatem bibere solitos, adhortatur; ut* VINA *fontanis lymphis attemperent, commodioris Studii gratiâ.*

Hîc, ubi declivi submittitur aggere lucus,
Quàque suburbani deficit hortus agri,
Unde, Lavinganis post tergum turribus actis,
Ad Pelecanæas est via recta Deas:
Colle sub umbroso, dextro qui lambitur Istrô;
Stat specus, artifici concamerata manu.
Intus aquæ, vivi de marmoris ore cadentes:
Hîc sedet. hîc soles gens Studiosa fugit.
Huc quoque sæpe aliquis vapido Canis æthere marcens,
Massica vicinâ mandat ab urbe vehi.
Fornice sub gelido sic astra. sitímque relaxet.
FONTE tamen modico frangite vina, cohors!
VINA caput, sed MISTA, juvant; acuúntq; Thaliam:
PRORITATA meri numine, vena venit
Temperet unda botros! refugásque, & rore modestô
Lenè reluctantes, Bacchus adoptet aquas.
Tunc canet. Et carmen fontis Pictura ministrat,
(Assessor Christus, Sichariásque nurus.)
Bacchus abito! Canat potiùs citò Sobria Musa.
SUSPECTA est fidei POTOR, & Alta LOQUENS.

ELEGIA XXIII.

Hiſtorico-Dialogica.



Argumentum.

Eſt CHRISTI, *cum* SAMARITIDE, *Colloquium*, (*Ioannis Capite IV.*) *cujus divinæ Hiſtoriæ verba particulatim apponemus.* HANC *porrò* SAMARITANAM, *Menologium Græcorum & Latinorum quorundam Martyrologia (apud Cornelium à* LAPIDE, *in IV. Ioannis, Verſu 29.)* PHOTINAM *nominant; &* MARTYREM *aſſerunt, cum Filiis*

Filiis DUOBUS, & *Quinque* SORORIBUS. *Quibus omnibus, primam, ad Beatam mortem vitámq;, viam præivit, negotiosa* CHRISTI, *suprà* FONTEM *Sicharæum*, QVIES.

NOS, *hujus Historiæ σύϛημα sic fecimus* ELEGIACUM; *ut tamen in eodem (eadémq; operâ)* DRAMATI *quoque & Actiunculæ* THEATRICÆ *locum relinqueremus; si-quis hunc ei Dare vellet.*

CHRISTUS.

Reliquit IESUS Judæam, & abiit iterum in GALILÆAM. Oportebat autem, eum transire per SAMARIAM. Venit ergò in civitatem SAMARIÆ, quæ dicitur SICHAR; juxta prædium, quod dedit IACOB Ioseph, filio suo. Erat autem ibi FONS Iacob. IESUS ergò, fatigatus ex itinere, sedebat SIC, supra fontem. Hora autem erat quasi SEXTA.

Cap. 4. Versu 2.

IPSE LOQVITUR.

A Solymis, Galilæa petens nutritia Tempe,
Plana per, & valles; ac juga montis, eo:
Nudipedíque terens gressu Samaritida terram,
Languida succiduô vix traho membra genû.
SIC Animæ, sic nempe Salus quærenda meorum est!
ARDUA quærentem, semita dura decet.

IRREQUIETO emitur requies Æterna labore.
  Lassari exiguum est, cui mora longa, mori, est.
Nec tamen est spernenda Quies, occasio lucri:
  Vicinâ lucrum non leve ab urbe patet.
Adde; quòd exiguam suadent, etiam astra, quietem;
  Jam medium cœli Sol init altus iter.
Jam minimas spargit radius rectissimus umbras;
  Sextaque sumendæ volvitur hora dapi.
Discipuli mercanda parant stipe pabula vilî,
  Sub cinerum tepidis hordea pista focîs.
Hîc quoque (quæ summi est genitoris gratia!) Fons est,
  Limpidaque Isacidæ facta, vorago, manu.
Nec procùl hinc, luco blandùm viridante, renident
  Prædia, palmiferum transpiciúntque nemus;
Prædia, quæ casto parapherna exsortia gnato
  Seposuit moriens, augure voce, parens.
EN, tot ab arboribus, villæque comantibus umbrîs,
  Vocula tot volucrum mille nec Una sonat!
Scilicet, indicit pausam sudantibus aptam,
  Et ratio Nobis; & calor ipse Feris!
Ergò quiescamus. SIC, sic, in margine fontis,
  Composito graviter crure, Sedere juvat!
SIC & sic, plicuisse togam; Sic pallia, fas est:
  SIC, fultum digitîs, applicuisse caput.
NON solas décorat veneranda modestia Mentes:
  Corporeos etiam perpolit illâ situs.
Ecce! per adversos infert se Fœmina colles!
  Fœmina Sicharii fœda colona soli!
Fictilis elumbes scapulas, & colla, fatigat
  Hydria. Plus, scelerum hanc sed grave pressat onus.
Currit: ut asportet loturas guttura lymphas,
  Sed, maculas Animi qui lavet humor, ubi est?

SAMARITANA.

(Venit MULIER, de SAMARIA, haurire aquam. *Vers. 7.*)

Res

RES misera, est Mulier! Tamen illa miserrima, siqua
  Et Vidua est mulier, cinctáque prole Parens.
Sunt septena mihi, sed planè pondera terræ,
  Pignora, non ulli nata vel apta spei.
Hæc neque parva sinit curis famularibus ætas,
  Nec ruditas ullis invigilare lucris.
Ergò, in me solam domus omnis, & omne recumbit
  Nutrimentorum pondus, & iste labor.
Hev me! Quod minimum est, & quod teneræq; catellæ,
  Atque animatus herì Passer, anásque potest:
Nondum etiam per se, sinè me, mea pignora possunt
  Potare, & potum ferre, referre domum.
Quod nequeunt igitur Pueri, gens parvula; Mater,
  Cogitur: ut, pastos ubere, pascat aquîs:
Bísque suburbanam hanc, uno sub sole, scatebram,
  Vexo die mediô, vexo cadente die.
Sic lux tota perit cursu, perit hora labore;
  Conficitur curis vita, juventa fugâ.
Nox tantùm superest, quæ robora fracta reponat;
  Languida quæ placido membra sopore levet.
Hej mihi! Non ipsas possum requiescere Noctes,
  Absque probro! QUID non suadet Egenus Amor?
Corpore quos genui, de corpore pascere cogor.
  Sed bene! sub tacitâ quòd queror ista rosâ.
Quod tacitè gerimus, tacito quoque dente premamus!
  SUB lodice reâ tutiùs Acta latent.
Ille scit, ille meos solus sibi musset amores,
  Istos qui pretio fecit & ære Suos.
Paullatim ad puteum feliciter, hydria nostra,
  Vénimus. Ad puteum te mora, méque, manet.
Hìc requiem tibi do: requiem mihi cede vicissim.
  Hìc Vir Judæus (veste probante) sedet!
Nescio, quid taciti mihi mens præsagiat, & Vir?
  Qui vel vultu ipso nil, nisi grande, sonat.
Vox igitur, quantúmque potest mens ipsa, quiescat!
  Solaque quod debet, dextera tractet opus!
Prona sub abstrusum demittitor Amphora rivum!
  Descendat Vacua! & Plena revortat aquîs!

CHRISTUS.

DICIT ei IESUS; Da mihi bibere! Discipuli enim ejus, abierant in civitatem; ut cibos emerent.

Versu 7. & 8.

Cùm medius coquat arva dies, coquat arida fessi
Guttura; & exsuccâ torreat ora sitî:
Quod facis, ô mulier, citò fac! hominíque calenti,
Quæso, frui situlæ da quoque rore tuæ!

SAMARITANA.

DICIT ergò ei MULIER illa Samaritana; Quomodo tu, JUDÆUS cùm sis, Bibere A ME, poscis; quæ sum MULIER SAMARITANA? Non enim coutuntur IUDÆI SAMARITANIS.

Versu 9.

Non equidem! (tantisper opus suspendat aquandi,
Lex respondendi!) Non tibi vota negem:
Nec laticum cupidis, solatia Publica, labris
Invideam! Sed tu Quis, rogo, Quámve, rogas?
Scilicet, indigenam externus, Samaritin Hebræus;
Stirps Judæ, Ephramiam; sacráque sacrilegam.
(Hoc equidem superi nolint! Sed vox ea vestra est;
Hæreticum vobis Schisma, luésque, sumus)
ERGO, Quid è dextra poscis sacra dona profanâ?
Quomodo Judæo det Samaritis aquam?
Quantùm flamma fugit fluvios, & flumina flammam;
Tantum Sichariam sanguis Hebræus opem.
Quin; si conflueret Samaritæ sanguis Hebræus;
Mox refluam peteret rivus uterque viam!

CHRI-

CHRISTUS.

Reſpondit Iesus,& dixit ei; Si ſcires do-
num Dei,&, Quis eſt,qui dicit tibi, Da
mihi bibere; tu forſitan petîſſes ab eo
Et dediſſet tibi Aquam Vivam.

Verſu 10.

Undas ergo negas? Sed nempe, ignara Rogantis
Hinc Ignorati nulla cupido boni eſt.
Optarem, nôſſes! Bene quàm tibi ſidera vellent?
In te munifico, ſidera, prompta ſinu!
Optarem, ſcires! & Quis te poſceret undas,
Et, quàm dignanti poſceret ore, tuas?
Quæ laticum illorum (quibus ipſe latenter abundat)
Et vis, & Charis eſt, illiciúmque potens;
Jam non audires; ſed Sic prior ipſa rogares;
Da, cum fonte mihi divite, fontis aquas!
Accideres noſtris mendico poplite plantis;
Ambiréſque novum ſupplice voce vadum.
Nec tibi difficilis, vel inexorabilis,eſſem,
Fundere de vivo flumina clara lacu.
Illa ſcaturirent: Illa (exſiliente ſub auras
Rore) citô peterent Sidera celſa tubô.

SAMARITANA.

Dicit ei mulier; Domine, neque in quo
haurias,habes: & puteus Altus eſt. Unde
ergò habes Aquam vivam? Numquid
tu major es patre noſtrô Iacob? qui de-
dit nobis puteum? & Ipſe ex eo bibit,
& filii ejus,& pecora ejus.

Verſu 11. & 12.

DA veniam tetricæ (VIR ſuſpiciende) repulſæ;
  Et ſine, multiſoquam pauca rogare nurum.
Quis, quæſo, hic ſermo eſt, puteum promittere Vivum,
  Et feſtinatum, pro ſitiente, ſcyphum?
Cùm tibi non funis, non vincula ferrea præſtò,
  Non rota, non curvis trochlea ducta ſtriis.
Cùm te deficiant urnæque, hydriæque, cadique,,
  Et, quæcunque undas arripere hauſtra queunt.t.
Ut taceam, putei barathrum, fundique profundum,
  Quod decies ſeno vergit ad imma pede:
Antlia, pro tantâ, portanda, voragine longa eſt;;
  Longæ apportandæ, fontis ad antra, manus.
Unde igitur tuus eſt animatæ tractus aquai?
  De veterúmne aliquo FONS tibi fonte fluit?
Anne, etiam tibi, Sinæi de marmore montis;
  Aut, de maxillæ funere, lympha ſcatet?
JACOBIQUE Patris meritum, mirandáque, geſtiis
  Geſta, ſupergrederis; dum potiora patras?
Non ille ex nihilo, non ille ex pumice ſicco,
  Non exſudato Solis ab axe, bibit:
Non illi ad nutum rores cecidêre citati:
  Non aqua, detractô venit ad ora, Deo:
Sed, Vir mortalis, manibus mortalibus, undas
  Has immortales, hoſpite fodit humo.
Fodit humum; pugnabat humus, malè lenta ligooni,
  Atque novercales pandere tarda ſinus:
Donec ad infernas labor improbus uſque cavernaas,
  Ivit: & invitâ vena retecta Styge eſt.
Invida vix tandem violentos protulit amnes
  Mandra: ſed, ex uſu largior humor iit.
Tunc eſt gratuiti ſenſim data copia rivi;
  Ubereque undavit foſſilis urna lacu.
Hauſit Jâcobus: duodeni hausêre Minores;
  Ac, paſtorali vernula ſole, calens.
Hauſerunt pecudes: poſt has, Nos, longa nepottum
  Poſteritas. noſtris nunc fluit unda labris.
Muneris hæc patrii, patrios nos poſcit honores;
  Et grato ſemper quærit ab ore, bibi.

Sit bene, sit cineri, tanti Patris! & , bene Fonti!
Qui sapido cunctas gurgite vincit aquas!

CHRISTUS.

Respondit IESUS, & dixit ei; Omnis, qui Biberit ex AQUA hac, SITIET Iterum. QUI autem Biberit ex AQUA, quam EGO dabo ei; non SITIET, in Æternum: sed AQUA, quam EGO dabo ei, FIET in eo FONS Aquæ, SALIENTIS in vitam æternam. *Vers. 13. & 14.*

Vincat aquas! omnésque alios liquor iste liquores,
Anteeat Tyrios, anteeátque Syros!
Mortalis sunt nempe gulæ placamina, Cœli
Munere; & humanis nata refrigeriis.
Sed, brevis hæc Satias, ac vix horaria; Sole
Cum fugiente manet, cum remanente fugit:
Sichariósque licèt totos sitis una canales
Glutierit, rabiem sopiéntque suam:
Usquè tamen rabies, calor usquè, recurret. In orbem
Cùm biberit, sitiet; cùm sitiétque, bibet.
AT non ille meus simili fluit amne dioryx;
Non tali trahitur fistula nostra rotâ:
Non fugiunt, redeúntque vices, in labra bibentûm.
Qui volet, is minimo proluat ora lacu:
Incubet; ac fauces uno simul irriget haustu:
Jam Sitis ad Numidas ibit, & Afra juga:
Ibit in exilium æternum. Mea flumina porrò
Exilii facient prosperioris iter.
Assurgent: vitæque supra melioris origo
Facta, Poli spargent cœlite rore Nemus.
Huc ego te, Samariti, voco; dum mystica tracto
Pocula, Quàm castâ hìc Ebria vite fores?

SAMA-

SAMARITANA.

Dixit ad Eum Mulier; DOMINE, Da mihi hanc AQUAM, ut non SITIAM, neque veniam Huc, Haurire. *Verſ. 15.*

Blanda mihi, ſed mira tamen, peregrináque narras
Flumina, & humanâ vix adeunda fide.
Quid vetat (aſſertor laticum venerande Novorum)
Rebus, & appoſitâ dicta probare manu?
Effice! vel certè effectum ne ſupprime, Fontem:
Participem putei me quoque ſcribe tui.
Fonte tuo bibitô, Sitis intoleranda quieſcent
Jurgia: & hoc longum corripietur iter.
Immò iter hoc totum felici ſorte peribit:
Nec ſolitum ſcapulas franget aquantis onus.
Ne Sitis ergò gravet, repetendáque ſemita, feſſam;
Da, SEMEL unde bibam! Da, SATIS unde bibam!

CHRISTUS.

DICIT ei IESUS; Vade, voca VIRUM tuum: & veni Huc! *Verſu 16.*

Quæ tibi promiſi, poſſum dare dona, petenti;
Et dabo. Sed ſoli non tamen illa dabo.
ESSE decet Commune, bonum. Ne Sola fruaris;
I, propera: tecum pertrahe nupta virum:
Conſortémque tori, conſortem Fontis habeto!
Ut, domus una duos; ſic, juvet urna duos!

SAMARITANA.

Reſpondit MULIER, & dixit; Non habeo VIRUM. *Verſu 17.*

FEMINA ſum: non ſum (ne ignores) femina Nupta.
Abſque Viro quæ ſum, quî comes ibo Viro?

CHRI-

CHRISTUS.

DICIT ei IESUS; Bene dixisti; Quia non habeo VIRUM! Quinque enim VIROS habuisti, &, NUNC quem habes, non est Tuus VIR. Hoc Verè dixisti.
Versu 17. & 18.

Euge! wel invitâ, Te prodit ab indice, verum!
Quod mens condiderat, lingva professa malum est.
Novi, & (prôh!) nimiùm novi! penitúsque latebras
Pervasi, mulier, luce sequace, tuas.
Ex omni, quàm longa fuit tibi tracta, juventâ,
Seu Facientis erat, seu Meditantis, opus;
Vix aliquid recoles, non curvi pectoris, unum hoc,
Es Rectè & Verè fassa; CARERE VIRO.
Ecce! Viros (nec enim thalami tibi signa gravabor
Pandere, vel certis pingere probra notis.)
Ex aliis sortita alios es, in ordine, Quinos:
E quina, proles mascula bina, face est.
Primus, Iôsephus villæ patrona propinquæ
Nomina; Victoris nomen at alter habet.
QUÆ tua tunc primam maculârint crimina tedam;
QUÆ, succedentem? Numinis arca premit.
Tertius ex Itala mox gente Thalassio venit;
Vir Tiburs, nurui junctus Achabigenæ est.
Jam Tribus elatis, queruli tibicinis usu
Mentitô, & falsis te lacrymante genis;
Quartus: &, hôc raptó tibi Febribus, ultimus Annas,
Conjugio venit, victima Quinta, tuo.
Nam, thalami periêre tui sub atrocibus omnes
Casibus. Et jam, Te Ducere, funus erat.
Legitimo tamen illi omnes tibi fœdere nexi,
Legitimum Sexto, morte, dedêre locum.
Ecce! locum sextus, vacuatum funere quinto,
Cepit, & hunc hodie (sed, sinè jure) tenet.

Cor-

Conjuge pro justo, factus subsessor amorum,
Pro nupta innuptam te, Samariti, fovet.
Non Tuus est igitur: neque te, nisi pellicis usu,
Dixerit ille, Suam: lex, Deus, ordo, vetant!
Ac (nisi corrigitis thalamum) calor iste, calore
Plectet inextinctó, téque tuúmque procum.
Quare, verte pedem! viduas & discere noctes
Incipe!: Nec, CREDI casta, sed, ESSE, velis!
Quid trepidas? dudúmque rubet frons, conscia culpæ?
Et sudore fluit vultus? & imbre, genæ?
Dejectísque oculis, convicta Silentia prodis?
Nónne, quòd absque Viro es? nec tamen absq; toro!

SAMARITANA.

DICIT ei Mulier; DOMINE! Video, Quia PROPHETA es Tu! PATRES nostri in monte hoc Adoraverunt: & Vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, ubi ADORARE oportet. *Versu 19. & 20.*

De monte porrò, Templóq; Samaritano, per Religionis schisma in Garizim excitato, aliquammulto ante Christi adventum tempore, vide Salianum Tomo Annal. 6. & alios, ex Iosephi Antiquitat. l. 13.

HEj me! Quid, fœdæ mulier turpissima frontis,
Sustineam effronti reddere voce tibi?
Et feci, & fateor, toties, totiesque nefandum
Femina prostibulum, femina facta lupa.
Et pudet, & doleo. Quis me, quis sordibus, gnis
Expiet? aut vivis eluat amnis aquis?

Totus

Totus hic in maculas puteus non sufficit omnes:
Est opus, est, undis, summe Propheta, tuis!
Namque ego te (quem Judææ modò gentis alumnum,
Quem mox Rabbinum sum, Dominumque rata)
Nunc, nunc (heu! animô serùm sapiente!) Propheten
Sentio. Te Vatem vox, gravitásque, probant.
Hæc quoque si taceant; clamant oracula; clamat,
Prodita sacrilegi tota cloaca thori.
Conjugiísque, virûmque, omnis numeratus elenchus,
Et nati, &, quorum est, cuncta referre, pudor.
O, igitur, seu tu nobis Anathotide terrâ,
Seu magè Thesbæâ stas redivivus humô!
Seu tu Mosis habes (oculorum fulgura certè,
Fronsque, subinde micant) cornua & imperium:
Sis vetus, anne recens? Ego probra recentia plantis,
Et calcanda dabo probra vetusta, tuis.
Me quoque constrictam quà fas, tibi dedo; ligatam
Crimine, sive velis vivere, sive mori.
Irritata meis, tantummodo Sidera, noxîs,
Pro me flexanimâ mitia redde prece.
Accedent (sine fruge licèt meretricia castum
Vota Deum pulsent) ad tua vota, mea:
Furtáque sacrificô redimam lasciva, vel hœdô,
Vel (si pauperies hoc sinat arcta) caprô.
Et, quoties olidus, Mosæis legibus, hircus
Ibit odoratis hostia jussa sacris:
Et, quoties alter, populi pro sordibus, hircus,
Ibit in ignotam publicus exul humum:
Cornibus hujus, erunt etiam mea probra ligata;
Cornibus alterius, probra cremata mea.
Pro Veneris, fient holocausta vicaria, flammis:
Posteriórque ardor flamma prioris erit.
Tantùm, ô, (nam refert, fieri Sacra, cespite sacrô)
Ara quæ regio sit genuina, doce!
Nam Sanaballathi, Pario de marmore, templum,
Ac, Salomoniacis æmula tecta tholis;
Sancta Garizæi, quæ cernis, culmina montis,
Possedêre stato, per duo sæcla, situ.

Irruit;

Irruit; ac Fanum, jacto dedit igne, profanum,
Hosticus Hyrcani, sacrilegúsque, furor.
Hic, prius innumeros tingebat victima cultros:
Hic Samaritarum spes erat, ara, Deus.
Antè tamen positum delubri limen, & antè,
Jam pridem veterum, mons, pietate viret.
Hic vota Isacides, hic Josua solverat Heros:
Hanc Patrum ingredimur, postera turba, viam.
At vos (ô, Vates Solymæi docte synedrI!)
Dicitis; Aut NON sint! aut, Solymæa Sacra!

CHRISTUS.

Dicit ei IESUS; Mulier, Crede mihi, quià venit hora; quando neque in MONTE hôc, neque in IEROSOLYMIS adorabitis Patrem. Vos adoratis, quod nescitis: Nos adoramus, quod scimus: quia Salus ex Iudæis est. SED, venit Hora, & nunc est; quando Veri Adoratores, adorabunt Patrem, in Spiritu, & Veritate. Nam & Pater, Tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est, Deus: & eos, qui adorant eum, in Spiritu & Veritate, oportet adorare.

Versu 21. 22. 23. & 24.

IN minimis tricaris adhuc; cùm summa supersint.
DUM Bene sacrifices, quid cruciaris; Ubi?
Numen adorandum est. Sed, In His? an montibus Illis?
Montanum nimis est, & rude, mentis opus.
Postera, lucidiùs sapient, & acutiùs Aras
Sæcula discernent. Mira, at Agenda, loquor.

Tem-

Tempora (crede mihi) superò labuntur ab orbe,
  Et venit aurifero fertilis Hora sinu;
Cùm tu, cùm miseri Samaritidos urbis alumni,
  Cùm Syrus, & Phœnix, cùm Nabathæus Arabs,
Cùm nigri Æthiopes, Ægyptus fusca, niténsque
  Græcia, & Europæ candidioris humus;
Cùm Brasilûm gens versicolor, cùm decolor Indus.
  (Nomina, vix ipso nunc tibi nota sonô)
Cernua Messiacis adsternent oscula plantis;
  Votáque concipient, obsequiosa Deo.
Diversus variis vultus, sed concolor Ara,
  Ponet in unanimem thura Sabæa focum.
Unum Numen erit, cultúsque erit unus: & una
  (Nec SAMARÆA tamen, nec Solymæa) Domus.
Absque Loci pacto, Sacra passim mystica fient.
  LIBERA mens, Pater est: Libera templa petit.
Rectiùs interea (ne te, mea Síchari, fallas)
  Tantisper Solymæ publica Sacra tenent.
VOS, veris immixta, ligat fraus devia veri:
  Nubiláque in multa lux ibi nocte natat.
AT Judæa Tribus, Babylonidis integra pestis,
  Servat inextinctâ Sacra serena Fide.
Vos, vaga jungentes cum Numine numina certô;
  Ignotum colitis, non-colitísque, Deum.
AT Judæus, habet, quod adoret: & irritus esse
  Nescit adorator. Christus, Hebræus erit.
Quin & (si qua fides!) jam nunc Est Christus Hebræus:
  Jam Natum ille Pater, Virgóque mater, habent.
Illum, tempus erit, Genitorem (& tempora nunc sunt)
  Cùm non sacrificâ mysta bidente colet:
Non bove mactatô, non pastis viscere flammîs,
  Lucroso pingent astra vapore popæ:
Sed Mens, atque animus, ductúsque è pectoris immo
  Spiritus; Ara greges, atque litator, erunt.
Hoc genus Ararum, pecorúmque, piéque litantûm;
  Non adipata Pater rex holocausta, probat.
Et meritò! Mens quippe Deus, sine pondere Carnis,
  Carnivorâ refugit religione coli.

MENS:

MENS mentem hanc, animúmque animus, venereturs
Iſtud Adorandi pono magiſterium ! (oportet :

SAMARITANA.

DICIT ei MULIER; Scio, quia Meſſias venit, qui dicitur CHRISTUS. Cùm ergo venerit; ILLE nobis annuntiabit omnia. *Verſu 25.*

Supremus ſcitíque omnis, morúmque magiſter,
Quem, venturum olim, pagina veſtra canit;
Rex regum, à poſiti promiſſus origine mundi,
(Meſſias noſtris, Helladi Chriſtus) erit.
Hunc ſcio, poſt aliquot tandem, citò, ſerò, retectum
Sæcula; docturum, quidquid in orbe latet.

CHRISTUS.

DICIT ei IESUS; EGO SUM, QUI LOQUOR TECUM! *Verſu 26.*

QUEM tibi, poſt aliquot tandem, citò, ſerò Futurum
Sæcula, proponis: jam tibi Chriſtus Adeſt.
En Ego! Meſſiam quem quæris in Omnia; Tecum eſt!
Stat tecum, & tecum diſſerit. Ora vide!
Ambigis? & tua mens dubiorum Aquilonibus horret?
Quid mirum eſt, Tecum ſi minùs eſſe putor?
Nam tu (quod video) attoniti præ numine ſensûs,
Nec Tecum Ipſa ſat es, Sichari. Pone metum!
Surge animis! aſſurge fide! præſagia firment
Noſtra fidem! firment, abdita panſa tibi!
Præcipuè tua vita prior, quæ, tecta cubili,
Humanam poterat fallere notitiam:
Fallere te Memorem nequiit, Chriſtúmque. Proinde,
Si Mihi iam dubitas credere; crede Tibi!

EVANGELISTA.

ET continuò venerunt Diſcipuli ejus; & mira-

mirabantur, Quia cum Muliere loquebatur. Nemo tamen dixit; Quid quæris? aut, Quid lóqueris cum ea? Reliquit ergò hydriam suam Mulier, & abiit in civitatem, & dixit illis hominibus; Venite! & videte Hominem; qui dixit mihi Omnia, QUÆCUNQUE FECI! Numquid ipse est Christus? *Versu 27. 28. 29. 30.*

TAM pia dum placidis alternant jurgia linguis;
Bisseni redeunt, sveta sequela, Viri.
Mirantur, Ducis insolitas cum dispare sexu,
Colloquiô tractas fervidiore, moras.
Præcipuè fallax, & acutus ad extera, Judas,
Ad Sua sed cæcus; lumina torva vibrat.
Cúmque alii premerent suspensô garrula sensu
Ora, verecundis docta silere labris:
Ille tamen solus (sed sic, ut falleret aures)
Taurinô querulos ruminat ore sonos.
Sicharidem potuit censorius ille fugare
Vultus, & à cœptis præcipitare, nurum.
Conticuit certè hæc; properantéque calce recessit;
Non horrore pedes, sed stimulante Fide.
Credula, non dictâ sumptáve salute, Salutem,
Quam didicit, cives vult quoque nôsse suos.
Ergò volat, doctura alios; ducturáque Fontis
Ad medici concham. Nec levis ardor erat.
Prona, Noti rapidô, petit urbica compita, ritû:
Prona quoque, ast impar, Musa secuta mea est.
Illa, suam tetigit felicî pulvere metam:
Nostra stetit, claudô Musa retenta pede.
Fictilis oblita est hydriæ Samaræa virago;
At mea figmenti, Vera Thalia, sui.

ELE-

ELEGIA XXIV.

NATATIO, SINE ARTE, PERICULOSA.

Argumentum.

Exponit, quanti diſcriminis ſit, Sine cortice, ſine faſce tabulâq; , citra ullam Natandi peritiam, Flumina (qui Iuventutis hoc menſe mos eſt) tentare: adducto in medium extremo veriſſimóq; Adoleſcentis ſtudioſi, in Guntii Amnis catarrhactis ádito periculo.

Scribitur autem hæc Elegia, nomine memoriâq; Veteris Amici, JANI VOLUCELLÆ, *Fabiani; cui quondam, duodecenni, in hoc Pelago* AQUA HÆSERAT: *hæſurâ in vorticibus animâ, niſi cœlô ſuccurſum eſſet.*

Tangitur ad Carminis exitum, Scholaſtici veteris Græcanici fatuum, ſed teſte canô vulgatum, Iuramentum: quod in hæc verba Hierocles interpres refert.

Scholaſticus, dum NATARE tentat, pæne ſubmerſus eſt. IURAVIT igitur; Non ingreſſurum ſe de cætero Aquas, niſi priùs probè exactéque Natare didiciſſet.

Sed

Sed nos VOLUCELLAM *potiùs audiamus;*
& Experto credamus!

QUamvis labra Siti findentur, & arva calore;
Ac tua sidereo diffluet igne cutis:
Tu nunquam tentabis aquas, loture natator;
Aut, quas tentabis, vincere nôris aquas.
Nescis, heu, nescis liquidi discrimina lethi.
SÆPE, etiam in modico flumine, Syrtis erit.
Hoc CREDE Expertis: hoc crede, pericula passis:
Ac (testem si vis denique) crede Mihi.
Non ego, Peligno ducam quòd tramite Musas,
Omnia Pelignis mentior Acta metris.
Præcipuè cùm Gesta cano, leve quærere noli
Figmentum. Superos cùm cito, Vera loquor.
Hoc quoque vel fato, vel (quod jam malo) Monarchæ
Debeo cœlicolûm; Grata quòd oda sonat.
ÆSTUS erat; sudóque Auster coliuserat Euro:
Sólque propè Occiduis proximus ibat aquis.
Vos nôstis, Fabianæ, solum mihi, Castra, paternum;
Et vos undivagæ Guntia turba, Deæ!
Guntius (ex omni septem vada flumine) plenum
Perspicuus vitreo gurgite agebat iter.
Illimes hinc cana salix obsederat undas;
Illinc, littoreô pensilis herba torô.
Talis ab Oebaliis Eurotas ille puellis,
Creditur, ad Græcos, diditus esse, choros;
Talis & in Siculis Arethusa canalibus olim,
Limpida monstrosi fontis origo fuit.
Omnia quid memorem? Nihil est non laudis in amne;
Et nihil est, quod non, albe lapille, notes.
Huc pubes omnis puerique, & adultior ætas:
Huc tuleram infaustos tunc puer ipse pedes.
Cætera per liquidum passim spatiata profundum,
Innabat medio turba perita, vado:
Et cautam sertis frontem redimita salignis,
Jactabat variis brachia docta modis.

Solus ego, ut rudibus modò nata ciconia plumis,
Quæ temerè aërium tentat, & urget, iter:
Et modò maternos ſpectat, de turre, volatus;
Sæpe quoque, in nidi margine, diſcit avem.
Sic ego, talarî contentus fluminis undâ,
Stabam; nec madidum merſus ad uſque genu.
Ulteriùs prodire, fuit mihi, Tangere Thulen;
Aut, Libyæ extremum ſollicitare fretum.
DUM tamen, hac ipsâ contentus ſorte natator,
Exiguum indocili poplite ſalto chorum:
Dum lavor, & levor, ac parvi me finibus amnis
Circumago, placidô membra fovente gelû;
Increvêre animi! Lubuit, diſtendere voti
Vela mei: lubuit, dedidiciſſe metum.
Concipio ingentes animos, atque efferor auſîs:
Jámque ſuprà primum tingor utrimque genu:
Jámque ſupra femur, & lumbos, ſuper ultima mergor
Pectora. Jam magnus nempe Natator eram.
Sed, Brevis! Ecce tibi! dum ſto, dum cautus oberro;
Dum ſtudeo, ſupra pectora nequid agam;
Fluxilis, in fundo, plantam fraudavit arena;
Promôrátque vagos inſidioſa gradus:
Donec, in abruptos ablatus gurgitis æſtus,
Obruor; infuſis contumulórque vadis.
Quid mihi tunc animi? quid erat ſine ſanguine cordis
QUANTUS eram, ſaxum, cos, lapis, umbra, fui.
Atque, utinam ſaxum, petra, cos, lapis, umbra, fuiſſem:
Senſiſſem fatum ſegniùs indè meum. (annô
Nunc homo, nunc puer, & duodenô haud grandio
Quid paſſus fuerim, neſcio: paſſus eram.
Nam, patulo quamvis multùm obluctatus hiatu,
Exhauſi invitâ flumina tota ſiti.
Credibile eſt, furvæ me ſtagna Charontica Lethês
Vidiſſe, ac raucæ littora torva Stygis:
Credibile eſt, veniſſe tuas, ſacra numina, Nymphas;
Inque ſuos, Gunti, ſæpe vocâſſe lares
Aut ego jam ad Lethen remex ac nauta Charontis,
Fungerer infami, per nigra tranſtra, vice;

Aut.

Aut Melicerta vagus, transformatúsque Palæmon,
  Essem Naïadum certus (at, ater) Hylas.
COELO aliter visum est. inter nam funera mille
  Depositum, jussit vivere dia Salus:
Méque, manu impulsum, tacitis delapsus ab astris,
  Aliger in tutum transtulit arte vadum.
Gurgite dispulso, me jussit abire: procúlque
  Scyllis, in sicco postmodo ferre pedes.
GRAIUS homo, juravit; Aquas, neq; sub Styge, tangam;
  Ni priùs, ex Nandi lege, Natare sciam.
Gratus ego juro; Digito priùs Æthera tangam;
  Quàm fluat ex animo hæc funebris Unda meo!

S. IGNATIUS LOYOLA.

IGNEM veni mittere in Terram; & quid volo, nisi, ut ACCENDATUR?

Lucæ XII. Versu XLIX.

ELEGIA XXV.

IGNIS S. IGNATII MILITARIS, IN SANCTIOREM MUTATUS.

Argumentum.

Quanto Divus IGNATIUS *De* LOYOLA, *militaris spiritûs ardore, Bella Hispano-Gallica tractârit, commemorat. Miratur repentinam ejusdem, ad ignitum Divini honoris zelum animi conversionem, atq; metamorphosin. Ejus latentes indagat caussas; explicaturus easdem profusiùs Elegiâ subsequenti. Sub finem deniq; eidem* DIVO, *Auctor, muneris Natalitii vicem, Papyrum offert virginem; à Thalia gesto aliquo* IGNATIANO *implendam.*

CLaudat Iüliacos LOYOLA IGNATIUS ignes!
Jull summa dies hunc beat: Ille, diem.
Magne Pater, studiis quondam bellacibus Ardens;
Hostilísque truci stragis amore Calens:
Cuj flammis oculi, cuj stabant Marte capilli,
Pectora flagrabant bile, juventa minis:
Cujus in ore, ferox animi, spirârat Achilles,
Troica cùm Danao carperet igne fora:
Cujus in insultu, Telamonius arserat Ajax,
Vindice cùm brutos sterneret ense greges.
NAM, quod Pelidæ fuerat Phryx; hoc tibi, Iingon:
Ajaci quod bos; hoc tibi, Gallus erat.

Quanta

Quanta tribunitiô, quot, Celtica victor adortus
Pergama Mulciberô; squallida busta dabas?
Usque adeò, Fax, IGNATI, dum bella jubebant,
Flammáque, quantus eras Martia, totus eras!
Olim flamma quidem Mavortia, faxque; sed, Olim!
At Nunc, diversô prorsus ab igne, cales.
Cœlite pacificum pectus tibi fluctuat æstu;
Divinísque flagrant sensa cupidinibus.
CASTRA, valere jubes, & Iberica cingula, damnas;
Quæque rotat Mavors spicula, quæque Venus.
Empyrias volvis, Pyrio pro pulvere curas;
Proque globis, agiles spargis, in astra, preces.
Hinc, superô medius radiorum fulgure cinctus,
Quàm, veteri dispar Ignis ab Igne, micas?
In te nunc astrum miramur Perseos: In te
Oriona novum, Pleïadúmque patrem;
Rectorémque Helicês, agitatorémque quadrigæ,
Quæ septemgeminis lucibus Arcton obit;
Hydrochoónque sacri laticis, fulvúmque Tonantis
Armigerum; seu quid grandius axis habet.
OMNIA tu nobis, hodiernô es sidere, solus.
(Cætera quæque suus noverit astra Dies!)
Tu, meus es: tuus omnis ego! Tibi nostra Parenti,
Præstet adoptivam filia penna manum.
Tu timidam (seu Serva tibi, seu Nata, laboret
Penna!) magisterii dirige lege, manum.
Huc ades! O, quis te, priùs arma virósq; frementem,
Spirantémque truces, Hectoris ore, minas;
Armonii; quis te, stomachantem principis æstu,
Mutavit, tantô jam meliore face?
Quis vultum his radiis? quis dextram Numine, sepsit?
Quis tanto rutilum sparsit Amore sinum? (ra est,
Unde est? quòd clames; Hev, quàm mihi sordida Ter-
Accensâ quoties lampade, Luna micat?
Unde tibi hoc cœlum? vel amati tam nova cœli
Ambitio, quod per saxa facésque petis?
Nempe, aliquid pulcrô vidisti pulcrius orbe!
Et quoddam visô sidere majus amas!

Hinc tuus ardet Amor. Quem,tu quia pandere corâm,
Ora verecundâ fronte premente, fugis:
Non ego defugiam, minimis exponere chartis.
Tantula ne spernas munera, magne Pater!
TE celebrent alii (quod lux tibi festa, meretur)
Libô, ac sacrifici divite melle favi!
TE largô damnata colant anathemate vota!
Te seris afflet multa corolla rosis:
Pluráque: Quæ largè Loyolias accipit Ara:
Cera, bases, tabulæ, signa, parerga, preces..
At nostrum (Ne, quæso, inopem, ne sperne poëtam!)
Parvula charta, tamen Candida, munus erit:
Candida, quam nullo perlevit littera ductu,
Et scribæ quávis inviolata manu.
Hanc mea, sed celeri perscribat arundine, Musa;
Ut, quæ jam nulla est, sit citò multa nota.
Adsit! & historicos intexens versibus actus,
Phænomena inscribat, Dux Loyola, tua!
Nec Cœli formidet iter. Duo sidera blanda,
Sunt thema; Virgo, Puer. LACTEA tota Via est.

ELE-

ELEGIA XXVI.

Historica.

DEIPARA, CUM FILIOLO, S. IGNATIO CONSPICUA.



Argumentum.

Ex R. P. Petro Ribadinejrâ. Soc. JESU.

IGNATII desideria, Excitata jam & Confirmata; multò, quàm antea, Inflammavit ardentiùs, præclara quædam, atque admirabilis VISIO. Nam VIGILANTI nocte quadam, clarissima Beatissimæ Vir-

ginis MARIÆ, unà cum Sancto puero JESU, species objecta est: quâ Aliquamdiu Permanente, mirificè recreatus est; & divinâ quadam voluptate perfusus. Unde, tantum eum præteritæ vitæ tædium cepit; maximéque earum rerum, quæ cum obscœna delectatione conjunctæ sunt: ut omnium impudicarum rerum imagines, ex animo ejus effluere viderentur. Et sanè; veram fuisse VISIONEM, ac fructuosam; res ipsa comprobavit: cùm ab ea hora, ad extremum usque spiritum, Castitatis Integritatem, divinô beneficiô, conservaverit. *Hæc totidem, & his ipsis verbis*, *Petrus* RIBADINEJRA, *scriptor Vitæ S. Ignatii. Libro 1. cap. 2.*

OMNIA concubiæ squallebant Noctis opacô:
Non lux ulla polo, non erat ulla thoro.
In thalamo solus (Placet ætheri transfuga turbæ:
Et, qui plebe procul supplicat, ille litat.)
Solus, & abstrusus, densabat, cordis ab immo,
In longum vigiles, Dux LOYOLA, preces.
En! insperanti (lacrymis tamen astra cienti)
Præsto, per tenebras, astra fuére Duo.
Lux, face lucidior: cœlestius Iride, cœlum:
Luminis in medio Diva, Puérque Deus.
Clarus uterque quidem; sed sic: ut clarior esset
Aurea Sole Parens; atque Parente, Puer.

Maje-

Majestas Pueri, quam Zeuxis pingere nescit;
Et Matris, quantam fingere nemo queat.
Si licet, è priscis præsentia pingere fastis
Ostenta; ac paribus ducere signa notîs:
Talis erat genitrix, talis (reor) inclyta proles;
In stabulo quales ambo genethliaco:
Cùm, pecudes inter, gremio modò virgine fusum,
Sustulit infantem bajula nympha Deum:
Ostendítque, suam (puerili in schemate natam)
Sideribus Lucem, terricolísque Ducem.
Aut, qualis, roseâ nitidus cum Matre Puellus,
Templa novam sparsit per Solymæa facem;
Cùm Senis emeriti vivacia, Sole gemello,
Lumina perstrinxit; frónsque professa Deum est:
Infans illa quidem, sed summum bina TONANTEM
Pupula, divinâ tunc citò fassa face:
Sarcina parva quidem; tamen ipsa, senilia tanti
Implevit vatis brachia, vota, dies.
Aut hæc ergò fuit, rutili cum Matre Puelli,
Aut par, Cantabrico gloria visa Duci.
O, quater! ô nimis! ô, numeri sine fine beatum,
Cuj licuit radiô hôc, phænomenóque frui!
Et nunc divinum Pueri libare decorem:
Maternis oculô, nunc, inhiare genis.
Ac modò candiduli depascere lilia Nati;
Ac modò Virgineæ frontis obire rosam.
Hunc citò; mox Illam, cupidis exsugere votis;
Mox unis ambos nictibus ebibere.
Interea nec sermo Duci, neque sermo Parenti,
Nec fandi Infanti (ceu decet) usus erat.
Quamvis sermo tamen, tribus his, vocalis abesset;
Ora tamen tacitô Mille fuêre sonô.
Præcipuè Mater (DECUIT facundia matrem)
His fari visa est, ore silente, modîs;
HUC ades, huc oculos pariter, mentémque reflecte!
Huc gladium, huc totum, miles Ibere, sagum!
Nos tibi, nos, vitæ speculum veterísque, novæque,
Simus! Ad hoc, mores finge, refinge, tuos.

Non, ut ſpectemur, nunc adſumus, atque probemur:
JUDICIBUS Superis nos placuiſſe, ſat eſt.
Sed tamen, ut ſpectes, præſtò ſumus; & ſpectatas,
Preſsó cum vitiis orbe, ſequaris opes.
Cerne; nec addubita, radiis inſiſtere noſtris,
Hujus & in formæ figere ſede pedem.
FORMA bonum vix mortali durabile fronti,
Hîc indimotô ſemper honore ſedet.
Singula ſi peragres oculis, repetiſſe juvabit:
Creſcet amor Cœli; defluet Orbis amor.
Hîc peccare nequis, quantumlibet optica libes
Gaudia. nec Veneris, plaga fit ulla, dolô.
Singula ſi cernes, diſcernere ſingula diſces:
Et tibi, Doctus erunt, Corpora noſtra, Liber.
Adſpice! Formoſa eſt Facies mihi tota! ſed, inſons.
VERA poteſt nulli Virgo nocere viro.
Frontis ebur noſtræ, pudibundô inſpergitur oſtrô:
VIRGO, pudore carens virgine, flore caret.
Bina verecundô ſubigit ſe palpebra nictu!
SIC oculus, terram qui videt, aſtra petit.
Auriculæ cauto ſtant (hæc, atque illa,) receſſu:
Clauſa ſit hæc aliis concha, paténſque Deo!
Aurea carbaſini tegitur coma nube theriſtri:
Quàm SÆPE in laqueum nympha comata, viro eſt?
Flore caput ſurgit: gemmis diadema triumphat.
Per SPINAS, tibi flos: per Mala, gemma datur.
Hinc atque hinc roſeo vernat gena blanda rubore:
Quàm PULCRA eſt, lacrymis mala rigata piis?
Sunt labra, ſunt dentes mihi, cum gravitate modeſti.
OS etiam, & riſus, diſcat habere modum!
Colla nec adſcito cernis torquata monilî:
VIRGO, tegens collum, grande monile gerit.
Turgida cœleſti duo ſuſpicis Ubera ſuccô.
Clauſa licèt, cujvis noſtra papilla patet.
Divino Digitos ſentis radiare pyropô.
SIC opus in digitis luceat omne tuis!
In Gremio reſidem noſtro, veneraris Iëſum.
In Loyolæo corde quieſſe poteſt.

Jám-

Jámque Pedum lambis vestigia pura meorum.
MUNDA est, quæ mundi stercora planta terit!
Cœruleámque meæ jam cyclada vestis adoras;
At tibi, pulla potest, astra parare, Toga.
Fulguris insoliti vultus in imagine figis.
Quid Lux? si lucis tam placet Umbra tibi?
NUNC igitur, Seu Forma juvet te, dilige formam;
Sed, quam Parthenius pingit in ore pudor.
Seu tibi fulgenti Cidaris diademate ridet;
Rideat! AD decus hoc sed tamen alta via est.
Si cordi tibi sunt frons nostra, comæque, genæque;
Sit SPECULUM tibi frons, sit coma, síntque genæ!
Si geminos censes oculos, tua sidera, nostros;
Hæc Helice tibi sint, hæc Cynosura tua!
Brachia si laudas, tenerum stringentia Christum:
Brachia fac nobis des tua; Párque feres.
Si mea delectat, stellarum oculata lucernîs,
Te Stola; cœlesti tu quoque veste nite!
Si Puer arridet, gremii dulcissima nostri
Sarcina; pars oneris sit Puer iste tui.
Pondus, Inexperto tam svave; quid esset Adepto?
In BREVIBUS membris magna synopsis opum est.
Aspice, divinum vibrantes lumen, Ocellos!
Aspice blandidulis torta Labella plicis!
Ora vide, refugîs in risum prona lacunis;
Sic tamen, ut constet lege modesta gena.
Articulos, Digitósque vide, tibi pectine pulcrô
In seriem explicitos; nec Numerare, rudes!
Primus, in hoc numero, Pueri qui ad magna citetur
Indice; tu, Dux, es. Te, Loyola, vocat.
Index te dexter, Sociorum signat Iësu,
Alpha, caput, monadem, principium, atque, patrem.
Indè, Novem reliquis digitellis, mandat; in Album,
Et numerosa Viros signa venire Novem.
Sic, omnes pulcrô Digitos consumit elenchô:
Dactylus & Denus, vos jubet esse Decem.
Quos tu nunc nescis, tua sub vexilla volabunt,
In manibus Pueri, scripta caterva, Dei.

Ergò, pari ſit & ille tibi deſcriptus amore,
In fidâ manuum, ductor IBERE, volâ;
Et, criſpum radiis, divini Nomen Jéſu,
Majus Atlantæô, dextera geſtet onus!
Heſperiis illud populis, ac, præfer, Eois:
Et ſciat hoc, ex te, nomen uterque polus.
Sed, Magnum hoc opus eſt:& ad hoc non impete parvô
Eſt opus. Hujc jam nunc arma virúmque para!
Quid facis in terris? cœlum (fuge cætera!) cœlum,
Et ſolum, & totâ poſtmodo mente, pete!
NEC ſunt per dubias, cæcáſve, parúmve fideles,
Aſtra petituris, aſtra petenda vias.
Per nos, en, iter eſt! Tibi Nos fiemus iidem,
Ductores, comites, ſemita, meta, quies.
Aggrediâre, licet. Sed vincula rumpe, moráſque!
PRINCIPIUM omne facit dulce, remota Mora.
Aſperior, Progreſſus, erit: dulciſſima, Meta:
Hæc tibi, quidquid avent nunc tua vota, dabit.
Herôus te lactat Honor? paſcéris Honore.
Delicias ſéqueris? quidquid amabis, erit.
Ut latè domineris, agis? NIL Latius aſtrîs.
Ut Regnes? REGNUM, qui bene ſervit, habet.
In cumulum, venaris Opes? nullius egebis.
Theſaurum indagas? Hîc fode! fiet ibi.
Arx te celſa juvat? celſiſſima Regia cœli eſt.
Veris amas Hortos? & Paradiſon ama!
Rus placet, ac ſegetes? Ibi meſſis & horrea plena.
Prata tenent? rutilis floribus Axis ovat.
Laurea te victrix ornat? plus, viva corona!
Palma decet? JUSTUS Palma erit, atque cedrus!
Te Species capit? en, Puer hic ſpecioſior orbe eſt!
Urit amor? Noſtri puriùs ardet amor.
Sponſa trahit? Sociare mihi! ſit Olympus in arrham!
Vis Genus, ac ſobolem? pignora mille dabo.
Denique, Quid tibi vis, quod non ego poſcere pro te?
Aut, dare quod Natus non queat, atque velit?
Omnia complexo vôtis; unum omnia votum,
Iſta tibi Genitrix, fiet, & Iſte Puer!

Ex

Ex Puero, quæcunque recèns ego gaudia Mater
  Collegi genitô; colligere ipse potes.
Ex ipso quodcunque tulit solamen adulto
  Orbis; ferre potes tu quoque. Pande sinum!
Ex me præterea, quidquid, velut ubere conchâ,
  Sive scaturit opum, sive redundat opis;
In caput illa tuum, prædivite defluet omne:
  Et tua, quidquid eris, gloria semper ero.
Hæc mea, téque teget, teget & tua pignora, palla.
  Interea, VIVE hac præside! Jámque vale!
TALIA, si Virgo non dixit; dicere visa est:
  Et cunctabundâ cessit in astra fugâ;
O Puer! ô Genitrix! (clamat Loyola) Quousque?
  Et nos, ô, aliquò fas sit, in alta sequi!
Hev nos! cur Puerì, cur Matris, figere plantis
  Basia distulimus? Svasit amœnus amor:
Dissvasit metus, ac tanti tremor (ah tremor!) ausi
  Ferreus. In Zephyros nunc mea vota fluunt.
Vota cadunt! Sed amica tamen non excidit icon;
  Vah, Quid tale potes tu dare, fœda Venus?
Ludis; &, hev, spurcæ ludis Floralia Majæ!
  Sed tua quàm rauco tibia fine sonat?
SERIA, virginitas, contrà est; & amabile drama:
  Tela quidem patitur fellea; dulce Telos.
Ergò quid? Ex omni pridem Floralia sensu
  Despuo! FLOS noster, Flos Nasaræus erit.
Posthac castra mihi; posthac mihi Bella, valete!
  Et tu, flamma animi, bilis, & ira, vale!
Jam flammor meliore pyrâ! Sacer æstuat intus
  Ignis! Iô, JESU totus amore flagro!
Jam, Mariæ castô totus depascor ab æstu.
  Euge! quid aspexi? quàm geniale bonum?
Spectatum at satis est. Ah, quid loquor? Anne satis sit
  Quod plenum Satias reddere nulla potest?
Si mihi, quot cœlum stellas, quot fulgura Titan,
  Lunaque quot radios, quot sata portat ager;
Poma quot Alcinous, quot flores molle Tarentum,
  Quot guttas Pontus, quot Tyros ostra capit;

Denique, quot Pompejopolis micat ampla feneſtrîs,
Quot matutinîs roribus undat humus:
TOT mihi ſi pariter quiſquam nunc donet ocellos,
Luminibúſque Argi lumina noſtra juget:
Pauca tamen nimis hæc ſint, Inſtrumenta Videndi:
Tantus, ſpectandi pluribus, ardet Amor!
Sed tamen, utcumque eſt: Spectavi. Plaudere fas eſt;
Et quoddam, plauſu grandius, inſtat opus.
Ecce! da eſt orcheſtra mihi; Deus ipſe, theatrum;
Virgo, ſcena! Quid hic deficit? ACTOR Ego.

ELEGIA XXVII.

S. IGNATIUS, JESU CHRISTI COMITATU, RECREATUS.

Argumentum.

Ex eodem Ribadinejra.

In itinere, quod ROMA Venetias habuit IGNATIUS (*Loyola,*) multa aſpera & acerba pertulit. Propter graſſantis enim Peſtis metum, vel in Porticibus excubare, vel pernoctare ſub dio, cogebatur. Et VIATORES, exſanguem illum ac luridum intuiti, ſummáque macie confectum; ſe in fugam aliquando dabant. Alii verò, qui ſe in via illi ſocios adjunxerant; lentiùs præ virium tenuitate ambulantem, ſub NOCTEM DESE-

RUE-

RUERUNT. Sed, qui dixit; Non te deseram, neque derelinquam! ille desertum invisit IGNATIUM, abjectum suscepit, & complexus est. Namque, OBTULIT se illi NOCTE, postquam relictus est, proximâ, CHRISTUS, in latissimo quodam Campo, à Fossa-Clodia pergenti PATAVIUM: plurimúmque, aspectu suô, recreavit ejus animum: & ad GRAVIORA perferenda roboravit; & ità ejus ITER direxit, ut Patavinæ urbis custodiæ ingredientem illum egredientémve, nihil omnino remorarentur, aut interpellarent, & aditum Venetias perfacilem haberet; cùm tamen desertores illi socii laboris multum subierint; ut liberum in eam Urbem ingressum invenirent.

Verba sunt Petri Ribadineyræ Lib. 1. Vitæ, capite 10.

QVEM Fortuna premit, per vix toleranda malorum
Pondera; ne tristi contrahat ora situ!
Neu' vultum obruget, scapulásve à fasce reducat!
NON omnis misera est sarcina, quæ gravis est.
Felicem hunc LOYOLA putat, qui fortiùs instat;
Et cœptum infesso poplite pergit iter.
JAM SOL ignivomos, excussô pulvere, currus,
Æquoris Hesperii merserat inter aquas.

Jam,

Jam, blandâ pro luce, graves induxerat umbras
  Cynthia, non solitâ corniculata face.
Non varium nitidæ pingebant æthera flammæ;
  Unde capit densâ nocte viator opem.
Pendebant tetricô vastissima nubila Cœlo;
  Quæ pressura diem, si superesset, erant.
Hîc tamen, ancipitì deprensus tramite, Miles
  CANTABER; obscurum perpetuabat iter.
Nam, Quo dejectos strato componeret artus?
  Urbe vigil; Domibus tutor, abire jubet.
Nec prodest Probitas. Comitum vix unus, & allter,
  Præsto erat: ac, serô vespere, Nullus erat.
EST via, quam celebrem PatavI meditantibus Urbem,
  Pandit ab Adriaco Claudia-Fossa sinu.
Latus ager. non hîc frondes, tumulíve, domúsvve;
  Fecissent mollem gramina sola viam:
Ni Nox obstiterat. SED in hoc Ignatius arvô
  Errabat, dubiô per tenebrosa pede:
Languentémque trahens, titubabat ad omnia, grressum;
  Nunc vada nunc veritus stagna palustris humii:
Interdum carecta, pigram celantia glebam;
  Quæ, semel impressum, mergeret alta pedem.
Sæpe, velut saxó plantam afflicturus iniquô;
  Retraxit plantam, quæ bene mota foret.
Sæpe, tumescentis delusus imagine collis;
  Dum scandit, nullô colle tumente, ruit.
Forsitan & tenuis, glebosa per avia, rivus
  Cùm multâ flueret garrulitate; stetit:
Torrentémque ratus, voluit transmittere ponte:;
  Cùm duo, trésve pedes, utraque ripa forent..
Quid facis, Ignati? Quidni, projectus in alga,
  De viridi fœno tecta, torúmque, struis?
Quódque dabit reliquum Nox temporis, exigis illic?
  Longiùs ire, labor cassus, & error, erit.
En! ipsæ, gracili fugiunt è corpore, vires!
  Mœstus &, exsuccô pallor in ore sedet!
Frigoribus quatiturque caput, fluitántque capillli:
  Confectúsque viis poples uterque labat.

Jam

Jam prüdem, ceu, multiplices cùm prælia venti,
Æquoris Euboici saxa per arcta, cient;
Sic tibi, post vacuum quartò jam sidere ventrem,
Horrificùm reboat, non-moritura, fames.
Exprobrat illa tibi, sine sanguine labra, genásque,
Brachiaque, & digitos, &, sine carne, femur.
Quid pergis, perdísque viam? Nox acriùs instat;
Spissaque jam timidâ tangitur umbra manu.
Utque putes, omnes in te confligere Diras;
Vix etiam es superûm tutus ab insidiis.
Horrida præproperas explodunt nubila flammas;
Et tremulum calido fulgur ab axe micat.
Æolus, emissis terret mare, sidera, terras,
Flatibus; ac Venetas haud procùl urget Aquas.
SED, cur indoleo? NON est miserabilis ulli,
Qui censu felix noluit esse suô!
Quis patriam? quis, magnifico surgentia saxô,
Atria? quis partas spernere jussit opes?
Dissuasit frater, lacrymas hortatibus addens;
O frater, serò cognite, vera loqui!
Nunc, tibi regnandas, alius tutò insidet arces,
IGNATI: in dura tu regione jaces!
Ille, vel antiquo trahit ebria pocula Bacchô;
Vel coctô fluidum gurgite figit aprum.
Aut, ubi suaserunt blandum convivia somnum;
In Tyrio ponit languida membra toro.
Te miserum! Nunc, dum pluviâ furit Æolus irâ,
Vastáque nimbosâ grandine terra crepat;
Quisquis vel fragili junxit magalia juncô,
Aut sicco finxit vile cubile luto:
Ipsæ etiam volucres, & maxima quadrupedum pars,
Quas vel nidus alit, vel sua lustra fovent;
Mollibus instertunt paleis: memorésque quietis,
Non tonitru, rabidos non meminêre Notos.
Immò, aliquis casù nictantia lumina tollens,
Dum notat, adversô fulgura torta polô,
Nocturnámque hyemem, tempestatémque nigrantem;
Ridet, &; I, Noctem hanc, fere viator, habe!
(Inquit)

Inquit) me calidîs foveat mea culcitra plumîs,
Et tegat incinctum byssina vitta caput!
Non Hyades noceant! non torvi murmura cœli!
Lecticam gravior neu' vibret aura meam!
Somne, redi! Sic te, quicunque est, sannio ludit;
Sollicitátque novîs, ad mala prisca, malis.
QVID, Loyola, facis? spem, quâ lactaris, inanem
Protere! tam Tristi cur petis Astra viâ?
Bella gerunt in te nubésque, imbrésque, Notíque,
Et cœlum, & forsan, qui regit ista, Deus.
Verte ratem! ac, stultè quondam consumpta, resume!
Quáque potes, voti corrige vela tui!
Non est turpe, feras repetitô inquirere cursu;
Quæ, semel excussô casse, dedêre fugam.
Nec pudor est, si fortè manus effugerit ales,
Aucupiô prædam sollicitare novô.
Hoc fac. Quis prohibet, regnata parentibus ora,
Et malè desertæ, si repetantur, opes?
UTERE Fortunâ. reliquum quem fecerit ætas,
Falle, magis lætâ conditione diem!
SED, moneo surdos: do verba rapacibus Austrîs,
Et volo Caucaseum pellere sede jugum.
Cernitis? ùt, fusîs circùm pluvialibus undîs,
Exhibeant latum gramina mersa fretum?
Hîc Loyola tamen, limô tardatus & algâ,
Promovet invitum, cæca per arva, pedem.
Nec Desertores, malefidáque fœdera, questus,
Aut, pressum à terris sideribúsque, caput;
PLUS (clamat) PLUS adde malis, venerabile Numen!
Et vomat in me iram Tartarus ipse suam!
Nox gravet! involvant nimbi! me fulminet æther!
Sternar in externâ putre cadaver humô!
Non moveor. nunquam adversæ dabo tergora sorti:
Jam Miles, didici FORTITER esse MISER.
Ite pedes! teneant cœptum vestigia passum!
PLUS Patiendo viæ, quàm Gradiendo, vorant.
Jam fugiunt nubes! sensímque cadentibus Austrîs,
Incipiunt mitî lentiùs imbre trahi.

Stant

Stant etiam cœlô, ſtupefacta tonitrua! Jámque
 Nulla ſerenatô fulmina ab axe ruunt.
Fallor? an &, croceô ridens Pallantias ortu,
 Eoô tenerum mittit ab ore, jubar?
An Sol ipſe? Sed, O, mea Lux! mea Sidera! Chriſtus
 Inſolitô ſe infert, clara per arva, gradu!
Agnoſco! lateri ille meo latus addit, & adſtat!
 Jámque meis figit baſia caſta genis;
Demulcétque animum. Jam totô immergor in Illo:
 HÆC ſunt, contemptis præmia deliciis!
Quin, idem hic, dulcis Pylades, comitatur euntem.
 HOC pretium eſt, comites non habuiſſe ſuos.
Hôc Sociô, nimbi, ſævǽque, redite, procellæ!
 Hôc, incuſſe truci grandine, turbo, redi!
Hôc, etiam Tenebræ, triſtíque informior Orcô,
 Umbra, veni! SOCIA LUCE, Serenus ero.

LIBRI ÆSTIVORUM. II.

FINIS.

ÆSTI-

ÆSTIVORUM
LIBER III.
ÆSTATIS ADULTÆ,
SIVE,
AUGUSTI MENSIS
OBLECTAMENTA, COMMODAQUE PROPONENS,

ELE-


DELICIÆ AVGVSTI
Kilian
F.

ELEGIA I.

PRO-PARÆNETICA.

Argumentum.

POETA, *scribendo sublassus*; *à* RUTHA *Moabitide, ad Seipsam*, DEIPARAM, *&* *Æstatis reliquum, celebranda, instigatur.*

Pieriô fractus, relevabam membra, labore:
Dicebam, posito carmine; Phœbe, vale!
Biblica seductâ volvebam gesta quiete,
Mallerii glyphicîs nunc animata typîs.
Ecce! Moabææ dum cunctor in icone RUTHÆ,
RUTHA meos Spirans constitit ante pedes.
Quoque priùs Bojos impleverat ore tapetas,
Hôc oculis fulsit nunc rediviva meis.
Vincta comas, & adusta genas, & barbara cultu:
In manibus, SPICÆ; terga premebat, ador.
Hæc mihi; Vah! (inquit) cessas, ÆSTIVE Poëta?
Cessas? ac, prensô jam propè fine, jaces?
At te præcipuè campus vocat Ultimus iste.
AUT NIHIL, aut plenum falx tua pectat agrum!
Cœpta tibi, producta tibi, nunc pendeat Æstas?
PERGAT! & emeritîs horrea tangat equis!
Quid tibi Sextilis peccârunt sidera cœli?
CANCER habet Librum: flamma LEONIS habet;
Cur nunc Zodiaci, taceatur, gloria VIRGO,
SPICEA quæ flavo segmina fasce gerit?
Quæ tibi si Virgo, non Res sed Fabula, fulget:
En! aliunde tibi Vera PUELLA venit!
VIRGO simul, Genitrixq; tamen, de sanguine nostro;
Hæc Augustæo non semel axe micat.

Illa

Illa tuas unquam transcurrat omissa Camœnas?
  Illa tuæ possit non thesis esse lyræ?
Num tu vel medium dures in carmina mensem,
  Quin tua jam decies scripta MARIA foret?
Est animis nocturna tuis, est cura diurna:
  Et nunc ex calamis effluat illa tuis?
Hoc ego tunc credam, cùm Tartara fiet Olympus,
  Cùm mare fiet humus, cùm pyra fiet aqua:
Cùm stellas æther, cùm flammea lumina Titan,
  Cùm pisces perdent æquora, ventus aves.
Tunc ego succiduum flaccescere MATRIS amorem;
  Tunc, rebor, veteres intepuisse faces.
QVARE, dic, quod amas! & inertes excute somnos!
  Scribe! subit portum, jam propè, cymba suum.
Jam tibi velivoli superest pars ultima Ponti!
  Jam tibi vicini littoris ora viret.
Perge, tuam (quoties locus est) cantare MARIAM!
  Illa fuit TELLUS FERTILIS, Illa Ceres.
Triptolemum dedit illa novum, Fructumque sub illo,
  Quô litat Ara recens, & jacet Ara vetus.
ME quoque, ne transi. Stimulavi prima poësin:
  Præmia fac stimuli quantulacunque feram.
Sed, magìs in Domina, modulisque frequentior, hære:
  Hæc, tua materies; hæc, stylus esto tuus! (vocato!
Hanc, Thesin! hanc, Folium, Philyrámque, Librúmque,
  Hæc tibi Cuncta; sed &, PURA PAPYRUS, erit:
In qua, Mille licèt descripseris OMNIA pennis;
  CHARTA tamen semper (scribito!) Virgo manet.

ELEGIA II.

MUSAM *suam Auctor ad* MESSEM *Animat*;

DEIPARAM, *in Levamen Operis, Advocat*.

SPica, die percocta, sonat: crepat area Sole;
Et flavæ pridem sidera messis eunt.
Falce recidendas culmus quatit æger aristas;
Ac, nisi truncetur, ferre recusat onus.
Hic labor, hic, etiam Nostram sibi quærit opellam.
PUBLICUS est fructus; publicus ergò labor!
Hinc tu, quæ segetum toties Cunabula cantas,
Ad segetum quidni Funera, MUSA, voles?
Si bene te novi; faceres, ac, Musa, volares:
Nec te pennatæ frangeret artis iter.
Sed trepidas; stipulámque caves incurrere plantîs.
Sectilis aut calami pungere fronte pedem.
Indue (quid refert?) truncô vestigia culmô:
Indue (quid lædet?) molle, cruore, genu.
Puncta licèt timeas, & acutæ cuspidis hastas:
Digna quidem, sed non intoleranda, times.
Molliet ista, Dies; & Res (non rebus agenda,
Sed solis rerum perficienda typis.)
AUGUSTUS, mihi Campus erit; mea jugera, Charta:
Sulcus, erunt Versus; Area plana, Liber.
Sepia, sit Sudor; Falx fiat ahenea Penna!
Curva-genû mecum rus Elegia metat!
Quid deërit, nisi sola Manus? Tu, Virgo, Paréns que;
Auxiliatricem porrige (quæso) Manum!
DA mihi TE! Dederis validas in pondera vires!
Da Dextram! dextrè strenua Musa metet.
Quòd si fortè mihi (Quid enim tam grande mererer?)
Seu Te, seu digitos, auxiliumve, neges:
AT Tu siquod habes (quia frons mihi diffluit æstu)
Vel SUDARIOLUM porrige, Diva, tuum:
Quod tibi nec Pallas nec aranea nevit Arachne;
(Intret in Historicam Fabula nulla fidem)
Emaculare meam Marianâ sindone frontem,
Tersior & facies, & (puto) Versus, erit.

ELEGIA III.

Hiſtorica.

DEIPARÆ SUDARIUM, MESSORUM SOLATIUM.

Argumentum.

Occupati meſſoriis laboribus (& hoc quidem, calidiſſimo meridie) Monachi CLARÆ-VALLENSES, *DIVI* BERNARDI *diſcipuli; uſque adeò cœleſtes non fefellerunt Oculos: ut miſericordiſſima gravaminum Humanorum inſpectrix,* VIRGO *Deipara, deorſum (comitibus Sanctis,*ELISABETHA, *Baptiſtæ Matre, &* MAGDALENA *Pœnitente,) deſcenſu ſuſcepto; Calore diffluentes* MESSORES, *ſtrophiolis prodigioſis abſtergi juſſerit. Spectaculi tam inuſitati teſtis oculatus, fuit* REJNALDUS *quidam; qui Otioſus ad ſarcinulas ſedere maluit; quàm labore cœleſte* SUDARIUM *emereri.*

Vide Ioannem Majorem in Speculo. Tit. MARIA: ex libro de Viris Illuſtribus Ordinis Ciſtercienſis.

Æſtatis

Æ Statis decumanus erat jam fervor adultæ;
Stridebat querulis usta cicada choris.
CLARA, serenatô tunc clarior æthere, VALLIS
Miserat Inclusos, in vaga rura, Viros.
Ex Umbris aprica suîs in Gargara tendunt;
Distinet ascétas, curvus in arva, labor.
Flava reductilibus decollant tritica sicîs;
Et doctâ peragunt munus agreste manu.
Hanc Sophiam tunc, BERNARDO didicêre magistrô;
Hæc, post mille Libros, Sectio sola placet.
Falce legunt campum, dum mens pia perlegit Orbem,
In Versum-stantes, carmina sacra canunt.
Falx sternebat agros; & guttur hiabat in hymnos:
Quos, ubi non implent cantica, supplet Amor.
Jámque, ligata siti, quasi glutine, lingva quiêrat;
Nec tamen affectus, nec requiescit opus.
Fervet opus; fervente licèt truculenter Olympô,
Ac velut Ætnæas injaculante faces.
Frigida nec jaculîs obstat solaribus aura:
(Hippotades rigidâ clauserat arce Notos.)
Nec pétasi prosunt, vel stramine plexa theristra:
(Tantula, sub tanto Sole, quid umbra juvet?)
ERGO fluunt Salsîs liquidi torrentibus artus;
Pérque genas sudor dat vada, pérque genu.
JAMQUE ferè regione Poli Sol stabat in illa,
Parvula quâ pumilo pôrrgitur umbra statu.
REINALDUS, Fratrum consors, exsórsque laborum,
Messorum propriô devius ibat agrô.
Hîc, vacuo residens in cespite, flabra ciebat:
SED, renuunt omnem flabra citata Notum.
Hîc calidis platanum votis optabat opacam:
Dant platanî nullas arida vota comas.
Sidera sola levant hominem, quæ sola gravabant:
Affluit hinc superô nobilis aura gelû.
Quippe, per adversi Ceraunia confraga montis,
Descendit placidô Regia Virgo pede:
VIRGO, rosas vultu spirans, & cinnamon ore;
Cœruleo varians candida pepla sinu.

Ad latus hoc, Pródromi genitrix, comes ibat, ELISA;
MAGDALA deductrix, ad latus illud, erat.
VIRGO Parens, cœtus operosæ nacta catervæ,
Constitit, ac Fratrum gnava notavit opus;
Prómite cœlestes Umbraculà (dixit) amicæ!
Promite, nostrati carbasa texta manu!
Qui coquit intentos, Calor hinc dirimatur, & illinc!
In tenues rores sudor & æstus eant!
DIXERAT hæc breviter: breviùs mandata facessunt
Mitis Elisa suum, Magdala blanda suum.
Carbasa depromunt, gracili tenuissima linô;
Qualia vix nebulæ lana, nivísve, daret.
Utraque (nam geminam retegebant sindona) sindon,
Pollicis ætherii texta nitebat acu.
Utraque, multiplici thematum variata figurâ,
Monstrabat, superi se Phrygionis opus.
Congrua temporibus, Messorum congrua curis,
Implebat folium staminis, historiis.
Hîc pius Abramides, Geraræi consitor agri,
Ac centumgeminâ, consita, falce metens.
Hîc Puer, &, cinctus duodeno mergite, merges;
Josephíque, malis Fratribus æquus, Amor.
Hîc bis septemplex Pharii stat spica tyranni;
Largáque, Pyramidum turre repôsta, Ceres.
Hîc Gedeon, frumenta terens: Hîc, monte volutus,
Qui Madianæas, Panis, adédit opes.
Nec tacuit subtilis acûs pictura Boozum;
Nec Rutham siluit, spicilegámque manum.
Non Judithiaden tacuit pia trama maritum,
Cuj Sol, messor, ager, cura, fuére neci.
Torrida Sunamii nec omisit rura Puelli,
Cujus erat gemitus, voxque; DOLERE CAPUT!
Tum, Dominum MESSIS, Messíam, principe filo,
Et Cœli cumeras, pinxit acuta manus.
Denique, maturi Miracula Biblica culmi,
Neverat ars: propriis singula quæque libris.
Clauserat extremum (quæ singula claudit) opus Mors;
Ossea, falcatis & metuenda minis.

TALI-

TALIBUS inlusam Matronæ sindona gestis,
Insinuant oculis, insinuántque genis:
Messorúmque fluens calor hinc, & tergitur illinc:
In Zephyri rorem sudor, & Æstus abit.
VIDIT: & obstupuit, vacuo Rejnaldus in ervo;
Gramineúmque premens deside sede torum,
Sic secum; Nimis, ô, felicia fata meorum,
Dum non-abruptâ sedulitate metunt!
EN (ait) & Superos Horum contingit arista!
Summáque jam Cœli culmina culmus adit!
Spica ferit Fraterna pedes, curásque, Tonantis;
Et magnæ plantas Virginis illa ferit:
Dum Labor hic adeò placet Hujc, placet arduus Illi;
Dum cordi tribus est, curáque, Cœlicolis.
At, Me, Gramineus tenet hic dum cespes; IN HERBA
Hæret adhuc MESSIS, promeritúmque meum!

FRUMENTUM MATURUM.

Mitte FALCEM tuam, & METE! quia venit Hora, ut metatur: Quoniam ARVIT Messis terræ.

Apocalyps. cap. XIV. Vers. XV.

ELEGIA IV.

I.

Maturescentium FRUGUM *amœnus* ASPECTUS.

EN procùl, alternô lunatos ordine colles!
Quàm, bene percoctà fertilitate, micant?
En propius, planô spatiantes æquore Campos!
MATURÆ Segetis quà gravitate vibrant?
Nunc tumidus, nunc æquus ager, nunc avia vallis,
Totáque sectilibus FRUGIBUS ALBET humus.
Hîc fuscis se jactat Ador (daps publica) granis:
Hîc & inaurato Tritica folle nitent.
At, glebæ melioris agrô, crepat Alba Siligo:
Flava strepunt hirtis Hordea densa comis.
Denique, jugeribus frondescit Avena remotis:
Sed Viret, & lenti tempore Solis eget.
Omnia digna quidem cœli, frumenta, favore;
Omnia pro bipedum, quadrupedúmque bono!

II.

SILIGINIS (*quam* ζεὰν *Græci vocant*) *laudes & commoda; præsertim, si SS. Eucharistiæ materiam præbeat.*

SED tu præ reliquis, frugum flos, alba Siligo,
Insula quam non fert omnis, & omnis ager;
Norica quam nolunt, Alemannica jugera nôrunt,
Zêelandæa ferunt, & Syra rura metunt:
O, seu voce Zeæ potiùs, Farrísque, triumphas;
Ac, nimiùm dici vile, Siligo, putas:
Graijugenûm salve nobis zea! (fárque Latinum!
Principe cujus ovat vera FARINA dape,)

Mollior

Mollior æſtivîs nebulis, ſubtilior Eurîs,
Candidior nivibus, ſuccidiórque ſale!
Melle novô melior, cannâ prædulcior Indâ,
Verior ambroſiâ, Perſide pulte prior!
Ex te cocta Ceres, lupulorum mollit acorem;
Ex te piſta Ceres, pellit ab ore famem.
Tu, Panum ſis omne genus! tu buccea lauta:
Tu contortilibus ſpira ſalita plicîs.
Tu láganum, teneríſque gulis placitura placenta:
Et ſcriblita ſoles, & globus eſſe potes. (que,
PARVA loquor; majora loquar. Poſt gramata quin-
Qui modò PANIS eras, jam potes eſſe DEUS!

III.

Ruſticos monet; ut Metant, meſſoribus accitis.

Cur igitur, cur, tarde, manum? cur tempora differs?
Tempora ſe tibi dant; adde, colone, manus!
I, mete, carpe, ſeca! tibi ſi non ſúfficis Unus,
Huc domus in partem tota laboris eat!
Accedat domui, ſociîs vicinia dêxtris!
Nec tibi deſpectæ ſit Peregrinus opis.
Et Peregrina poteſt agili prodeſſe lacertô;
Párque, ſuîs Mulier viribus, eſſe Viro.
Jámque Moabæis ſeſe de montibus infert,
Hoſpita Phœniſsîs, & vaga RUTHA, plagîs.
Inſvetóque ſibi, ſtupet, efflaveſcere Sole,
Jordanis quidquid lympha, Cedrónque, rigant.
HÆC tra-montanam pervadere geſtit Idumen,
Sive Metente manu, ſive Legente, ſinas.
Denique, Falx etiam, madidâ modò cote polita,
Tritáque pultantis verbere malleoli;
Nunc (ne multifido fruſtra ſerrata ſit arcu)
Frugis in eximiæ DENTIT & ipſa ſolum.

ELEGIA V.

Historica.

RUTHA MOABITIS.



LECTORI.

RUTHÆ *Libellum Biblicum*, *ceu* ÆSTIVI *potissimùm argumenti thematísque; paraphrasî, cæteris hucusq; (quod equidem sciam) intactâ, pæne* TOTUM *universim, ac per singula particulatim, exsequi placuit, Elegiis hujus Libri Quintâ, & Decimâ nonâ. Eum, canonicæ licèt divinæq; auctoritatis; tuâ veniâ, Lector, liceat poëticis ornâsse figmen-*

gmentorum parergis, salvô veritatis Historicæ nucleô. Affectuum quoque Colloquiorúmq; excursibus indulsisse, te non invitô, prosit; adolescentiorum præsertim bonô: quibus omnis reliqua Bibliorum Scriptura, exempli similis æmulatione, patebit ad paraphrasticam, versu prosáque, diductionem. Nos *jam Narrationem aggrediamur; quã, longiore Pedestris Orationis exspatiantem Exegési:ne Capite careret, Exordiô visum est inchoare.*

Argumentum.

Libri Ruth *Caput. I.*

... à Versu 1.

In diebus Vnius Iudicis, quando Iudices præerant; facta est Fames in Terra. Abiítque Homo, de Bethlehem Iuda; ut peregrinaretur in regione Moabitide, cum Vxore sua, ac duobus liberis. Ipse, vocabatur Elimelech; & uxor ejus Noemi: & duo filii, alter Mahalon, & alter Chelion, Ephrathaei, de Bethlehem Iuda. Ingressique regionem Moabitidem, morabantur ibi. Et mortuus est Elimelech, maritus Noemi: remansítque ipsa cum Filiis. Qui acceperunt uxores Moabitidas; quarum Vna vocabatur Orpha, alteráque Ruth. Manserúntque ibi decem an-

nîs: & ambo mortui sunt, Mahalon videlicet, & CHELION: remansítque Mulier, orbata duobus liberis, ac, marito.

PARVA quidem foliis, sed cœlite Grandia sensu,
Gesta cano SOCRûs, & cano gesta NURûs.
VOS, quarum memoratur opus, dictate canenti;
Quod dictare mihi nulla Camœna potest.
Ordior. ARCTA Fames, omni violentior ense,
Squallida Bethlemiæ presserat arva plagæ.
Exsilium miseris dirissima suasit egestas;
Et, quod persuasit, trusit in exilium.
Cum consorte thori, pueros ductante Gemellos,
Migrat Ephrathæîs Ellimelechus agrîs.
Trans vada Jordanis. vada trans Arnonis, & ultrà,
Culta Moabæo vomere rura, petit.
Quæ petiit, reperit. Sedet advena; barbaricóque,
Quà licet, & cœlo vescitur, atque cibô.
Mitiùs hunc habuit, patriô lare, barbara tellus:
Hospitiúmque Seni, subsidiúmque ferens.
Jámque satur Pater, in gnatis vivebat adultis:
Viventi, dixit funebris hora diem.
SIC, óbitô per fata die, fax lugubris illi;
At gnatis, thalami fax Hymenæa micat.
Interdicta sacris ineunt connubia Dirîs:
Hisque placent neptes, fœde Moabe, tuæ.
Orpha Chelæoni; Mahaloni RUTHA, jugatur:
(Hoc nomen Nuptis, hoc & utrimque Viris.)
Nec genitrix inhibere potest (jam Sola) Noëmma:
QVOS Lex non terret, quomodo frænet Anus?
JAMQVE decem solidos sterilis thorus egerat annos;
Cùm nec RUTHA suo, nec parit Orpha, viro.
Pignoris expertem, rapit hunc; rapit, Atropos, illum.
TRES flentes Viduæ, jam domus omnis erant.

RUTH

RUTH *Cap. I. à Versu. 6.*

ET surrexit (NOEMI) ut in patriam pergeret, cum utraque nuru suâ, de regione Moabitide. Audierat enim, quòd respexisset Dominus Populum suum; & dedisset eis escas. Egressa est itaque de loco peregrinationis suæ, cum utraque nuru. Et jam in via revertendi posita in terram Iuda, dixit ad eas; ITE in domum matris vestræ! Faciat vobiscum Dominus misericordiam; sicut fecistis cum MORTUIS, & MECUM. Det vobis invenire requiem, in domibus Virorum, quos Sorituræ estis!

Nuntiat interea, flexîs in mitius astris;
  Decessisse trucem, fama secunda, famem:
Jámque Palæstinos revalescere frugibus agros;
  Jam, non-externi crustula panis edi.
AD patrios igitur fundos remeare, Noëmmæ;
  AD patrias Aras, jussáque Sacra, lubet.
Convasat, quæ ferre potest; ac cætera conflat:
  Et; Vale! ô, longùm, terra profana, vale!
Terra mihi petitur, quam sanctior hostia tingit;
  Hôc propior cœlo, quò meliore Deô:
Quam non thus magicum, non impiat ara Chamosi;
  Casta sed ætheriîs expiat Arca Sacrîs.
SIC ait; ac migrat. lateri migrantis inhærent,
  (Dulcis amore Socrûs) hinc nurus, indè nurus:
Sarcinulæque levant, nunc hæc, nunc illa, labore;
  Inque vicem, lacrymis alloquiisque, vacant.
Ast Hebræa, nihil lacrymis, nil mota querelîs,
  Suffultum baculô fortiter urget iter.
Instimulabat enim, patrii Solísque, Solíque
  (Quis putet, & vetulô sub pede?) Vivus amor.

Intus erat votum. Trojanis priſcius annîs;
FUMUM de patrio cernere poſſe focô.
Iámque, Moabææ digreſſæ vallis ab Alpe,
Arnonis ſteterant ad reboantis aquas.
Pons rudis, incumbebat aquis. Hîc; State, puellæ!
Hîc veſtræ, comites, terminus eſto viæ!
(Inquit anus) Mihi ſarcinulam, mihi pôrrgite dextras;
Dividimur! diſcors poſtmodo reſtat iter.
Nunc mea me prorſum, vos vult via veſtra retrorſum.
Ire, ſocrum cogit cauſſa; Redire, nurus.
Me Vetulam, vocat Occidui provincia Solis;
Vos teneras, Oriens lúxque, locúſque, ciemt.
Ite bonæ, rectore bonô, ductore Tonante!
Sub Matris redeat culmina quæque ſuæ!
Quæ juvenes fovit, foveat tantiſper adultas;
Unáque ſit viduis, virginibuſque, domus.
Illic ſveta manum, ceu quondam, tela fatiget:
Illic, quâ quondam, dote parate Viros.
DOS Sponſis, labor, atque pudor, probitáſq; fuerunt.;
Stet probitas eadem; ſtet pudor, atque labor.
Interea, qui res hominum, qui temperat aſtra,
Temperet & veſtri fata futura thori.
Ille Deus, Deus Ille, fabrâ non Sculptilis arte,
Confundat Verâ Numina ficta fide!
Ille, Chemoſæîs melior majorque coloſsîs,
Defluat in veſtros divite Sorte ſinus!
Quáque meos olim Natos, inopéſque vagóſque,
Quâ pietate Socrum detinuiſtis anum;
Pro ME (namq; VICEM nequeunt jam reddere buſta)
Hâc eâdem Superûm, vos ope, dextra levet!
Quémq; Meis thalamũ, requiémque larémque, dediſtis;
Hunc veſtri vobis dent aliquando Viri.
Namque Viros aliquando novos feret Heſperus alter;
Corrigat ut Primas teda Secunda faces.
JAMQUE ſat eſt Socruique datum, ſociæque ſequelæ.
Pontis ad extremum vénimus. ITE domum!
Quod ſupereſt; memores eſtote, Deíque, Socrúſque.
Sic mihi, RUTHA, vale! nec minùs, Orpha, vale!

RUTH

RUTH *Capite I. à Versu 9.*

ET Osculata est eas. Quæ, ELEVATA voce, Flere cœperunt, & dicere; Tecum pergemus, ad Populum tuum! Quibus illa respondit; Revertimini, Filiæ meæ! Cur venitis mecum? Num ultrà habebo Filios, in utero meo? ut Viros ex me sperare possitis? Revertimini, Filiæ meæ! & Abite! Iam enim senectute confecta sum; nec apta vinculo conjugali. Etiamsi possem hac nocte concipere; & párere filios: Si eos exspectare velitis, donec crescant, & annos pubertatis impleant, antè eritis Vetulæ, quàm Nubatis. Nolite, quæso, Filiæ meæ! quia Vestra angustia magìs me premit; & Egressa est manus DOMINI contra me.

DIXIT. & amplexus adjecit, & oscula, dictis;
  Oscula, cognatis non aliena genis.
Pressiùs, hôc titulô, nectebant oribus ora;
  Quòd fortassis idem non, iterare, datur.
Flet simul, affectu lacrymas trudente, Noëmma;
  Flent simul, affectu corda liquante, Nurus.
Parciùs Illa tamen plorabat; & altiùs Istæ:
  Ex oculis, ibat rivus; ab ore, sonus:
Nec minor Arnonìs, rivus, se fonte movebat;
  Et sonus, Arnonìs clarior ibat aquîs.
SCILICET, immensum biberant Abeuntis amorem.
  Plúsque, Manente placet, non-reditura, Socrus.
Nec nuribus nunc est, Socrus; aut Annosa, puellis;
  Esse videbatur Mater, Amica, Soror.
UTQVE ferè majore nitet decor omnis honore,
  Dum petit occubitum, luminibúsque migrat;
Sic, dilecta priùs, nunc est dilectior Orphæ:
  Et, SOL Occiduus fit tibi, RUTHA, Socrus.

Ut Sol Occiduus, cùm jam freta tangit Ibera,
Fulguris auratô ſvaviùs orbe rubet:
Talis erat tibi, RUTHA, petens ſua regna, Noëmma;
Hæc tibi tunc Radius, Sol fuit, atque Dies.
Multa puellarem pungebant vulnera ſenſum;
Plus tamen, Hebræi NUMINIS altus amor:
Verbáque preſſa (Deos modò deteſtata) Noëmmæ;
Atque Moabæis Socrus iniqua Sacris:
OSCULA præterea, madidis impacta labellis;
Ac Summæ voces (MIGRO, VALETE, NURUS!)
Hæc, & quidquid Anum dignam faciebat amore,
Ruthææ totidem ſpicula mentis erant.
ERGO, cavas dudum feriens plangoribus auras,
Cum Socia junctis queſtibus, aſtra ciet:
Et vocem, modò ſingultu, lachrymíſque repreſſam,
Unanimi ſolvunt utraque Nympha prece;
O, (clamant) ô, chara nimis! certéque parente,
Quam natura dedit, dulcior ipſa Parens!
Hoc tantum ſpectare ſcelus, pius audeat æther?
Hic noſtro poſſit corde ſedere dolor?
Ut, ſinè te, repetente tuos, ſit denique nobis
Carpere fas vitam, carpere fáſque viam?
Ergò, carere ſuâ triſtis queat Orpha Noëmmâ?
Aut oculis poſſit RUTHA carere ſuis?
Tu nobis Oculus, tu Lux, tu prævia Lampas.
NOS, Oculos, Lucem, Lampada, non ſequimur?
AD Matres nos ire, jubes? Tu Mater es Una!
Nos Natæ. Natas (adſumus, ecce,) trahe!
Quin, Tractu nihil eſt, nihil eſt opus illice motu;
En, ultrò ſequimur téque, tuámque tribum!
Sic, quibus antè, Solum fuerat natale Moabis;
Funeris, ac vitæ, fiat Ephratha Solum!
TALIBUS orabant. Non talibus orſa Noëmma;
O, ait, ô Natæ (ſi placet eſſe) meæ!
Quod vocor, hoc ipſum me, MATRIS, amabile nomen,
Non ſinit in NATAS noxia ſuaſa dare.
Noxia quid ſéqueris, ſeu tu, mea Filia? ſeu tu?
Dum tra-montani ſideris arva petis?

Noxia cur petitis, vel tu, mea RUTHA? vel, Orpha?
  Dum petitis, qui vos arcet amore, torum?
EXTERA cuncta nurus, thalamis prohibetur Hebræis;
  Hæc lex, in patrio strictiùs orbe ligat.
Ite, redite, meæ, (svavissima pignora) Natæ!
  Externô quoniam progenitore satæ.
Quòd si fortè mei (quia ME tam stringitis arctùm)
  Quæritis ex uteri posteritate Viros;
Fratribus extinctîs. si fortè vicaria vultis
  Corpora. quæ stirpem, lege jubente, novent:
Irrita (Quid porrò, rogo, pergitis?) Irrita res est!
  Et spes hæc sterili creditur omnis agro.
Fœcundi fugêre dies! emarcuit ætas!
  Non facit ad partus ista Senecta novos.
Ite meæ! (Quoties testor? neque credor?) Abite!
  Extincti floris nubere vultis Anum?
Effœtáne dabo fœtum matrice? novúmque
  Sive Chelæonem? seu Mahalona novum?
Hæc olim! nunc cana dies, dat funeris horam:
  Hæc mihi non dicit, Nube! sed, I, Morere!
Fingamus tamen: &, Senium reparante Juventâ,
  Fiam de Vidua Virgo; procérque Senex.
Poscar adhuc hodie, desponser, flammea sumam,
  Et primo fiam vespere fœta Parens;
Símque Parens prolis, thalamos in utrosque, gemellæ:
  Vírque tibi natus, Rutha; sit, Orpha, tibi.
Quid longæ, quid, quæso, spei tunc fiet, & annis?
  Quid tam morosæ, per tria lustra, moræ?
In vestros utrimque thoros dum crescat uterque;
  Dum, nucibus positîs, jura marita gerant:
Siqua fides capitísque nivi, Curísque Noëmmæ;
  Ecce! priùs Vetulas vos dabit alba coma:
Rugosísque genîs, oculísque fluentibus, ambæ
  Ibitis in thalamos, ibitis ínque rogos.
DIXI: prædixi. Quid adhuc tamen, ô mea corda,
  Quid cōmitatis adhuc? stant lacrymísque genæ?
Sola meos, Natæ, repetam. dimittite Solam.
  Quamvis INFELIX, at mihi Sola, ferar.

Sin Miseris mecum geminis, hinc cingar & illinc;
Ibo TER-INFELIX, nec tribus æqua malis.
Nam, Proprium fortassis onus tolerabo valenter;
Sed me pauperies (credite!) Vestra, gravat:
Et, Magis illa gravat. Quam, si perfringere vellem;
Non sinet, in meritam quæ furit, Ira DEI.
QVARE, quod toties iteratis hortor epódis:
Lugubre sit vobis carmen; ABITE! MIGRO.

RUTH *Capite primo, à Vers. 14.*

ELEVATA igitur voce, RURSUM flere cœperunt. ORPHA, osculata est Socrum, ac reversa est: RUTH adhæsit Socrui suæ. Cuj dixit Noëmi; En, Reversa est Cognata tua, ad populum suum, & AD DEOS SUOS! Vade cum ea. Quæ respondit; Ne adverseris mihi, ut relinquam te, & abeam. quocunque enim perrexeris, pergam: Et, ubi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus, populus meus; & DEUS tuus, DEUS Meus! Quæ Te terra morientem susceperit, in ea moriar: Ibíque locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat DEUS, & hæc addat! si non sola Mors Me & Te separaverit!

HÆC effata, tacens, sensímque, Noëmma recessit;
NEC tacuêre tamen, nec rediêre Duæ:
SED (veluti captis Petrææ mœnibus urbis)
Sustulit Hæc vocem, sustulit Illa, suam.
Nec vox, sed clamor, Libycis barritibus æquus,
Attonuit sylvas, attonuítque Socrum.
Verba sequi jam nulla queunt; quia nulla juvabant:
Seu potiùs, Quoniam visa juvare nihil.
Infelix igitur, quater, & quater amplius, Orpha,
Tandem; Vade, vale, ô, vale! mater, (ait)

Oscula

Oſcula ſubjecit verbis; & (Stulta!) REDIVIT.
Debuit, ah! cœptæ firmior eſſe viæ!
Propoſitique tenax, Numen, non, quærere Socrum;
NEC, meliore Locô velle, ſed, eſſe Deô.
Experiunda fuit rigidis conſtantia verbis.
QVEM gerat hæc animum, quam Tria verba fugant?
Experiunda fuit repetitis ictibus arbor:
TERTIA quam ſternunt flabra, quid Arbor erit?
ERGÒ labans, ABIIT, repetens nemus Orpha Moabi;
Et patrii recolens impia templa Dei.
Vadat! eat! repetat! Spretô ſemel æthere, trames,
Qualî cunque viâ, devius omnis erit.
JAM ſatis eſt, abiiſſe Retrò, liquiſſe Noëmmam:
Poſt hoc, Interitûs undique porta patet.
Hinc, neque Reſpiciens, neque Reſpectata, pererrat
Antè pererratos (heu, Peritura!) Deos.
AGNA Moabæis palans in Vallibus; olim,
In Joſphatæis vallibus HOEDUS erit!
AT non tam væcors ſedit ſententia RUTHÆ;
Non idem Patriæ, perniciosus, amor.
MANSIT enim: prenſamque manu, comitata Patronā
Urgebat calidis paſſibus uſquè viam.
Nec, prensâſſe manum, ſatis eſt. A veſte pependit;
Certa (manu quamvis, vocéque pulſa) SEQUI.
Obſtupuit: tacitéque manum venerata Tonantis,
Quæ tam perſpicuô duceret ungue Nurum;
En tibi (Socrus ait nurui) via regia, Nata!
Ecce, reverſuro ſemita blanda pedi!
En, etiam comes, ad reditum! (ne Sola paveſcas!)
En fax, exemplum, dux, monitrixque viæ!
Ad Conſanguineos abit Orpha reverſa penates:
Ad gentilitios, quos amat Orpha, Deos.
Tu non cognatæ ſequeris veſtigia plantæ?
Sola tibi Sapiens? transfuga ſola patris?
Quin, agè, vade, vola! facilis præeuntia terga
(I modò!) comprendes. NIL mora parva nocet.
HUIC Nurus, ut ferrum magneti, polypus antro,
Impluviis hederæ, glutinibuſque trabes;

Sic

c hærens Socrui; NE me, ne, quæso, repulsam
Jam toties, (inquit) fulmine pelle novô!
Mater Es: & mea Mater Eris: Matrémne relinquam?
Pendulus est ex te spiritus iste meus.
piritus à Vitæ posśitne recedere nexu?
NE, rogo, ne tantum coge subire nefas!
æterа pro libitu, pro Matris præcipe jure:
Hîc tantùm, pugnent ne tua verba meis!
oc mihi præcepi dudum, fixúmque ligavi;
Pergere, quò perges: queîs eris, esse locîs.
uod facies, faciam; Quod omiseris, illud omittam:
Quod cupies, cupiam; Quódque loquére, loquar.
uas capies sedes, capiam; quibus ibis, abibo:
Gens tua, gens mea sit! mos tuus, esto meus!
umen & ipsa colam, quod tu reverebere Numen:
Cui tu thura dabis, non minùs ipsa dabo.
mbarum communis erit focus, Aráque, prunis:
Mens concors ambas, Mensáque, semper alet.
ENIQUE, dum vives, tecum, tua portio, vivam;
Incipiam tecum, si moriáre, mori.
t tumuli jungemur humô, jungemur honore;
AC tua, nexa meis ossibus, ossa teram.
rrita si jacto, si prudens fallo, sciénsque;
Non juro veteres (quos modò Damno) Deos:
URO Tuum (qui solus obit Divina) Tonantem!
Ille meum trifido fulminet igne caput!
lle mihi Soléśque nigros, & sidera, semper,
Offensóque nigros mittat ab axe dies!
lle, VICEM viduæ miseram, graviore rotatam
Turbine, præcipitî raptet ad imma trochô!
Decrevi! decreta, DEO jurata, ligavi:
Hæc, clavus plusquam, fixa, trabalis habet.
Ultima sola dies, divellet funere raptas;
(Et neque sic Totas) me tibi, téque mihi!

RUTH

RUTH *Capite primo, à Versu 18.*

Videns ergò Noëmi, quòd, OBSTINATO animô, Ruth decrevisset secum pergere; adversari noluit; nec ad suos ultrà Reditum persuadere. Profectæque sunt simul.

FINIERAT. Spectata satis constantia dictis;
Nunc & Rebus agi vult via (Socrus ait)
Ire, tibi firmum, video, fixúmque locâsti:
I, modo! Juratam te prohibere, vetor.
Jam, Reditum dictare tibi, veterémque Moabum,
Nec mea Relligio, nec tua Pacta, sinunt.
SIC fatæ, dextrísque datis utrimque, profectæ,
Producunt placidam, plana per arva, viam.
Et nunc, sermonum svavi vice, tempora fallunt:
Nunc, Sene concipiunt anteeunte, preces.
Nunc Legem, Quinósque libros, ritúmque Sacrorum,
Ac reliquum Mosen docta Noëmma docet.
Attigerant Jordanis aquas, jam vespere pronô:
Hic veteres Fastos, historiémque, refert;
Ut vada transierint alacres impervia Patres;
Ut refugô steterint summa fluenta gradu.
Bissenas etiam, monimenta perennia, cautes,
Per totidem fixas, narrat adesse, Tribus.
Undisonóque loqui strepitu, MIRACULA, fluctus;
Quæque potest, digitô Saxa, Tribúsque, notat;
Omnia ac posset. Nox, jam vicina, vetabat;
Quæque, superfusô gurgite, lympha tumet.
Postera lux, Jerichunta dabat, tunc nomine nudô;
At quondam validam turrigerísque minîs.
Hîc nurui; Viden' has (inquit,) mea nata, ruinas?
Evasit tantum sola Rahaba malum.
Extera (ceu tu nunc) & DIs addicta, Rahába;
Sed Patris (ceu tu) postmodo juncta Sacris.
Transfugium, dedit huic vitámque, virúmque, genúsque;
Et Tibi continget vita, vir, atque genus.

JAM

JAM quoque Palmiferæ digressæ finibus oræ,
Mœnia radebant, prisce Jebuse, tua:
Mœnia sed tantùm radentes, longiùs ibant;
INTROITUM tempus denegat (inquit anus)
Pergamus, pergamus ad hanc, quam læva dat, urbem;
En, Ephrathæi jam procùl arva soli!
Arva, viden', tumidis ùt jamjam MESSIBUS alba?
HORDEA, ni fallor, campus ADULTA gerit.
Dixit; &, ex vero. Tunc HORDEA Prima metebant;
Omnis & assiduâ falce cadebat ager.

RUTH *Capite primo à Versu 19.*

ET venerunt in BETHLEHEM. Quibus urbem ingressis, velox apud cunctos FAMA percrebuit: Dicebántq; mulieres; HÆC EST ILLA NOEMI! Quibus ait; Ne vocetis me NOEMI, id est, PULCRAM! sed vocate me, MARA, hoc est, AMARAM: quia Amaritudine valde replevit me Omnipotens. Egressa sum Plena; & Vacuam reduxit me DOMINUS. Cur ergò vocatis me NOEMI; quam Dominus HUMILIAVIT, & AFFLIXIT Omnipotens? Venit ergò NOEMI, cum RUTH Moabitide, Nuru suâ, de terra peregrinationis suæ: ac reversa est in BETHLEHEM, quando PRIMÙM HORDEA METEBANTUR.

UT veterem vidítque casam, fumúmque, Noëmma;
Sideribus Gratam tendit utramque manum;
BETHLEMIÆ (clamat) turrésque, Domúsque! Minutæ
Quantumvis, Salvæ sed tamen este mihi!
Túque, coæva meis, casa dilectissima, cunis,
Cum fumo, Salve! quem Meus ignis alit.

HÆC

HÆC inter, comitante nuru, socrus intrat Ephratham;
Intrantes, dudum nuntia FAMA præit.
Fama volat; plateæque sonant rumore secundô:
Conveniunt, siquis mansit in urbe, Viri.
Sèd numero majore coit, LEVE Femina vulgus:
Hæc stupet; hæc loquitur: pars rogat; illa docet.
Nulla Nurum nôrat (quam barbara mitra tegebat)
Cuj tamen in vultu civica forma fuit.
At Socrum, licèt annosam, seróque reversam,
(Scilicet, exilii post propè lustra tria;)
Frontis adhuc habitu, formaque priore nitentem,
Indice designant voce; NOEMMA REDIT!
HÆC EST ILLA decens, hæc illa venusta NOEMMA!
Sic Hæ. Sic illis rettulit exsul Anus;
NE ME, ne, cives, pro more, vocate NOEMMAM!
Non Sum, quæ Fueram, PULCRA, decora, placens.
Si tamen hoc Fuimus quondàm, desvevimus Esse.
Dicite, pro Pulcra, próque placente, MARAM!
Dicite, pro falso, quod verè dicor, AMARAM.
Forma, Vale! titulum sors petit ista novum!
Hej mihi! quos potero titulos inscribere fronti;
Qui, par tot lacrymis, nomen, onúsque, gerant?
Summa meæ sortis (cuj nullum sufficit Album)
Sit, MARA! Quid memorem cætera? fletus obest.
Ille POTENS, qui blanda potest mutare severis,
Qui frontes hilares tristibus umbrat aquîs:
Ille, meis noctes induxit Solibus atras:
(Sic merui, fateor) Nox rapit ista Decus.
Ille, meæ rapuit, tria corpora dulcia, vitæ.
Felleus indè meum pectus amaror edit.
Exivi, comitata tribus; vix bina revertor:
Exivi Mater; sum sine prole redux.
Fœtu plena thori, thalami cum compare, cessi:
Jam, Fœtu redeo; jam, viduata, Viro.
Addite; quòd supero videor malè grata Monarchæ;
Utpote, quam Tantô presserit ille Pede:
Eversamque bonis, ac luctibus undique cinctam,
Mœrorum toto merserit Oceano.

Cur:

Cur igitur vestro, Sociæ, feror ore, NOEMMA?
Felle referta mali, dicar, AMARA-MARA!
Quin etiam, pro voce Maræ, Mare dicar Amarum!
Atque Salis plenum nominer æquor aquîs!
Hunc Salis horrorem, vix corriget, è CISTERNA
Quæ mihi Bethlemiâ Dulcior Unda fluit.

MESSIS MATUTINA.

MESSIS quidem Multa: Operarii autem Pauci.

Matthæi 10. Versu 37.

ELEGIA VI.

MESSORES, AD OPUS DILUCULO EXEUNTES, DESCRIPTI.

Hujc Periphrasi, non invitâ Lectoris Φιλέλληνος *gratiâ, præludat Eusthatii, scriptoris cæteroquin dis[illegible], castius tamen hîc Stylus: qui* ἐρωτικῶν βιβλίῳ, δ΄, *paragrapho V. sic habet.*

Γηπόνος ὁ μετ᾽ αὐτὸν, περὶ μέσους κεκυφὼς, τοὺς

τὰς ἀστάχυας, δρέπανον ἔχει τῇ δεξιᾷ, τῇ δὲ λαιᾷ συλλέγει τὰ δράγματα. ἀπέχει τὸν καρπὸν τῶν πόνων, θερίζει τὰς ἀμοιβὰς τῶν καμάτων, καὶ τῶν σπερμάτων τρυγᾷ τὰ γεώργια. ἐπικάλυμμα φέρει τῇ κεφαλῇ, πῖλον ἀσκητὸν, καθ' Ἡσίοδον. Οὐ γὰρ γυμνῇ ταύτῃ δοκεῖ τὴν θέρμην ἀνέχεσθαι. τὸν πάντα χιτῶνα, περὶ τὴν ὀσφῦν διεζώσατο, καὶ τὸ πᾶν τοῦ σώματος, πλὴν τοῦ αἰδοῦς, ἐξεγύμνωσεν.

MANE novum, croceô pingebat lumine cœlum;
AURORÆQUE, rosis concolor, ardor erat.
Tinnula jam dudum motabat regulus ora;
Threicium Progne garrula flebat Ityn.
Verbere clangebat pennatô gilva coturnix;
Stridebat solitis passer in imbricibus.
Orta dies, revocabat opus, MESSISQUE laborem;
Quem nigra suspendit deside nocte quies.
Compositi, velut in thalamo, fœnilis in antro,
Sterrebant viridi rustica turba torô:
Ac, puto, proflarent etiamnum pectore somnum.
Primus Damœtas; RUS! &, AD Arma! vocat.
Primus hic arma capit (falcem:) monitórque severus,
Ista leonino barbarus ore tonat;
HEUS, socii! crepat orta dies: Aurora valescit:
Vos dormitis adhuc? & grave cessat opus?
Messum, demessum, surgamus, eamus! Herile
Id nos imperium, pactáque pensa, monent.
Ite! Quousque moras? IGITUR consurgitur, itur;
Procedit longis vernulà turba viis.
In dextra sua cujque suâ falcata machæra;
Cujus sub cauto stramine mucro latet.

Pars

Pars quoque de ſtipulæ ſtridentia vincula nexu ;
Poſt dorſum , multo fluxa madore, gerit.
Pars calidæ , medio Phœbô , non immemor horæ ,
Fontanam fido , quam bibat , utre gerit.
Frigida neu' fatuo vaneſcat lympha tepore ;
Occulit umbroſâ provida vaſa ſcrobe.
Jámque caput pétalo , ſoles prohibente , coronant ;
Jam grave thoracis diſpoliatur onus.
Pectora diductâ nudant, horrentia; veſte :
Sed byſsô tenui tempora vincta tegunt.
Nec mora ! diſtringunt redacutas cotibus harpas ;
Crudelique rotant dexteritate manum.
Unicus , haud unis ſatiatur cædibus , ictus ;
VULNERE , non multo , multa ruina venit.
Damœtas , operis Dictator, réxque laborum ,
Primus , in exemplum grande , trucidat agrum ;
Ex aliis alii poſt hunc ſtant, ordine longô :
Obliquóque ſecant ſpicea culta ſitu.
ET jam Sol calido promoverat axe quadrigam :
Membra per , ac frontem , ſalſa cadebat aqua.
Siccatô radiîs muſſabant rore, cicadæ :
Muſſabat querulis plebs operoſa minîs.
Damœtas ; Tantiſper , ait , ſuſpendite falces !
Tergite manantes (SIT mora parva !) genas !
Siquis & huc Cererem , ſiquis memor attulit undam ;
Hîc jentet panes : helluo fiat aquis !
Accinit , en ! epulis , etiam genialis alauda.
(Et tunc fortè dabat carmen alauda ſuum.)
Hæc mihi Fabellæ dabit argumenta jocoſæ.
Dixit Damœtas. dicere plura jubent.
Ille , manu barbam ſtringens . medióque receptus ;
Ergò, LOCUTRICES ordior (inquit) AVES !
Conciliúmque cano , facundáque roſtra volucrum ;
Quæ tu , vel Roſtrîs Digna , locuta putes.

ELE

ELEGIA VII.

Apologica.

CASSITA, PULLI, PATERFAMILIAS, ATQUE FILIUS, MESSORES MATUTINI.



Argumentum,

Quod suggerit A. Gellius Libro Noctium Atticarum secundô, Capite 29.

ÆSOPUS ille, è Phrygia, Fabulator, haud immeritò SAPIENS existimatus est; cùm, quæ Vtilia monitu suasúque erant, non severe, non imperiose, præcepit & censuit, ut PHILOSOPHIS mos est; sed festivos, delectabiléíque APO-

LOGOS commentus; RES salubriter ac prospicienter animadversas, in mentes animósque hominum, cum audiendi quadam illecebra, induit. Velut hæc ejus FABULA, de AVICULÆ nidulo, lepidè atque jucundè præmonet; SPEM, fiduciámque rerum, quas efficere quis possit, haud unquam in ALIO, sed, IN SEMETIPSO, habendam.

AVICULA (inquit) est, Parva; nomen est, CASSITA: habitat, nidulatúrque in segetibus id fermè temporis, ut appetit MESSIS; pullis jamjam plumantibus. Et Cassita in sementes fortè concesserat tempestiviores: propterea, frumentis flavescentibus, pulli etiam tunc involucres erant. Cùm igitur ipsa iret, cibum PULLIS quæsitum: monet eos; ut, SIQUID ibi rei NOVÆ fieret, diceretúrve, animadverterent: idque uti sibi, ubi redisset, nuntiarent. DOMINUS postea segetum illarum, Filium adolescentem vocat: & ; Vides, inquit, hæc ematuruisse? & manus jam postulare? Idcirco, die crastino, ubi primum DILUCULABIT, fac, AMICOS adeas, & roges; VENIANT, operam mutuam dent, & Messem hanc nobis adjuvent. HAEC ubi ille dixit; discessit: atque, ubi rediit CASSITA; pulli trepiduli circumitrepere, oraréque matrem, ut statim jam properet, atque alium in locum se asportet; Nam, dominus (inquiunt) misit, qui AMICOS rogaret; uti, luce ORIENTE, veniant & METANT. Mater, jubet eos à metu otiosos esse; Si enim dominus (inquit) messem ad Amicos.

eos rejicit; crastinô seges non metetur; neque necesse est, HODIE ut vos auferam. Die igitur posterô, mater in pabulum volat: dominus, quos rogaverat, operitur: Sol fervit, & FIT NIHIL; & AMICI, Nulli erant. Tum ille rursum ad filium; AMICI isti, inquit, magnam in partem cessatores sunt. Quin potiùs imus; & COGNATOS AFFINESQUE, & VICINOS nostros oramus, ut assint cras temporè ad METENDUM? Itidem hoc pulli, pavefacti, matri nuntiant. Mater hortatur; ut, tum quoque, sine metu ac curâ sint: COGNATOS, AFFINESQUE nullos ferè tam esse obsequibiles ait; ut ad laborem capessendum nihil cunctentur, & statim dicto obediant; Vos modò, inquit, advertite, si post hæc quid denuò dicetur! ALIA LUCE ORTA, avis in pastum profecta est: COGNATI, & AFFINES, operam, quam dare rogati sunt, supersedent. AD postremum igitur dominus filio; Valeant (inquit) AMICI, cum PROPINQUIS! Afferes, PRIMA LUCE, falces duas: unam Egomet mihi, & Tu tibi capies alteram: & frumentum nosmetipsi manibus nostris cras metemus. Id, ubi ex pullis, dixisse dominum, mater audivit; TEMPUS EST, inquit, cedendi & abeundi! FIET NUNC, dubiô procul, quod Futurum dixit: IN IPSO enim vertitur, cuja res est; Non, Aliunde petitur. Atque ità CASSITA nidum mutavit: & seges à Domino demessa est.

Hæc quidem eſt ÆSOPI fabula, de AMICORUM & PROPINQUORUM, levi & inani fiduciâ. Sed,quid aliud ſanctiores libri Philoſophorum monent; quàm, ut in nobis tantùm ipſis nitamur? Alia autem omnia, quæ Extra Nos, extráque noſtrum animum ſunt, neque pro Noſtris, neque PRO NOBIS ducamus? Hunc ÆSOPI Apologum, * Quintus ENNIUS, in Satyris, ſcitè admodum & venuſtè, verſibus quadratis compoſuit: quorum duo poſtremi, iſti ſunt; quos haberi cordi & memoriæ, operæ pretium eſſe herclè puto.

Hoc erit tibi argumentum, ſemper in promptu ſitum;
Nequid exſpectes AMICOS, quod tute agere poſſis.

Hæc hucuſque A. Gellius, totidem verbis;
Nunc ab Illo, AD NOS (*quæ Comici vox eſt*) EAMUS!

SI Quid ages, prior adde manũ; neu' fide Propinquis;
FALLERE non neſcit dextra propinqua fidem.
PINGUIA quà Phrygiis gravidantur Gargara glebis,
Flavet & Idæis ſpica beata jugis:
Nidos furva ſuos, ſobolemque, locârat ALAUDA,
Myſa genus, Myſo de patre facta parens.
JAM pater, aucupiô laqueatus, præda jacebat:
Reſtabant pulli ter duo, matris onus.
Mater egens, viduata viro, ſpem gentis alebat;
Et medio clauſam cauta fovebat agrô.
Jámque ferè ſpicis ager hic turgebat adultîs;
Attigerátque ſuum, præcoce fruge, diem.
Jam falcem, ſævâſque manus, ſeges alba timebat:
Proxima ſuccíduæ tempora MESSIS erant.

Heu,

Hev, quid agant, implumis adhuc, intectáque pubes?
Quò caſſitarum parvula turma migret?
Sex numerô, Ceiris, Corydon, Alovetta, Comata,
Cúmque Galerito fratre, Lodolla ſoror:
Involucres omnes! Quas, auxiliaribus alîs,
Provida ni genitrix transferat; harpa metet.
HOC ipſum pia mater agit. Sua pignora cogit:
In medio quorum talia verba ferit;
QUO res ſumma locô mea ſit, quo veſtra, puelli;
Cernitis. in dubio vitáque mórſque ſedent.
Omnibus intentam me caſibus eſſe, meæque
Affixam proli, non ſinit alma ſeges:
Haud ſinit ipſe cibus, quærendaque pabula vobis;
Ut, quibus ex rapto vivere, lege licet.
Dum tamen ipſa parens, venandis paſtibus, abſum;
Sit veſter, preſsâ voce SILERE, labor!
Primus hic, & FACILIS, labor eſt. Labor eſto Secundus;
Singula pervigili geſta notare fide.
In ſpecula vobis aures, oculíque, ſedento!
Quid dicant homines, diſcite, quídve gerant?
Cognita, cùm redeo, memori ſermone referte.
Dixit: & in prædas ſe dedit illa ſuas.
Vix ierat: cùm, Dardaniæ vetus incola terræ,
Agromedon, nato cum Diomede, venit.
Hic hujus poſſeſſor agri, quo, nide, latebas,
Maturo cernens farra crepare die;
EN (ait) en, pleniîs canum jam Solibus arvum!
Meſſuram poſſunt tritica, nate, manum.
ERGO, novos reteget ſimulac lux craſtina vultus;
Oſtia fac circùm gnavus AMICA voles:
Dic ſociis; Veniant! menſæque-ſequacibus; Adſint!
Dic, ſociâ MISSEM nunc quoque falce juvent!
Dixit. & abſceſſit. pulli mandata notabant;
In commune, ſuum quiſque referre, memor.
Venit ad nos mater reduci Caſſita volatu;
Quid memorant homines? (incipit) aut, quid agunt?
Narratum narrate mihi, referenda referte!
Neſcio quæ trepido vos quatit aura metu?

TALIA quærenti, respondit talia Cejris;
O genitrix! Segetis præ fore messis adest!
Plura nec adjecit, formidine verba premente.
Sed retulit Corydon; O, Corydalli Parens!
(Matri nomen erat, Corydallidi) Nuntio Diras!
Hìc modò rex dominô substitit ipse pede:
Rex Segetum, dominúsque soli, nidíque toparches,
Jussa dedit gnato talia; Gnate, vola!
Et, simulac nitidum reteget Sol crastinus orbem;
Atria, fac, circùm cursor AMICA teras.
Tot duc Messores, quot nunc numeramus Amicos:
Quantus erat MENSÆ, sit quoque MESSIS, amor!
Nunc igitur, nunc castra move, pia mater! & arvô,
Quà potes, hostilî nos rape! tuta pete!
SIC ait: & fletum fraternis fletibus addit.
RISIT, prudenti Mater alauda jocô;
Si CRAS (inquit) herus Messores sperat Amicos;
Et CORVOS speret, qui sinè falce Metant!
O pulli! vacuíque metûs ratione, puelli!
Conceptum fatuô pellite corde metum!
Vanus Amicitiæ titulus, vix perget ad ARAS;
Nedum callosâ pectat ARATA manu.
Denique quid vultis? Præstò CRAS esse Sodales
Quos jussit; præstò, CùM pyra Ninget, erunt.
Sic effata, petit tutos cum pignore somnos.
MANE novô, salvum rus, seges, ales, erant.
Non illuc Pylades, non Messor prodit Orestes;
Nil movet hostilis falcis, Amica manus.
Prædatum Cassita volat, velut antè volârat;
Agromedon, veluti venerat antè, venit.
Stat longas, perstátque, moras; exspectat Amicos:
Nec stans, nec perstans, quis metat arva? videt.
Sol fervet, non fervet opus: Cadit hora, diésque:
Sed non Spica cadit; QVID remoramur? (ait.)
Vesper adest; sed Amicus abest! PRÔH, turpe, p
Nomen Amicitiæ! Prôh malefida fides! (grum
Hostibus eveniat nostris hæc turba sodalis!
I! alias potiùs concute, Nate, fores!

(Nam

(Nam comitatus erat natô) Sunt, Semine nobis,
Sunt Consangvineâ nomina juncta fide:
AFFINES propè sunt; propior Vicinia nobis:
Vade! cie' quidquid nominis hujus habes.
Voce tuâ. verbisque meîs, in Crastina messum
Tritica. dic, veniant, Sole novante jubar.
Quin & temporiùs (ne nos mora differat) adsint!
DIXIT: & ad villæ fumida tecta redIt.
Nec minùs hinc Cassita redit sobolíque trementi;
ET quid nunc, inquit. pallida turba NOVI?
Ah (ajunt) Nova cruda, novis feriora vetustis!
Cras, Consangvineâ falce jacebit ager.
Quodque subibit ager fatum, tua turba sequemur:
Hæc mandata patris Natus herilis habet.
Jussus hic Affines, operamque citare Propinquam,
Nunc citat. acciti, fárque, tuósque, metent.
SIC illi. Nidíque rogant melioris asylum.
Quos contrà, placidô sic ait ore Parens;
ESSE meos animis, etiam nunc, hortor omissis;
Nec canâ plumas antevenire comâ.
Antevenit canâ teneras formidine plumas,
Quisquis seu segetum, seu sua fata, timet.
Sangvine-connexis, creduntur tritica. Quid tum?
AD rem non-propriam, quàm cito Sangvis hebet?
Affines venient? NIHIL his Affinius aurô.
Si Roget, & nihil his Eroget; alget herus.
Denique, Vicinos quos credit, &. esse Propinquos;
Sunt, puto. Sed, QVIVIS PROXIMUS ipse Sibi.
Quare, parva cohors, Hodierni caussa pavoris,
Cum spe ruricolæ concidet ipsa sui.
Postera, quin potiùs, quid Vespera portet agendum,
Discite! Consilium, tertia jussa dabunt.
Hæc dixit; solitúmque petens Cassita cubile,
Subdita pennatâ pignora fovit ope.
Tertia jámque pigras Aurora fugaverat umbras;
Cum vigilant homines, evigilantque feræ.
Impavidò mater strepitu consurgit Alauda:
Aëris intrepidô fertur in alta sonô.

Tutis veridicô gratatur carmine Pulls:
Quoque poteſt, dicit, gutture; NEMO METIT!
Veráque cantabat. Falx nulla, marúſve, metebat:
Non falx Affinis; non, lare juncta manus.
Ipſe (nefas!) patruô connexus fœdere Sanguis,
Phlegmate torpebat, pigritiæque ſitu.
Nemo Propinquorum, multô jam Sole, laborem;
Nemo, fretis mersô jam propè Sole, capit.
Venit herus, veniénſque videt, queritúrque videndo:
Ac breviter nato (nam, FACIT ira brevem;)
Nate! quid Externis ſpem figimus, inquit, in Aris?
Nos erimus nobis Juppiter, Ara, ſalus.
Menſarum valeant, ſtirpiſque, larique, Sodales!
IN quibus eſt, præter Nomen inane, nihil.
NOS potiùs, nos, gnate, manus armemus utrimque!
Tu cras falce Tuam; cras ego falce Meam.
DIXIT. & obſtipâ (certus, fata tolere) fronte,
Atque minis tumidô, ſe tulit inde, pede.
NOX aderat. Caſſita redit, velut antè redibat:
At pullis, rigidi juſſa docetur Heri.
Illa ſtatim; MIGREMUS, ait, mea turba! migremus!
Idque priùs, pleno quàm cadat orbe Dies.
Quod gratis toties Timuiſtis, Credere tandem,
(Sed graviore fide) diſcite! Certa loquor.
Quod toties herus, ac natus, ſtatuêre Futurum;
Hoc cras Fiet opus; ſed, Propiore manu.
NUNC, NUNC, res agitur! neque res Aliena; Sed Illi
Qui Sua ſeverunt, hi Sua nempe metent.
Ergò, galeritæ, citò cedimus! Incola ruris,
Non galeatus, ab hoc; ſed, petaſatus, erit.
Hoc ſatis! Et tacuit. Vectam per inania prolem,
Tranſtulit in tutum, ſepoſuítque, nemus.
Dicta, fides ſequitur. Metit alter, & altera Cantat.
Sic, AVIS, ante diem; Phryx homo, Serò ſapit!

MES-

MESSORUM MERIDIES.

Agrum non-Suum demetunt: * & inter Acervos eorum MERIDIATI ſunt.

JOB *Capite 24. Verſu 6. & 11.*

ELEGIA VIII.

PRANDII MESSORII HYPOTYPOSIS.

MESSORUM *labor, advectis ferculîs, interpolatus.*

IAM mediis æther, campúſque, caloribus hiſcunt;
Cynthius & ſummo, currus, in axe gemit.
Gnómonis horologi nota jam duodena metallo
Stringitur: ac MEDIUM ſignat arundo DIEM.
[illegible]imque pari gaudéntque gigas, nanúſque figurâ:
Vix erit is major; vix erit iſte minor.
[illegible]mbra Syenæo jam ſe negat invida Fonti:
Ammonis puteum nunc ſua bruma gelat.

Jam tacet omnis avis, ſolâ ſtrepitante cicadâ;
  Frigore ſub querno nunc cubat omne pecus.
Arida Phœbeis torrentur corpora flammis;
  Finduntúrque pari campus, & ora ſiti.
IPSI (quis credat?) SITIUNT, in flumine, PISCES:
  (Crede tamen! ſic, qui ſiccat, Apollo jubet.)
QUIN igitur, qui pranſus eo, per ſpicea Tempe;
  Feſſa ſub arboreis hîc loco membra comis?
STAT vetus hîc ceraſus, Cerealis in aggere fundi;
  Junctáque, dat feſſæ molle ſedile viæ.
Hujus ab acclivo ſpeculari ceſpite, fas eſt,
  Quæ propè, quæve procùl det nova, latus ager?
ECCE, recompoſitos Meſſor modò pronus in artus,
  Colligit erectô membra recurva gradû!
Pandiculánſque, pigrô diſtendit inertia flexu,
  Ceu modò lethargi brachia vincta lue.
Suſpendunt tantiſper opus, falcémque, coloni;
  Ac fruitur pausâ, juſtitióque, labor.
Congeſtis ſegetum, texunt umbracula, virgîs:
  Umbraque fit laſſis, ſcenáque, trunca Ceres.
Hîc ſedem capiunt: agitur conſeſſus in orbem:
  Ventilat, ac Zephyros ſindone dextra ciet.
Læva manus Soles, ocelis prætenſa, repellit;
  PRANDIA nunc ubi ſunt? voce manúque rogant.
Dúmq; manu, dum voce rogant; Ubi Prandia nunc ſunt
  Ecce, venit tumidis Villica fuſca genis!
Hæc, ſtridente ſedens, advectat fercula curru;
  Aurigæque pigras increpat uſquè moras.
AD latus hoc, amplam conferto vimine corbem;
  Ligneolos utres, ad latus illud, habet.
Fercula diſpaſſis ſervat ſtudioſa lacertis;
  FIDIUS & Libycô vaſa Dracone fovet.
(Textile præcipuè, mappáque manúque, caniſtrum,
  Carbaſſoque ſupèr protegit illa ſinu.
Nam pultes illuc, & ſectô pinguia lardô
  Juſcula cum pilis abdidit atque fabis:
Ac ſimilagineas adipatô farre placentas;
  Sectile præterea, perna quod unxit, olus.

ræcurfat dominam tremulò canis-Anglica roftrò;
Exferto linguæ fyrmate faffa fitim:
Antevolátque rotas pedibus. nam dira citatos,
Aëre fub calido, mufca retardat equos:
M U S C A, lues hominíque gravis, graviórque caballis!
Non illam fcuticæ, non fugat ira jubæ:
Mobile nec caudæ valet hanc arcere flagellum;
Párque furor culices, & dolor urit equos.
nterea notos tetigit coqua ruftica campos;
Hîc aperit cupidis fercula grata gulis.
emmata diftribuit. Denas fert quifque placentas:
In medium turbæ pifáque, Júfque, locat.
Buxea Meffores agili cochleâria verfant
Pollice. guttur edax urget avara fames.
Mox Cereris liquidæ gelidos, non-parca colona,
Circumfert cyathos. Prima lagena vacat!
ALTERA (conclamant) veniat vacuanda lagena!
Altera porrigitur. Plebs bibit, atque canit.
ACCESSI, ftimulante pedem prurigine rerum;
Affedi. Fateor! daps genialis erat.
Fercula cantabant omnes, menfamque beatam;
TU menfas, abacos, figmata Graja, præis!
Tu tripodas vincis citrinos! Et plura canebant.
Solus; Majus erit, quod dabo, (Mopfus ait.)
Undenis compacta mihi modò fiftula cannis,
Impare colludet, cum Daniele, chorô:
mpare (fed veftram thefin exfuperante.) Meóque
Non abacus deërit, non Abacucus agro.

ELEGIA IX.

Hiſtorica.

DANIEL, IN LACU LEONUM, PER ABACUCUM PASTUS.



Argumentum.

DANIELIS *Capite XIV. à Verſu XXVII.*

INDIGNATI ſunt Babylonii adversùs Regem vehementer: & congregati, dixerunt; IUDAEUS factus eſt REX! BEL deſtruxit, Draconem interfecit; & Sacerdotes occîdit. Et dixerunt, cùm veniſſent ad Regem; Trade nobis DANIELEM: Alioquin, Interficiemus te, & domum tuam.

Vidit

Vidit ergò Rex, quòd irruerent in eum vehementer: &, necessitate compulsus, tradidit eis Danielem. Qui miserunt eum, in LACUM Leonum; & erat ibi diebus sex.

INNOCUIS Deus advigilat: famulísque Tonantis,
Non sua mensa dëest, non ferus ensis obest.
Ipsi quin etiam Libyci sua bella Leones,
Inque pios dentem dedidicére Viros.
Testis erit, DANIEL. Danielia fata canenti,
Turba fave! sed tu, grylle sonore, tace!
VANA Semiramii jam pridem Numina Beli,
Cúmque suo ruerant limine, cúmque tholo.
Jam DRACO, successor Beli, picis unguine ruptus,
Nænia sacrilegæ tristior urbis erat.
Conclamant; Chaldæa, viri, rex Sacra profanat!
Ad Recutitorum transfuga NUMEN abit!
Concursant; Huc arma, viri! DIs templa noventur!
PRO DIs, & Regem pellere, jura sinunt.
Rex audi! Vel dede Virum; quô, sæva monente,
Belus, Belicolæ, Templa, Dracóque, jacent:
Vel soliô, vitáque simul, cum semine, cede!
Si dubitas; VIRES ira Rebellis habet.
REGNA dat, atque rapit, concors in sceptra tumultus:
TAM trucibûs, cecidit regia caussa mirîs.
Deditur, invitô DANIEL, ac flente, monarchâ;
Assyriísque datur præda trahenda lupis.
Indè leonini lacerandus ab impete rictûs,
In sicci Vates spargitur antra lacûs.
Scrupea terribili spelunca voragine torva,
Hiscebat, Stygiò pæne profunda metu.
Volvitur huc præceps, Babylone furente, Prophetes:
Æratísque coit janua summa feris.
Clausa suprà specus est: infrà gula clausa ferarum;
Nam patulo nullus sæviit ore LEO.
Vix credes; sed, crede tamen. NON ulla famentûm
In facilem quadrupes dentiit Afra dapem.

DANIELIS *Capite 14. à Versu 31.*

PORRÒ, in Lacu erant Leones septem: & dabantur eis Duo Corpora quotidie; & Duæ Oves: & tunc non data sunt eis; ut devorarent Danielem.

FULVA jubatarum stabant septena Ferarum,
 Semper inhumanis pingvia monstra cibis.
Hæc, pœnis devota suis, humana reorum
 Pascebant dirâ Corpora bina gulâ
Insuper immanem, Tigridis pinguissima ripis,
 Ingluviem pecudum, bina replebat Ovis.
Carnivoræ fuit hæc Lex quottidiana diætæ:
 Hæc septemgemini mensa leonis erat.
Tunc tamen hæc neque mensa fuit, neque sveta diæta;
 (QUID non Improbitas ingeniosa coquit?)
Sed pénoris soliti fit succidanea Vates
 Hostia; qui Cœnæ triste minutal erit.
Quis putet hoc? FERITAS hominum feritate ferarum
 Quantò major erat, tàm minor illa fuit.
SEX Aurora dies, sex reddidit Hesperus umbras:
 Esuriêre Feræ; nec tetigêre Virum. (nante)
Daps, aderat DANIEL. Tamen hic (inhibente To-
 Inter tot rictus, est OVIS, absque LUPIS!

DANIELIS *Capite 14. à Versu 32.*

Erat autem ABACUC Propheta, in Iudæa: & ipse coxerat pulmentum, & intriverat Panes in alveolo: & ibat in campum; ut ferret messoribus. Dixitque Angelus Domini ad Abacuc; Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli; qui est in lacu leonum. Et dixit Abacuc; Domine, Babylonem non vidi; & lacum nescio.

Et

Et apprehendit eum Angelus Domini, in vertice ejus: & portavit eum capillo capitis sui; posuitque eum in Babylonem, super lacum; in impetu spiritûs sui.

NEC tamen interea minor hunc penuria torquet.
  Orat; &, INNOCUÆ præpotuêre preces.
TERRA procùl campis Judæa recumbit opimis;
  Lis eſt, an ſegetis ditior, ánne botri?
Hìc tunc triticeâ ſudabant meſſe coloni;
  Et ſectrice gravis falce cadebat ager.
Miſerat huc famulas vates Abacucus opellas,
  Ruris in EXIGUI, ſed tamen, arva, SUI.
Hìc Vernæ ſtabant, ab Eoâ luce metentes.
  Otia laxari per ſtata, tempus erat.
Torpebant mediô jam Sole, faméque, ſitíque;
  Reſtitui vires victibus, hora fuit.
Senſerat hoc ipſum; tactúſque dolore ſuorum,
  Munus obit dominâ vile propheta manu.
Et, modò divinæ mentis ſanctiſſimus augur,
  Præco futurorum fatidicúſque Sophus;
Fit novus, ecce, Coquus! pultíſque liquamen, & offam,
  Sedulus inſtructi præparat igne foci.
Et fluidum, lumbos circùm, ſubſtrictus amictum;
  In micam ſimilæ fruſta ſcobémque ſecat.
Hanc terit, hanc reterit. fit, agreſti grata palato,
  Emeritíque famæ blanda ſagina gulis.
Coxerat ad plenum. Nunc pultes, inquit, & offam,
  Accipiat teſtus! fruſta friata, ſcaphe!
Alveolum teſtúmque ſimul, lactíſque diotam,
  Excipiat udo ſcirpea theca ſinu.
DIXIT & ut clauſit maculosâ fercula corbe;
  Sveta recompoſitâ tendit in arva togâ:
Aſſuit & ſcapulis ſtrictô vaga pallia nodô,
  Ventivolis (Vatum more) retorta plicis.

Hìc,

Hîc, nudum rigidósque pedes, hirtósque capillos,
En, téneri spoliat nudior aura Noti!
Nec merus est tamen iste Notus: neque præda maligna.
Astitit aligerô Spiritus, ecce, pede!
Iste, manu retinénsque manus, pedibúsque pedestrem;
HINC, (ait) hinc, alias sis memor, ire vias!
I, procùl hinc! Quæ corbe geris, quæ Prandia testû,
Messorum non sunt. pro DANIELE geris.
I, agè, rumpe moras! pultes, dulcémque diotam,
(Quidquid id est) Vati, cuj favet ille, feres.
Ille Deus, Deus ille Deûm, Danielis amator,
Visere te Vatem, te Babylona, jubet.
Ergò, vora (sed, ut aura,) viam! Tua meta, Leonum
Est LACUS; undantî sed sinè rore, lacus.
TALIA mandavit stellatæ nuntius aulæ.
Vatidicus retulit talia verba Pater;
O, ait, ô superi Procerum non ultime templi!
Judæô satìs est NOTUS in orbe DEUS.
Notus & ipse Dei solitîs caducifer alîs:
SED, Babylona tuam, quò citor, unde sciam?
NON VIDI: longéque minùs, nigra lustra Leonum.
Si tamen hîc, aut hîc, aut ibi: ducar! UBI?
Dixerat. Hujc Genius; Caussaris inania! (dixit)
Quod, sinè me, nescis; me duce, clima scies.
Cum dicto, rapuítque comam, rapuítque Propheten
(Nam coma longa nimis, tunc erat apta rapi)
Tránsq; Chebronæas (NOVA res! sed Numine digna:)
Transtulit ad Boreæ, vis operosa, plagas.
Ille tenens dextráque togam, scaphiúmque sinistrâ;
Indè timet pulti, vestibus indè timet:
Plus tamen ipse sibi; summæ regionibus auræ
Dum volat, & liquidi per cava regna Noti.
SUB pedibus Jerichunte sitâ, Jordane fluente;
Vidit aquas, vidit prata beata, rosas.
Dextrorsum lentô Freta-Salsa bitumine fumant;
Stagna sinistrorsùm sed Galilæa fluunt.
Fit mora nulla viæ; neque fas insistere, Vati:
Et cunctaturum, grandior Ala trahit.

Jámque supervolitant Arabásque Sabæáque rura,
Panchæósque situs, & Nabathæa juga.
Thure sacrô Zephyri redolent; olet Eurus amomum:
Quáque volant illi, svavior aura subit.
VIDERAT hos, stupefacta novîs plebs infima pennîs:
Viderat, in campis messor, in urbe puer:
Monstraque, vel certè miracula Dædala fassi,
Clauserunt oculos ille, vel iste, suos.
Qualis enim summô gyros rotat ardea cœlô,
Accipitris flexos dum fugit alta dolos:
Talis in ætheriis Abacucus & Aliger, orîs.
Non hos est oculus, penna nec aura sequi.
Una, sequi voluit, votis sed inanibus, ala:
(Discite! quod dicam dixit Apollo prior.)
Fortè, jugîs aquilam Libani, cedroque, sedentem,
Vibrantémque vagô lumina contuitu;
Attigerat species & forma, per alta volantûm:
(Quis putet, à tanta disparitate loci?)
Attigerat (Quis & hoc credat? sed dixit Apollo:)
Nidor fumantis præcalidíque cibi.
Ales, obolfaciens spolium, duo corpora viva;
Tactus & INTRITI suspicione cibi:
Quid faciat? Libani procul arce, cedrísque relictîs;
Insequitur prædam, persequitúrque viros.
Hic volat, hi volitant. premit iste. nec opprimit illos:
Complodunt alas hostis uterque suas.
SED tandem minor est Aquilæ per nubila, virtus.
Deficit, ac rabidîs clangit acerba minîs:
Fallaque prædarum, revolat Libanúmque revisit.
Hi, Babylona suam cum Daniele, tenent.

DANIELIS *Capite 14. Versu 36.*

ET clamavit Abacuc, dicens; Daniel, Serve DEI
Tolle prandium, quod misit tibi Deus. ET ai
Daniel; Recordatus es mei, Deus: & non dere
liquisti quærentes te. Surgénsque Daniel, com
edit.

edit. Porrò, Angelus Domini, restituit Abacuc confestim in loco suo. Venit ergò Rex, die septimô, ut lugeret Danielem. & venit ad Lacum, & introspexit: & ecce! Daniel sedens in medio Leonum! Et exclamavit voce magnâ Rex, dicens; Magnus es, Domine, Deus Danielis! Et extraxit eum de lacu leonum. Porrò illos, qui perditionis ejus caussa fuerant; intromisit in Lacum: & devorati sunt in momento, coram eo.

TANTUS erat, celeri penetrantûm nubila pennâ,
Impetus; alipedis quàm cita biga Noti.
Jámque Leoninæ vates in vertice mandræ,
Angelicâ plantam figere jussus ope:
Per patulas, è fune, fores Vas pôrrgit edule
(Angelus, & funem fecerat, atque fores)
Ac validô, Daniel! Daniel! (ait) ore, minister
Numinis, & longâ fide probate fide!
Divinô legata tibi, cape PRANDIA, missu!
SIC ait: ac sportam rupis ad imma locat.
Suspexêre, fame stimulante palata, Leones;
Atque rati, gerulum jam dapis esse suæ:
Gutturis exsertô, malis crepitantibus, antrô,
Bis, ter, ut in pœnas, expetiêre virum.
Scirpea (quod stupeas!) panaria tangere nolunt;
Dissimulant clausos, pro Daniele, cibos.
In solos, Abacuce, tuos (si credimus) artus
Irrugisse feras, & saliisse, ferunt.
SED tu, depositæ perfunctus munere pultis,
Ad tua tecta retrò, notáque rura, volas.
Hîc jam spicisecæ, pronô propè Sole, catervæ,
Excusásque moras, & Babylona refers.
Hique (NOVI gens mira sumus, sitiénsque sciendi!)
Quàm sapidam, malunt hanc Babylona, dapem.
Ergò,

Ergò, suam peragunt messem. Dilatio mensæ,
Fit polyhistoribus Prandia, Cœna, Sopor.
AT non sic Daniel; POST tridua bina famemus,
(Inquit) & exsucci gutturis HÆRET AQUA.
Quare, quod Cœli dat sporta, bibamus, edamus.
O, NUNQUAM Cœli sportula clausa Bonis!
Magne Tonans, &, amatorum redamare tuorum
Svete fidem! Grates fert tibi fidus amor.
SIC ait: ac sextô tandem se fidere pascit.
At rabidas placat mox sua Cœna Feras.
Cœna. fuére DUCES, nuper cum bile rebelles;
Quæ (puto) Cœna, Deo Vindice, (a) RECTA fuit.

(a) *De hac vide Budæum, Rosinum, & Antiquarios. Breviter! Legitimum convivium salutatoribus exhibere soliti,* COENAM RECTAM *dare, dicebantur. Sordidè restrictéque Avari,* COENÆ RECTÆ *locô,* SPORTULAM *tantummodo donabant. Lege Tranquillum, in Augusto cap. 74. in Vespasiano cap. 19. in Domitiano cap. 7.*

MES-

MESSORUM VESPERA.

Venientes autem venient, cum Exsultatione, portantes Manipulos suos.

Psalmo 125. Versu. 8.

ELEGIA X.

Segetum desectarum Collectio, Colligatio, in curribus Constructio, & in horrea, hilaris Convectio.

Omnia per περιστάσεων minutias, &, καθ' ὑποτύπωσιν, describuntur.

DAMOETÆ MESSORIA DIDAGMATA.

ARS operi sua cujque; suus Dictator, & ordo :
Ad plenum veniant, hæc quoque, Messis opus.
En, Dictator adest, pulcræque didascalus artis !
Damœtas operas auspice voce citat.

His

His, quo quæque modô, quo fiant ordine, monstrans:
  NUNC (ait) abfectas Collige, messor, opes.
Hora jubet Segetes, nocturno rore madentes,
  Versastis docilî bisve, semélve, manu.
Efflevit jam spica satis, tam Sole potentî
  Decoctis guttîs: Tritica sicca sonant.
Far crepitat; casúmque sui de folle minatur,
  Si Sol hoc iterum Crastinus urat ador.
Ergò citi! primúmque, puer tu, (cætera lente,)
  Vincula tincta suis, impiger affer, aquis.
Vincula fer centum: mox altera, ternaque centum,
  Quartáque; de stipulis torta, retorta, cavîs.
Stramine dispasô, transversim sparge, per omnem,
  Ex aliis aliud molle ligamen, agrum.
Sed, serva seriem! Grumorum linea prima,
  Cura tui pariter prima laboris erit.
Indè, retrogresso tibi, tertia linea; post hanc,
  Quinta locum vinclis septima, nona, dabit.
Has inter, grumos medios vitare memento.
  Hæc sint dicta Tibi; tu, preme mente, puer.
Post Puerum; Tu nunc, Collectrix turba, labora!
  Dispositis vinclis injice lecta lata.
Sic tamen injicito Collectæ frugis acervos,
  Ne merges temerè plúsve minúsve gerat.
Pondera mergitibus constent Æqualia cunctis:
  Præcipuè, DECIMUS quisque, sit absque dolo!
DENA Sacerdoti debetur quæque merenti
  Congeries. DECIMAM deminuisse, nefas.
GRANDIOR (in dubio) potiùs sit, portio Mystæ;
  Quàm minor. ASSE sacrô fallere, fallit agrum.
De reliquis; Non est, ad acûs vos omnia punctum
  Instruxisse, decens. BARBAQUE, résque docent.
Dum legitis sentos immisto vepre, maniplos;
  A nudâ tribulos sic prohibete manu.
Pelliceis armate manus, & brachia thecis:
  PACIS amans, nescit vulnus amare Ceres.
VULT sua, sed, nullo decerpi dona cruore;
  Nec Mordere cupit spica, sed, arte Legi.

Dogma-

Dogmatis hoc satis est, Cumulanti triticea, turbæ:
NUNC tu, qui Religas accumulata, veni!
Te quoque poscit, opus manibus tractare magistris,
Sors tua. SIC, Lictor non-inhonestus, eris.
Principiô Clavum, quernô de robore factum;
Sev Radium, summo cuj sit acumen, habe.
Indè, tibi stratos super humida vincula fasces,
Claude: nec, effugiat spica vel una, sine.
Tum constringe; genûque doma constricta sinistrô;
Ut coëat minimô, quàm potis, orbe seges.
Hinc, novies torti gyrata volumine circi
Vincula, sollicitô denique necte dolô.
Innóda; quernique citâ vertigine clavi,
Nodum sub latebras fortiter abde suas.
Sic, ubi conclusas instrinxeris arctiùs ansas;
SUMMA manus, Nodus Gordius esto tibi.
Clama; Grande ΣΟΦΩΣ! Radii quoq; robore nexū
Percute. Sic operi Plaude, placéque tuo.
TUNC veniat currus: fundíque toparcha sequatur.
Hic & ruris opes urgeat, atque rotas.
Jussa det hic famulis; Tu, Gongile, Porrige messem:
At tu porrectam, Gargiliane, cape!
Gongilus arripiat, trifidâ data triticа furcâ;
Alter at artifici collocet illa situ:
Alternóque datos altrinsecus ordine fasces,
Sic Struat; ut struibus par sit utrumque latūs.
Introrsum sed spica tamen, sed vergat arista:
Promineant stipulæ, sectáque canna, foris.
Sic, agitata rotis, & sæpe fluentia, grana
Hærebunt currûs interiore sinu.
Sic, nihil aut minimum, Cereris de dote peribit;
Dote, Calenorum nobiliore botris.
Pòst, ubi visa fuit jam tangere nubila moles;
Et carruca, sati pondere pressa, gemet:
Ligneus, immani longè teres arbore Vectis,
Tollitor in plaustri, quà patet usquè caput;
Stratus & in longum, mediô gravet essedа plena
Pondere. Fune tamen pes religatus erit.

Hic

Hâc pedicâ si firmus erit Pes vectis, & arbor;
Tunc sensim tutâ cætera mole preme.
A pede, per medium, lentô caput usquè subactu
Appete. pervenies victor, ad usque caput:
Possessorque trabis, capiti nova vincula capto,
Sed non firma minùs, quàm Pedis illa, dabis.
Hæc novies, deciésve trabis circumdata collo,
Fortiter arripiat Gongilus; atque trahat.
Dúmque trahit, terram bis, ter, violenter ad immam,
Usquè, suum libret corpus, & usquè gemat.
Donec, plaustra super qui stat, SATIS ESSE, boabit:
Tunc, satis esse, putet: vinciáque ritè liget.
Ista Coërcendi, lex est ratióque, maniplos.
Tunc auriga rotas incitet, atque juga.
In portu res omnis erit; MESSISQUE PERACTA:
Hæc ibi Damœtas, pluráque jussa, dedit.
Omnia Damœtæ messores jussa capessunt:
Et prædicta simul, dictaque pondus habent.
IN lapsu jam vesper erat propè sidus in ortu,
Sev, Nova Luna, tuum; seu, Venus alba, tuum.
Stridula discedunt, Cereris gravidata rapinis;
Inscribúntque, suo pondere, plaustra vias.
Pulvere miscetur cœlum. GENS, vivere raptô
Sveta, fugam passer, quà fuga tuta, capit.
Læta suas sequitur messoria turba quadrigas:
Pars, pedibus saltum; pars, ciet ore sonos;
Evohe! Bacche! Ceres! & agrestia numina! (clamant)
Prosequitúrque rudes Fistula mista choros.
Pars melior, meliore trahens in Numine cantum,
Materiæ carmen nobilioris amant.
His, nunc dulce melos fiunt Pharaonis aristæ;
Nunc Josephiadæ mergitis almus honor.
Mox steriles recolunt stipulas, furiásque, Caini;
Ac, domino similes, mitis Abelis oves.
Sub modulos quoque RUTHA venit, venerandáque Socrus:
Et spicæ veniunt, læse Joabe, tuæ.
Et, quidquid vel grande fuit vel amabile, cantu;
DE MESSI titulô si modò gaudet AGRI.

Rustica

Ruſtica ſic hilarî veniunt ad tecta ſonore :
  Farta quadriga præit;ſubſequitúrque chorus.
HOC videt, ac, primis aſtans pro poſtibus, audit ;
  Horrea dum properâ, Villica pandit ope.
Ambigit,an carmen magìs Iſtud an approbet Illud ?
  Hujus ? an Illius dulciùs oda vibret ?
Nec Vox aſſa modò placet huic ; ſed & abſona Canna.
  Ergò jubet currum; carmen, AVERE, jubet.
SED magìs ex animo jubet agmen avere CANORUM.
  VILLICUS at nuptæ; Quid, maleſana, ſtupes ?
Quid dubitas, inquit,quæ nos plus mulceat oda ?
  SI fallunt Aures ; arbitra Lucra vide.
Fiſtula cum verſu, Fatuos juvet ! At mihi, CURRÛS
  STRIDOR hic Oppleti, Muſica major erit ;
Ac Numerìs perfecta ſuis. Nam QUATTUOR, ecce
  VOCIBUS, ex totidem, gaudet ovare,Rotîs !

ELEGIA XI.

DIVES EVANGELICUS, NOVA HORREA MEDITANS.



LÆTÆ, *consuetæq;* MESSORUM, *&* *pa-trumfamilias*, VESPERÆ; *visum est*, TRI-STEM, *inexspectatam*, *æternámq;* VESPE-RAM *subtexere : ut Elegiaco huic metro, etiam materies imitabunda subserviret; & alternâ Lætorum Tristiúmque variatione, claudicaret.*

Caterùm AVARO *huic* STULTO, *quem videlicet* Ἀνώνυμον *invénimus; Nomen à su-*

O per-

pervacanea noxiáque Sollicitudine, MERI-MNUM *fecimus;poëticâ fingendi libertate. In reliquis, nequid Fictum putes; Historicis (ut solet) gestis intermixtâ* PARABOLA, *Ipsa* DIVINA VERITAS *prælequitur.*

LUCÆ *cap. 12, à v. 16.*

Dixítque (IESUS) ad illos; Videte, & cavete ab omni AVARITIA! Quia non in Abundantia cujusquam vita ejus est, ex his, quæ possidet. Dixit autem Similitudinem ad illos, dicens; Hominis cujusdam DIVITIS, uberes fructus AGER attulit: & cogitabat intrà se, dicens; QUID FACIAM? quia non habeo, quò congregem Fructus meos? Et dixit; HOC FACIAM! Destruam HORREA mea; & majora faciam: & illuc congregabo omnia; quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ; ANIMA! Habes multa bona posita, IN ANNOS PLURIMOS. Requiesce, comede, bibe, epulare!

ANTE DIEM, nolito diem præcerpere votis:
Neu' prædispositô Crastina ventre vora.
SICUT eunt,lucris Hodiernis utere. NESCIS,
Postera quid nigris lux tibi portet equis?
Disce magisteriô, quod res monet ipsa, Supremô:
A SIMILI, similem disce timere notam.
DIVES erat (celebrata loquor:) Ditíque, MERI-
Ex meritô,nomen SOLLICITUDO dedit. (MNUM,
DIVES agri, dives cellæ ditissimus arcæ:
Tantùm, munifici Cordis EGENUS erat.

Jugera,

Jugera, ter centum, totidem subigebat aratris :
Nec deerat segeti terra benigna suæ.
FORTE redundantis genius formosior anni,
Ubere prægnâtat luxuriosus humo. (varus !
PAUPER habet Somnos ; NUNQVAM requiescit A-
SIC, mediâ secum nocte, Merimnus ait ;
Hej me ! Nunc homines stertunt, volucrésque, feræque ;
Pervigilî solus torqueor ipse torô !
QVID FACIAM ? Priscâ stant distentissima Messe
HORREA : nec patitur spica vetusta Novam.
JAM faustum tamen, ecce, Malum, cumulatur ! &
Præteritos triplici fœnore vincit, ager ! (hornus,
Far in flore suo, Libycis par pendet aristis :
Hordea sunt Phariîs vix leviora Satîs :
Tritica Trinacrios superant Nabathæa medimnos.
Quid fiet milio ? vel quid, avena, tibi ?
Omnia proventu superant votúmque locúmque :
Et capit hæc Votum ; nec capit ista Locus.
NON HABEO, tanti possessor agríque, larísque,
Quò segetis condam luxuriantis opes.
Ergò, QVID hîc FACIAM? Dixit. Mox, consule cæcâ
Doctus avaritiâ ; SIC FACIAMUS, ait !
HORREA, quæ Nunc sunt, cumeras, granaria, cellas,
Cras famulâ fabrûm dejiciemus ope.
HORREA, quæ Non sunt, cumeras, granaria, cellas,
Laxâ sede, bonâ substituemus avê.
Tunc. positas ubi summa manus perleverit ædes ;
Cum jam muratum stabit, ut Urbis, opus :
Illuc, & quod alit Præsens mihi messis ; & illuc,
Præteritæ messes quod peperêre, veham.
Tunc, ægram curis Animam solabor, amicis
Affatus verbis ; LUX MEA, Vita mea !
Ne quando sterilis tua viscera lancinet Annus ;
Hem ! Nova, vix fandis Horrea plena Bonis !
Non hæc unius daps sunt, annonáque, lustri :
Lustra Decem vives ! larga diæta jacet.
Plura supervives forsasse Decennia. VIVE !
Noster alet victus Sæcula ; tempus alet.

Ergò, recompositâ CURAS è mente relega!
Fessula tranquillô collige membra torô.
Cor pressum diffunde mero: geniúmque relaxa;
Et lances onerent transmare capta, tuas!
Frange Diem ludis (nam Nox, dabit ipsa quietum
Pro se consilium) carmine frange diem!

LUCÆ *Capite 12. à Versu 20.*

Dixit autem illi Deus; STULTE! hâc nocte animam tuam repetunt à te! Quæ autem parâsti, Cujus ERUNT? Sic est, qui thesaurizat: & non est in DEUM Dives!

DIXERAT hæc, Fati digestor avarus & Anni.
HUNC contrà, cœlô vox ità lapsa, tonat;
STULTE! quid in longum census disponis inanes?
Præstituísque jocis falsa theatra tuis?
O nimis! ô rerum Stultissime! qui tibi fingas
Æstates, annos, tempora, lustra, dies!
Non Unum superesse Diem tibi diphthera cœli
Nuntiat, ac, fatis evacuata, colus.
Hâc ipsâ, miser, hâc instant tibi Funera nocte!
Hâc, Animam repetent; quam malè rére, Tuam.
Auferet hanc Stygius (si nescis, improbe;) manceps:
Hujus Erat. Post hanc, Cætera CUIUS ERUNT?
SIC ait: atque silet. Vox perculit atra Merimnum;
Nec perculsa tamen mens Sapuisse potest.
Proculcat (vah! cæca suî, NUMMOSA cupido!)
Effatum, fatum, Tartara, jura, Deum.
STULTUS, &, in solis jacturæ vocibus hærens,
Disputat in tribus his; CÆTERA CUIUS ERUNT?
CUIUS ERUNT (inquit) Nummi? mihi Filia non est;
Filius, in tumulo. forsitan, Hostis erunt.
CUIUS ERUNT Agri? Jam pridem destinat illos
Rex sibi, captator. regis, opinor, erunt.

Prædia

Prædia Cuius ERUNT? Alium circumſpicit uxor;
Deperit Ephronem. forſan Ephronis erunt.
Cuius ERIT Domus hæc? tam divitis Horrea gazæ?
His inhiat Satrapes. &, reor, Hujus erunt.
TALIA nugantem, nugaturúmque Merimnum,
Riſit ſtellati Regia lata fori:
Mox quoque Deflevit; tractáque per horrida fronte
Nubila, nimboſas præcipitavit aquas.
JAM tonitrû cœlum ruit omne: minatur Olympus
Exitium radiis, exitiúmque face.
Tempeſtate ferâ, tellus miſcentur & æther:
Æther igne furit; grandine, terra crepat.
Flamma ruit: fulménq; ferit, dominúmq; domúmque:
Grando quatit ſegetes. Spéſque putreſcit agri.
SIC flammatur ador, domus, horrea, prædia, vita!
Et pyra, fit Fumus; fumus & aura, Nihil.
Nec retinet plus, ictus ager. nam, ſubruta Meſſis,
Futilis, è ſtipula, fit Fimus, atque Vapor.
Solus, in Æterno, manet Igne Merimnus, & ARDET!
HUNC, libet, extremâ voce rogare mihi;
QVEM tua nunc, toties iterata problemata, fructum?
Quas tibi dant meſſes, infatuate Sophe?
Horrea non ſtrûxti: perierunt ſtructa. Sub Igne,
Præteritum, Præſens, atque Futura, jacent!
Hæc tantùm miſeranda manet tibi QUÆSTIO: quā tu
SOLVENDAM, roſis unguibus, uſquè rotes;
Prædia, quæ quondam Fuerant; nunc diruta, Non-ſunt:
Quæ neq; Sunt, nec Erunt, dic mihi, Cuius ERUNT?

TONITRUA INNOXIA.

INTONUIT de Cœlo Domi-
nus: & Altissimus dedit vo-
cem suam. FULGURA mul-
tiplicavit: & Conturba-
vit eos.

PSALMO *17. Versu 15.*

Numquid non Hodie MES-
SIS est Tritici? Invocabo Do-
minum: & dabit VOCES,
& pluvias.

1. Regum. Cap. 12. Versu 17.

LECTOR CANDIDE.

Quis unquam suspicaturus esset; Inter DELI-
CIAS humanas, etiam TONITRUA, &, cum
Ful-

Fulguribus, FULMINA, numeratum iri? Tristissimi hæc potiùs Horroris argumentum vehunt: & Formidines important, etiam in CONSTANTEM VIRUM cadentes. Ad summam! In omne Cælum turbulentius, conturbamur mortales; &, quippeni?

Illic & Nebulas, illic consistere Nubes
Jussit, &, Humanas motura, TONITRUA, mentes:
Et, cū FULMINIBUS, facientes frigora, VENTOS. (a)

SED, utcunque est: Insunt mediusfidiùs sua, etiam his tam tetricis meteoris, Commoda, Miracula, Voluptates. COMMODA; quando, ÆSTIVA ad TONITRUA, terra Fungos, & vesca Tubera; Cervæ hinnulos suos, proventu læto, pariunt: Fulmine quoque tacta loca, Gemmis alicubi ditescunt. MIRACULA; quando, ab aëriis mugitibus exstimulata terra mater, campestres fruges ad incrementum protrudit: &, à Fulmine, consumpto ære, argento, auro, gladióve liquefactò; sacculi, cistæ vimineæ, vaginæque, sinè labe stricturáve, manent. VOLUPTATES denique; si, Sublatis Reip. noxiis, in Bonorum quandoque Metum TONITRUA paratragœdiant: non perinde in Caput; ideóque Sapienter INNOXIA.

(a) *Naso, Metamorphoseon l. 1. fab. 2.*

ELEGIA XII.

ΒΡΟΝΤΟΓΡΑΦΙΚῊ, ΚΑΘ' ὙΠΟΤΥ'ΠΩΣΙΝ.

SEU,

Tempestatis Æstivæ, cum Fulguribus, Tonitruis, ceterísq; adjunctis, pensiculata, per incrementorum gradus, descriptio.

VIRGINEI flagrans si quisquam sidere MENSIS,
Insolitô caluit torridus axe dies;
Iste dies certè caluit. Quis credat? Iberis
Jam propè mersus Aquis, non tamen Igne caret.
Quóque solet, mediis proscindere Solibus agros;
Hôc ardore, ferè Sole cadente, furit.
Hej, torpor! segnique fluens salsugine, Sudor!
Hej, desperatæ, Vesper amare, moræ!
Tædet agri, tædet Studiorum nobilis horæ:
Vix mihi jam Cicero, vix placet ipse Maro.
En! capitis quoque fumat apex: & machina mundi
Tota mihi furnus, tota videtur Hecla.
Apparet; taciturna focîs incendia tecta,
Nescio quejs Ætnîs, Vesuviísque, coqui.
Dividuis æther nebulis dolet ipse: rubrísque
Sangvineus floccis, Territat, atque Timet.
Jam quoque, jam dudum, volucrum teterrimus (audi!)
Per sylvæ CUCULUS pestifer antra gemit:
Nimborúmque sagax, humili demissiùs alâ,
Ponè volans rasum stringit Hirundo Solum.

Tetri-

Tetricus, in nubes, latè cecit omnis Horizon:
Fimbria quadrifidas inficit atra plagas.
Et limbi pars imma quidem, quà definit orbis,
Ipsâ nocte Stygis furvior esse potest.
Tam pénitus densis stat inexpugnabilis umbris;
Crassaque Cimmeriô pendet opaca sinu.
Hæc est extremi species aterrima mundi;
Quam super, horribili Nubila fronte sedent:
Nubila cum flammis, inimicô livida vultu;
Fœtáque fulmineis, ex Jovis arce, minis.
Nubila, seminigro nec blanda, nec aspera, tractu;
Mox tamen abstruso cærula sæpe dolô;
Aut ferrugineâ TONITRUS prægnantia mole:
Aut cinerum, mistâ grandine, tincta notis.
Adde; quòd est illis variarum forma Ferarum;
Nec jam sunt cœli Fabula, monstra gregum.
Quæque Mathematici dederant spectacula Ficta;
Hic videas Veris omnia picta modis.
Ecce! Cleonæum nubes hæc fulva Leonem;
Tigridas Armenias ista, vel illa, refert.
Parte vides aliâ, cum barris, Arcadas ursos;
Aut pardi rictum, vel Diomedis eqvos.
Cúmq; capris, capricornus erit, Pythónque, notandus;
Cúmque Gigantæis montibus, altus Atlas.
Denique, quidquid erit, te quod Timuisse juvabit;
Turbatæ Nephelês scena superna dabit.
SED, graviora manent. Nam, dum speculórque, loquórque;
Ecce, PROCELLOSI turbinis aura ruit!
Quippe, Cerauneis Argestes torvus ab oris,
Aëra ventosâ seditione ciet:
Pérque vices, primùm resides perturbat aristas;
Impete mox, furias continuante, boat.
UNO rus, segetes, campos, freta, vortice gyrat:
Cuncta simul, tantùm-non Elementa, rapit.
Pulvere miscetur tellus, & glomere Pulvis:
Turbantur nubes flamine, corda metu.
Arboribus vexata fremunt pomaria: pomis
Arbor ab excussis, exagitata, gemit.

Horriſono furit omne nemus, ſtridétque tumultu ;
Sylváque, colliſò robore, querna tremit.
Diffugiunt, nidíque petunt penetrale, volucres :
Divolat è ſvetis advena paſſer agris.
Sub latebras gallina pias, ſua pignora cogit :
Sub ſcalas, revocat Villica, cortis aves.
Paſtores rediguntque boves, relegúntque capellas ;
Et trepidos ovium, tuta ſub antra, greges.
Migrat agris meſſórque frequens, tractorque caballus ;
Increpitatque ſuas tardus equiſo moras.
Urget equum, ſtimulátque pedes, abjungere certus ;
Sive quis eſt pedibus, ſive viator equó.
Tanta ſed audaci creſcit violentia Cauro ;
Abſtrahat ut ſtabili corpora rapta viâ :
Corporibúſque togas, ſinuoſáque diripit armô
Pallia, perruptô dilacerata ſinû.
Nec capiti parcit; cuj dum rapit aura galerum,
Immenſum relegit diſpoliatus iter.
Nec tamen aſſequitur, quantumvis curſibus acer ;
Merſus enim medio pileus amne natat.
Ergò redit : querulúſque, truci collitigat auræ :
VINDICE ſed NULLO, cauſia líſque perit.
Qui tegimen rapuit, rapit idem murmura, ventus ;
Tracturus tumidô forſan & ore virum.
Sed, vorat hic, duplicatque viam : ſic, effugit Auſtros.
Acriùs, hæc inter, torta procella furit.
Exagitata volant ſummis apluſtria tectis ;
Nec certum retinent irrequieta ſtatum.
In domibus, valvæ; per culmina turris, alector,
Tritonéíque fremunt. tegula lapſa, crepat.
Fluctibus immodicis Iſaræ tumet horridus amnis ;
Tundit & inſanâ robora pontis aquâ.
Nec procul hinc, ripaſque ſupra, nemorúmq; cacumen,
Aerium furax ardea gyrat iter :
ARDEA, venturi tonitrûs (niſi fallitur) oſcen ;
Nubifero quoties altius orbe volat.
Portenti neque vana fides ! Jam nubila ſenſim,
Collidi variâ ſeditione, parant.

Ac

Ac lis prima quidem, sonitu taciturna retusô:
Præludit quer uló murmure pugna minax.
Mox Calor. ac, mediô nimius Rigor aëre densus,
Concurrunt, sonitûs horridiore tubâ.
Jam vox, jam fremor est, jam bombus, & ira, tumultu
Mixta repercussô jam furor atque fragor.
Et, quid plura? TONAT! rabiémque Tonitrua raucam
Exercent tremulis, strata per alta, rotis.
ET nunc illa quidem, planô quasi limite, currunt;
Nunc, interscissô calle, repressa ruunt.
Mox, velut ad numerum crebris impulsibus instant;
Impete deîn unô pondera trusa movent.
Interdum dubiis agitant ambagibus iras;
Ac, circumductô nequiter orbe, rotant.
IN SOCCIS credas reptare. Sed ultimus (eheu!)
In Tragicos plausus, Ictus & Actus, abit.
Sæpe, velut celsô revoluta tonitrua monte,
Præcipitem glomerant irrevocata gradum.
Et, magìs atque magìs lapsu residente fugaci,
In se consumptus stat, sine clade, fragor.
Denique mille modi, crepitantis in aëre pugnæ.
Hìc Tormenta quati bellica sæpe putes:
Illic, prævalidâ luctantes mole quadrigas;
Afflictásque petris increpuisse petras:
Et cœli mugîsse boves, rugîisse leones,
Barritu Libycas infremuisse feras.
Interea pénitîs tellus agitata cavernîs,
Exsternata tremit. Tartara mota, labant.
Stant, saxô titubante, domus: turritáque nutant
Culmina. dissultant atria vasta metu.
Humanos quibus adde metus; ac pectora, tanti
Stricta mali radiô: cùm micuêre poli.
Nam, simulac micuêre poli; trepidante vibratur
Cor mortale sinu: Corpora pallor obit.
Hic pingit, paritérque Pios, pariterque Nocentes;
TUNC, etiam Numen qui timuére, timent.
Experiâre, licet, quicunque Topanta videris
Ipse tibi; cuj sunt tela trisulca jocus.

Nam, Cœli diversa crisis, non curat ATROCES:
Ex Astris tangi. qui fugit astra, solet.
Hæc tamen arbitrium sunt Numinis. Horrida gliscun[t]
Interea volucri Fulgura rupta face.
Et rimis fulgetra secant bipatentibus axem;
Nescio quam certè præmeditata pyram?
Nam residis currunt etiamnum puncta diei:
Státque, licèt mediô vespere. vera dies.
Cur igitur sub Sole Faces, horísque Diurnis?
Cur nunc LATERNAS nubila flamma quatit?
Ah! Cynicî ne fortè sophî Laterna novetur!
Et mediô quærat rure, FOROQUE, VIROS!
Fulgure nempe vagô, nunc ERRAT! Fulmine tande[m]
Inveniet, Lampas quod petit ista, caput.

ELE-

ELEGIA XIII.

Historica.

TRIA FULMINA.



Argumentum.

TRIBUS, *diversissimæ vitæ morúmque Iu-
venibus, in campum, ambulandi caussâ, pro-
gressis: cùm, æstivis excitata caloribus, a-
trox* TEMPESTAS, *duos Improbos, divers-
ictibus, ad totidem prodigiosas voces (*FERI-
RE *jubentes) fulminâsset: Tertius, idémque
integerrimus,* SUB DEIPARÆ *(quam Soda-
lis unicè coluerat)* PRÆSIDIUM CONFU-

GIT. *Nec incassum: nam volantem de cœlo, tertiò jam clamore, diram vocem; contraria* MARIÆ *vox*, PARCERE *jubentis, inhibuit: ac, non dispari celeritate jamjam ruens* FULMEN, *unà stitit: Ut Indemnis hic Virginis Cliens, quantùm à Carne & MUNDO, tantùm meritò à Cœlo quoque* INTACTUS, *regrederetur.*

VIRGO POTENS, quos perdit Eros, sinit Ipsa perire;
Castáq; tutatur corpora, Virgo Potens.
ÆSTUS erat, calidóque dies ambustus Olympô;
Pendebant vápidis nubila plena minis.
Lurida jam tetricas spargebant sidera flammas:
Horrida jam trepidas Aura fugabat aves.
Terribili Tonitrûs elementa fragore tremebant;
Plenáque mox Orbis visa Ruina sequi.
Turbinis oppressi tempestatumque furore,
Per vastos ibant turba sodalis agros:
TRES pariter Juvenes, Cacus, & Tragus, atq; Probinus.
Tunc mediô tenuit calle Probinus iter.
Ad latus atque latus (sic disponentibus astris,
Ut REGERET virtus) alter & alter, erant.
VIRTUTIS sed regna nihil, monitúsve Probini,
Profuerúntque Caco, contuleruntque Trago.
Fœdati Cypriis, etiam-tum, sordibus ambo,
Ructabant opicis ebria verba jocis.
Tertius his contrà regerebat Lilia porcis;
Verbáque, Partheniæ plena pudore Rosæ.
Scilicet, à téneris Mariani servus amoris,
Noverat hic, virgo Vivere, virgo Loqui.
TRISTIBUS interea mugitibus aura valescit;
Flammáque fit subitò, quod Metus antè fuit.
Intonat: attonitis vox auribus, æthere missâ,
Clamat; Iö! flammas conjice, Tange, FERI!

Jussa

Juſſa facit prudens cœlum. Cacus alite jactu,
Tangitur in mediis, atque FERITUR, agris.
Iſte quidem jacet, atque tacet (premit Atropos ora:)
Oſca tamen vixdum continet ora Tragus.
Ludit adhuc; Ictúmque, putat, Leve drama, Sodalem,
Pergit at aërius ſpargere tela furor.
Intonat, ut tonuit: tonitrúque ſecuta per auras
Vox iterata, jubet; Conjice, Tange, FERI!
Nec mora. Fulmen abit, Jacitur, Tangítque, Ferítque;
Fulminis eſt lævi victima digna, Tragus.
Altera jam tragici cadit hæc Perſona theatri.
Inter utrumque ſitus, Tertius Unus adeſt.
Heu! quid agat? SOLOS ſi plectant aſtra Nocentes;
Ecquis erit, nulli qui nocuiſſe poteſt?
NULLA ſibi ſatis eſt Probitas. (Terrére, tonante
Æthere! nam, PAVIDOS ira Tonantis amat.)
SIC ait ipſe ſibi. Mox, Poplite pronus utroque:
Et MARIÆ prenſans, voce tremente, pedes;
SUB TUA me, Virgo, (Rube-non-combuſte!) Maria!
Sub tua me ſcribo jura patrona, reus.
Si Reus, ut tueâre reum! ſi Priſcus amator;
Proſit amatori gratia priſca tuo!
Signáque cuj quondam fuerant Mariana, trophæum;
Nunc Clypeus fiant, PRÆSIDIUMQUE, mihi!
HÆC neq; plura ſupèr, (nec enim tulit hora) Probinus:
Tertia cùm rurſus buccina mortis adeſt.
Tertia ſulphureô fulgetra nitore coruſcant.
(Iſta, Megæræas credo fuiſſe faces)
Tertia cum tonitru Vox mittitur, acta per auras;
Perge! FERI! pereat, quem ſupereſſe vides!
Dixerat, in furvis Hecate trivenefica nimbis.
Has contra furias, Regia Virgo tonat;
NEQVAQVAM! ne, ſæva, Feri: nec tange, nec aſſla.
FINIERAT. Rabiem Finit & aura ſuam.
O, Dominæ ſceptrum, majeſtatémque, Jubentis!
IN curſu, certâ cum nece, Fulmen erat.
Diva Parens, fulménque ferum, ſtragémque paratam,
In nullo juſſit pondus habere ſcopô.

Fulmi-

Fulminis ira cadit. Surgit, sine dade, Probinus;
Ac Dominæ vires, imperiúmque, canit:
Quòd brutos, Fatuósque, daret tunc Fulminis ignes;
Tam modò PRUDENTES, funera seligere.

LECTOR ERUDITE.

Historia, superioris Elegie versibus celebrata, rem gestam; magis, sicut narrari sæpe memineram, quàm, sicut ab Auctoribus idoneis perscriptam legeram, decantavi: Singulorum, fulmine tactorum, mores sermonésque, ex Eventu vitæq; exitu interpretatus, Poëtarum licentiâ. Postea, Carmine jam dudum scripto, in syncerissimæ Veritatis narrationem brevem incidi; ex Chronico Minorum T. 3. l. 8. cap. 32. à Leonardo Mario, in Stemma Marianum, transsumptam, in hunc ferè sensum ac verba: quibus te, utilitatis publicæ privatæq; studiosum, ut POESIN *à re* GESTA *separare nôsses, nolui defraudatum.*

Tres *(inquit)* Parisiis Italiam petebant. Ecce autem, Senensia per montana equitantes, horribilis ex improviso, & fulguribus tonitruísque minax, tempestas superobruit. Qui, cùm nullo loco sibi tutam stationem reperirent; calcaribus subditis, ad urbana suffugia caballos instigabant. Inter hæc de cœlo vox horribilis; PERCUTE! (clamat) PERCUTE! Continuóque, cum voce, nubibus excussum FULMEN, de tribus Unum equo dejicit, & exanimat. Ergò, qui supererant, tantò consternatiores, cum metu, pariter

&

& viam intendunt, concitatiore cursu. Sed, magis magísq; increbrescentibus tonitruis, dira rursus ex Alt Sententia immugit; PERCUTE! PERCUTE! Dictum factum; etiam Alterum cælestis flamma deturbat. TERTIUS (& hic, fatorum ultima futurus victima, ni Cœlum inhibeat) AUGUSTINUS nomine, jam an goribus & lethi præsentiâ præconsumptus, tamen quum adurget: & ad Domitricem aëriarum potestatum Virginem conversus; SUB TUUM (exclamat) PRÆSIDIUM CONFUGIMUS, SANCTA DEI GENITRIX! NOSTRAS DEPRECATIONES NE DESPICIAS, IN NECESSITATIBUS NOSTRIS! Hæc ille, ex intimis deductâ affectibus imploratione. Mirum dictu! Boantibus etiamnum, (ac jam tertiùm) diris inter nubila Inclamationibus, PERCUTE! PERCUTE! Vox antiphonica respondet; NON-POSSUM, quoniam sub Deiparæ Præsidium confugit. Quibus auditis, tantò in preces iterandas intentior Augustinus, ipsâ Orationis pervicaciâ cœlum Ferreum perfregit: & iratam nubium Frontem, mutari coëgit in hilatissimam Serenitatem.

NIVES ÆSTIVÆ.

JEREMIÆ *18. Versu 14.*

Numquid deficiet de petra Agri Nix Libani?

PROVERBIORUM *Cap. 25. Versu 13.*

Sicut frigus NIVIS, in die MESSIS ità Legatus, fidelis ei, qui misit eum. Animam ipsius Requiescere facit.

ELEGIA XIV.

Alieno Nomine Personáque, composita.

Quidam Equestris ordinis Germanus, Nonis Augusti, (quæ MARIÆ *ad* NIVES *consecratæ sunt) inter æstivos calores immodicos,* BOLSANI, *Tyrolensium vallium oppidô (quod Bozénum vulgus appellat) constitutus; valetudinis reparandæ causâ in villam montanam secedit.* ILLIC *prandiô (quod vocant)* GRAMINALI *usurus; vino temperando,* NIVES ÆSTIVAS *& optat Peregrinas, & per puerum conducit Domesticas, ex circumjectis Alpium verticibus apportandas. Desperatis tandem istis; in Cibo (quem, refrigerandi gratiâ excogitatum, nostrates* LAC NIVEUM *indigitant) acquiescit.*

VIRGINEI Mensis Quintus jam Cynthius ardet;
Nonarúmque, statô currit in axe, dies.
Quàm benè Bolsanæ secessibus uterer oræ? (alit!
Quam Natura, soli ceu ΜΙΚΡΟΚΟΣΜΟΝ,
In qua proludunt Italæ compendia terræ;
In quam tota coit Gratia ditis humi.
Sed malè! quòd, vasti quasi circumscriptus aheni
Valle, locus vapidô torridus halat agrô.
At pejùs! quòd febris atrox, capitísque gravedo,
Membra, repercussô flaccida Sole, coquant.
VIX benè convalui, vix morbo ducta cicatrix:
Vix licet à medica, quò libet, ire crisi.
Sed, licèt hæc nobis vixdum sit missio facta;
PILEUS est (jam sum liber, abire!) datus. Ergò

Ergò datô (remis Zephyrôque favente) fruamur :
Et, Citò ! POENITUIT sæpe, dedisse Pigris.
Impiger, en, dextras evadò viator in Alpes !
Hîc nemus · hîc . gelidâ rupe reducta, specus.
Hîc etiam Fons est , vitreis pellucidus undis ;
Crebráque . pampineis Vinea læta comis.
Hîc quoque montanas , umbroso tegmine, Villas ,
Circumfundit apex, alta cupresse, tuus.
Nec foliosa deest, in leniafrigora, Ficus ;
Dulcis frigoribûs, dulcior illa dape !
Hac igitur sedisse juvat sub fronde, vel illâ :
Qualiscunque, velim SYLVA sit umbra mihi !
Hîc lubet, in summis acuenti collibus aures,
Alituum varios edidicisse modos ;
Hîc audire, petrâ toties interpole fractas ,
Oelaâci querulas prætereuntis aquas.
JAMQUE dies, mediâ cœli regione peractâ ,
Ad sua defrænat prandia, Solis equos :
Hinc Phœbi lentâ torpent statione quadrigæ :
Pendet & ingratâ temo, rotæque, morâ.
Nos quoque quid prohibet, pransum deflectere ? Pone
Pone, sub hac, aut hac Vite catilla, puer.
In Viridi mensas ineamus GRAMINE. Quid tum ?
QUÆ Natura facit stromata, sola placent.
Fercula non curo , calidis modò rapta culinis :
Vas hoc hesternæ fert analecta gulæ.
Frigida grata magis sunt fercla , fluentibus æstu :
QUID Calor in calidis ? Ignis in igne, facit ?
SED nunc (tempus enim, restinguere gutturis Ætnam
Aere quæ parte i fumat, & usta, siti)
Adriacâ mihi de glacie , crystallina præbe
Cymbia. Nolo, levi pocula ducta Vitrô.
Hîc tibi Vina licet parcis invergere guttis :
SEX, puto, sufficiunt; seu (tamen adde,) Decem ;
Insidiosius enim vicini montis Iacchus ,
Leutachii torquet palmitis imbre caput.
AUT nihil, aut Modicè, febrium modò transfuga, potet
Et , quodcunque bibet , temperet Arte merum.

ARS erit, ad numerum, cyathos corrumpere fonte;
Et validum gelidis frangere nectar aquis.
Ars erit, (& quis non hanc novit Apitius artem?)
Debilitare putri Vina merica Nive.
O, mihi Caucasiis aliquis de rupibus ales,
Sive Niphatæô portet ab axe, Gelu!
O quis, Sithoniô glaciatos rore Decembres,
Sive det, Ossa, tuos? sive det, Hæme, tuos?
Quis, Libani summo defractis vertice brumas,
In mea, lentifluis lapsibus, haustra liquat?
VOTA sed in longum quid, nil revehentia, mitto?
Quid Syrios montes, Assyriósque, cito?
Tangimus, ecce, manu vicinam nubibus Alpem:
Sive sit Alcidæ, sive sit illa JOVIS.
I, puer, antrorsum. JOVIS ingens, ecce, CACUMEN!
(Torta licèt via sit, scande,) quod opto, dabit.
Æquævas illic, etiam Saturnia barba,
Inveniet glacies; inveniétque Nives.
Curre, vola. Quin; siste, mane! Nimis arduus alti
Montis apex, PUERI respuit esse LABOR.
Excandescenti, viden', ut pallore nivescat?
Despiciátque sui te Gravitate jugi?
Nempe; VIRUM poscunt Alpes. Pudet, orbis Atlantas,
A pede, post Divos, pumilione teri.
Quare, ne tibi, ne mihi sis, scopulísve, molestus;
Desine, NATIVAS quærere velle NIVES.
ARTIFICI potiùs spumosa coagula Lacte,
Ex quacunque casa proximiore, pete.
Villica (dic) tumidas siphonibus impleat ollas,
Qui lapidi rorent eluvione seri.
In patinam, lenti jaculetur flumina lactis;
Sic tamen, ut largô bulla tumore natet.
Tunc, ubi crebra cavis aspergo canalibus acta,
Surget, ut hyberni verticis alba coma;
Inspergat Brasilíque salis, cannæque, pruinam.
Hæc erit, Æstivâ sub dape, NIX, &, Hyems.
Hanc, quòd tam calido sub Sole repentè voraci
Exhaustam patinis experiêre gulâ;

Non

Non erit iſta gulæ, ſed mira culpa merendæ:
Se volet ipſa rapi : ſe volet, eſſe Nihil.
Temporis in puncto, primis vix tacta labellis,
Vaneſcet gracili daps fugitiva cibô.
Et meritò! Nam, ſive Nivem dicamus edulem:
Seu magè Delicias; DELICUISSE, decet.

ELEGIA XV.

Hiſtorica.

S. MARIÆ AD NIVES, BASILICA.

Hiſtoriæ Argumentum.

LIBERIO Summo Pontifice, IOANNES PATRITIUS Romanus, & VXOR pari nobilitate, cùm liberos non ſuſcepiſſent, quos bonorum Hæredes relinquerent; ſuam hæreditatem Sanctiſſimæ Virgini, DEI MATRI, voverunt: ab ea ſummîs precibus aſſiduè petentes, ut, in quod pium opus eam pecuniam potiſſimùm erogari vellet; aliquo modo ſignificaret. Quorum preces & vota, ex animo facta, Beata Virgo MARIA benignè audiens, miraculo comprobavit. NONIS igitur AUGUSTI, quo tempore in Vrbe maximi calores eſſe ſolent: noctu NIX partem collis Exquilini contexit. Quâ nocte, Dei Mater SEPARATIM Ioannem & Conjugem in ſomnis admonuit: ut, Quem locum NIVE conſperſum viderent, in eo Eccleſiam ædificarent; quæ MARIAE VIRGINIS nomine dedicaretur. Se enim ità velle ab ipſis Hæredem inſtitui. Quod Ioannes ad LIBERIUM Pontificẽ detulit: qui, idem

per

per somnium sibi contigisse, affirmavit. Quare, sollemni Sacerdotum & populi supplicatione ad collem venit, NIVE coopertum: & in eo, locum Ecclesiæ designavit; quæ Ioannis & Vxoris pecuniâ exstructa est.

Ex Breviario Romano, ejusdem verbis.

NUnc Mariæ mihi MAIORIS referatur origo;
Quam, toties Magnā, plus NIVIS auget honos.
PATRITIOS inter, primâ de classe, Quirites,
JOANNES, raro sanguine, clarus erat;
Clarior at superûm cultu, morúmque nitore.
Par huic, connubii juncta ROSILLA fide.
Census opum grandis, generi certabat utrimque.
Sed, QUID in extincta dos facit ampla domo?
Extinctam cum stirpe domum dabat, orbus & exspes,
Seu thalamus Nuptæ, seu fuit ille Viri.
Jámque peractus erat fœcundi terminus ævi:
Non erat hæc, Mater; non erat ille, Pater.
QVID facimus? (prior Hic mœstam solatur) omitte,
Nil profecturô, pignora velle, torô.
Cœli, si placet id, posthac utamur Amore:
Et Solô. COELI non erit Orbus amor.
Hæredis si fortè coquit te cura, Rosilla;
Hæres, ÆTERNI-FILIA-PATRIS, erit.
Dixit. & in mentem, Dominam pertraxit, eandem:
Hæres, IN-SOLIDUM, scribitur alma Parens;
ALMA PARENS! (addunt) faveas! ac vota Tuorum,
Quàm Rata sunt nobis, tam tibi Grata velis!
Ede tuæ liquidum mentis, per somnia, testem;
Per, tibi transscriptas, quid tibi fiat opes?
TALIBUS orabant calamô; sed crebriùs, ore.
EX ANIMO fusas, audiit illa preces.
NOX erat: Instabant, redituri Solis ad ortum,
Sextiles Nonæ, præcalidúsque vapor.
VIRGO (certa fides!) stellatas deserit arces;
Cui, pars astrorum plurima, facta comes.

Patri-

Patritium venit in thalamum; thalamúsque reluxit:
Et CASTUM, cœli forma, Cubile fuit.
Cœlibe carpebant somnos, Vir & Illa, quiete;
SECUBITU Votum fassus uterque suum.
VIRGINEIS oculis placuit Disjunctio sancta;
SIC tegat Electos, lectus uterque, meos!
Imperturbatô requiescat uterque sopore!
(Submissô dixit Regia Virgo sonô.)
Moxque, pedes suspensa suos, comitúmque suorum;
Ne charum strepitûs terreat aura caput;
JOANNES! (ait) & meritis, & Nominis ipso
Grate mihi titulò, grate favore meì!
En, ego, quam toties in vota precésque citâsti,
E superis adsto conspicienda plagis!
Talis, & hìs longè, quæ cernis, amœnior astris,
Sidereos inter fulgeo Virgo choros.
Ergò tuus nostro bene se dispensat Amori;
(Dummodo, quô cœpit, tramite pergat) Amor.
Perget: & ad metam veniet culménque Bonorum;
SI mihi nunc Culmen, si struet ille Tholum.
Námq; domum, templúmve volo; quod Nomine ponas,
Nate, meo: ponas asse, vel ære, meô.
Si Templi fundum (NEC enim locus omnibus omnis
Congruit) inquiris; Manè relinque thorum:
EXQVILIASQUE petens, Quintâ-Regione, macellô
Non procùl à LIVI, Collis aprica tene!
Invenies Collem. Solis licèt ignibus ustum,
Non tamen æstivi Solis habere notam.
Namque locum Scythicæ conspersi vellere brumæ,
Et NIVE nocturnâ. Cætera, rore madent.
NIX tibi sit, nostræ fundamen sedis & Ædis:
Sit mensura domûs. Quà jacet illa, strue.
Imponant alii Pariis pometa columnis.
Montibus imponant, marmoribúsque, lares.
Templa super scopulos, super arcta-bitumine saxa;
Quernáque tigna supèr, gossypiúmque, locent!
Unumquemque decent sua fundamenta. MARIÆ
Est, super INTACTAS ædificare NIVES!

SIC monuit; monitóque Viro, Regina recessit,
Ad stratum veniens, casta Rosilla, tuum.
TE, sibi dilectam, non deteriore medullâ,
Imbuit alloquii melle, favóque, pari.
POST hos, Liberii Lateranas tendit ad arces:
Hic dabat Ausoniis tunc pia jura Sacris.
Quod duo, dictatîs Dominæ, didicêre clientes;
REX quoque Sacrorum doctiùs ipse capit.
JAMQUE novo pingebat aquas Aurora rubore;
Pingebat roseô culmina summa die.
Excutiunt oculis somnum, sua corpora lectis;
Ac narrant somnos nuptaque vírque suos.
Constitit; Esse pares verbis, & imagine, somnos.
Liberii tectum Pontificale petunt.
VIR subit, & Solus: (Nec enim Laterana Puellis
Porta dat introitum) Consona visa refert.
Nec minùs Iste refert, nullo sua dissona gesto,
Somnia. mox; Plusquam somnia, dixit, erant!
Unus, (&, in tenebris) potuit sopor, Error haberi;
Ac deceptrici credulitate capi.
Nunc Triplici sub teste fidem, neque sidera damnant.
I, (ait) ac MAGNÆ perfice Matris opus!
Haud mora. consurgunt: pompámq; trahente, Sacrorũ
Præside, supplicuô plebs coit ampla pede.
Purpurei veniunt proceres, matrésque, patrésque.
PATRITIUS, castâ cum pare, ducit iter.
Jámque sub Exqvilias pervenerat agmen. Et, ecce!
Exqvilias altâ sparserat aura NIVE.
Ac, pars collis, Hyems stabat; pars nudior, Æstas:
Quam nimius, Solis torruit igne, calor.
Agnovit Templíque locum, spatiúmque locandi:
Terque Pedô signans, ter Cruce, mysta jugum;
Hîc (ait,) hîs metis, hôc limite ponitor Ædes!
Ponitur; ac positæ, Nix BASIS, ædis erat.
Romulidis placuit: placuit pia fabrica Cœlo.
UNDE Novatori displicuisse potest?
Stulte, quid antiquæ garris in MARMORA Romæ?
Terrarum dominô te premet illa pede.

Ex-

Exqvilias, clivique sacri, quid acumina vexas?
Quisqvilias potiùs verro fimósque tuos.
Non, Veteris nos fama rei non nomina fallunt:
Historiæ solidò stat Mariana gradu.
A Se, Candorem Veri NIX duxit: Ab Annis,
Robora crystalli; PERSPICUAMQUE Fidem.

ELEGIA XVI.

S. MARIA MAJOR.



Argumentum.

Cur MARIÆ MAJORIS *appellatione Basi-*
ca NIVIUM *insignita fuerit; ipsa* DEIPA-
A *poëtæ explicat, exemplo Templorum &*
Ediũ MARIANARUM, *in Urbe suburbiisq;*

Monacensibus: ac præcipuè ÆDIS *supremæ seu, Collegiatæ, Beatissimæ Virginis, eádem in Urbe eminentis.*

HACTENUS est Templi memorata Nivalis origo;
Nunc Tituli superest, Caussa canenda mihi.
Cur igitur MAIOR, Niveâ sit in æde, Maria?
Ipsa rudem calamum, magna Patrona, doce.
Post Numen, tu Cuncta potes: propiúsque petitus
Fontibus ex ipsis, plus mihi sermo placet.
SIC ego. Sic VIRGO, manifesto lucida Sole
Visa (sed, interiùs? num foris illa? latet;)
QUOD petis, hoc (inquit) posset tibi Roma referre,
Nominis, ô, Vates & citharœde, mei!
Roma, manu-ducto circùm sua limina, posset
Cum sacris Caussas pandere cardinibus.
SED quoniam procul est te nunc Urbs, Tu procul urbe:
Te doceat templis BOICA ROMA suis.
En! hæc (scribentem quæ te fovet, atque canentem,)
Metropolis Bavari religiosa soli;
Templa, Meis non una videt, non-una frequentat
Cultibus, & castis structa Sacella Sacris.
Ut taceam, privîs positas in sedibus Aras;
Ac prócerum, Mariæ sub pietate, Lares:
Nomine sub Matris, victoris PRINCIPIS Aula;
Nomine sub simili Gymnados Aula, nitet.
Lumine de nostro, signis ac nomine tracto,
Augustinææ fulgurat Ara domûs.
CRYPTA mihi; mihi, vicinis adnexa sepulcris,
(Urbis ad Occiduæ mœnia,) fana litant.
Quid tibi, marmoreâ surgentem mole COLUMNAM?
Aut, quid inauratum fabor epistylion?
VIRGINIS ac PUERI, rutilo certantia Sole,
Ærea quæ mediô stant simulacra FORO?
Sub nostris stant hæc titulis, & jure patrono;
PRÆSIDE sic jubeor Sceptra vibrare manu.

Hæc

Hæc urbis (vel plura) Meæ, mea culmina cernes.
Adde, Suburbani proxima regna situs.
Austrinis Isaræ recubans in vallibus Ædes,
VIRGINIS &- VALLIS nomina juncta, tenet.
Dextera pars Isaræ, pratensibus inclyta Tempê;
AUXILIATRICIS limina Matris habet.
Boï superes si clivum montis, & arva;
LAURETUM Picens, dat tibi Bojus ager.
Multa meis igitur Fastigia surgere regnis;
Multa MONACÆA, Vota, videbis humô.
Omnibus his, MARIÆ Titulus præfigitur aris:
MAGNA quidem cunctis (sim licèt Una) vocor.
Sed mihi, tam densâ Domuum semente mearum,
ALTIOR est, reliquis omnibus, Una Domus.
Turribus hæc geminis, longéque patentibus, Urbe
E mediâ, profert imperiosa caput.
Hæc tibi nota quidem, sed enim mihi notior Ædes,
Grande triumphat OPUS: grandius, Arce meâ.
Hîc habito: Mariæque licèt sint tota MONACI
Mœnia; MAIOR, in hac arce. MARIA color.
QUÆ tibi de Boicæ templis dissolvimus Urbis;
Hæc de Romulea, non secus Urbe, tene.
Multa meis passim fuerant data limina Sacris;
NIX Æstiva dedit quod mihi, MAIUS erat.
Dixit. Et in superas, cum Sole, revanuit auras:
Dixisses, Ipsum phasma, fuisse NIVEM.
SIC, medios inter RADIOS (ne cernere possem)
COLLIGUIT, cœli dum petit Illa plagas.
Sed tamen abscedens, suaves difflavit Odores;
Ac, Nivis è medio, VER dedit atque ROSAS.

ELEGIA XVII.

Parænetico-Hiſtorica.

S. LEOPOLDI AUSTRII NEOBURGUM.

Argumentum.

TIMOLEON quidam, amicitiæ veteris fiduc mutuâ, ab Auctore per Epiſtolam expetier conſilium; De bonis ac facultatibus ſuis qu nam ageret, Hæredis ſpe, ex ſterili matrimon deſtitutus? Quæ memoriæ ſuæ diuturniora m nimenta probaret? quánam impendii viâ con pendioſiùs clariúſque, etiam poſt ſua fata, in h minum notitiâ ſuperviveret?

Hujc Poëta auctor eſt; ut facultates & copi ſuas Vxoríſque, piâ munificentiâ, partim ege tibus, partim templorum fabricis impendat: a ductis, pro ædium Sacrarum commendation Ioannis Patricii Romani, in Maria Majore co ſtruendâ, & Divi LEOPOLDI Agnetiſque, Ma chionum Auſtriacorum, laudatiſſimis exempl

Eorum primum nos Elegiâ XV. præcede te, ſumus exſecuti. Poſterioris hiſtoriam, Ioa nes Bonifacius in Virginali, l.2.cap.ult. Franci Patavus, in Oratione, habitâ coram Sum: Po tif: Innocentio, pluréſque alii, deſcripſerun Suo quiſque ſtylo. Poſt quos, rem in ſynop collectam, viſum eſt, noſtrâ quoque Miner depingere: Proſâ priùs, & Humanâ diction

deind

deinde (quod Libri professio poscebat) Pedibus illigatâ.

Ex Agnete igitur Imperatoris Romani filiâ, Matronâ sanctissima, Divus LEOPOLDUS, Austriæ Marchio, cognomento PIUS, filios sustulerat Octodecim. Neque tamen, proles tam numerosa, imminuere potuit ejus familiarem in Pauperes liberalitatem: ac ne magnificentiam quidem in ponendis Templis. Post Deum, DEIPARÆ uterque studio addictissimi, frequenter ac seriò non modò cogitabant, sed etiam colloquebantur; Quo maximè loco cordi esset, Ædem Virgini sacram strui? Ambigentibus, mira res intervénit. Nam quodam die, inter utriúsque deambulationem, Venti cœlô immissi impetu, ablatum Marchionissæ Velum, seu Flammeum, de capite in loca incognita, vis occulta asportavit. diúque indagantes, qui missi erant, re denique infectâ desperatáque, redierunt. Et AGNES eventui pariter ac jacturæ acquievit. Ecce autem! Nono post anno, dum animi gratiâ campos sylvásque LEOPOLDUS obequitat; in uxoris Flammeolum incidit. id integrum etiamnum repertum, omníque ex parte illæsum, lætus lætæ reportavit. Placuit tandem, miraculo attonitis, illic ædem condi DEIPARÆ; ubi prodigiosè reconditum latuisset, tam chari DEO, capitis Involucrum. Templum igitur, utroque locatore conjuge, strui cœptum est, in Ripa Danubii, octavo à Vienna lapide: quod principiò Sæcularibus (ut appellant,) postea Religione devinctis, Canonicis, ab ipsomet LEOPOLDO, & Innocentio II. Pont. Max. commissum est; Celebre religione Monasterium: quod Neoburgi hodiéque appellatione, Veterem Pietatem Novis semper incrementis propágat.

CONSILIUM.

QVAM mihi misisti, cùm parcat Epistola verbis;
Non tamen ingenii parca, nec artis, erat.
Viceni (neque tot forsan) sinè carmine versus,
Cæsarei mihi sunt Anti-Catonis opus.

Non

Non pede connexi, non ubere Pallade longi;
Sed sensu stricti, sed brevitate graves.
Perlegi decies, decies rediturus eodem;
Ni respondendi præpediisset onus.
Lator enim stimulat: tempus jubet, & tua charta;
Quæ, Responderi flagitat, ABSQUE-MORA!
Agnoscis tua verba, mei nunc juris & oris?
Quod petis ABSQUE MORA; si properâro, feres:
Ignoscésque, styli (VENIAM Properata merentur,)
Seu quis nævus erit, seu sinè lege calor.
CUM tibi præcisus sit Posteritatis elenchus,
Quem, patre Te, texant Filius, atque nepos:
De Nummis, fundísque rogas, ac censibus amplis;
QUOD facias, quò te FAMA LOQUATUR, opus
Quæ monimenta probem; quæ marmora? quasve Co
Quâ Pompâ valeas Ire per ora Virûm? (lumnas
Hic ego quæsitis respondeo, lege Laconum,
Pæne tribus verbis. Scribere plura vetor.
QUID tibi cum Fama? Cava sunt crepitacula Famæ
SuB Styge Flent multi, quos tamen ista Canit.
Quid tibi cum Pompa? quid cum Splendore fugaci?
DuM tumet, ac splendet, spumea bulla; perit.
Quid ventosus amas, hominum Volitare PER ORA
NIL levius Foliis: & tamen illa Volant.
Cur tua busta tegent altis monimenta Colossis?
Si tu sulphurei Valle premêre lacûs?
Cur, Oneraturum, statues, te MARMOR? An? Ull
Ne pro te voveat; SIT TIBI TERRA LEVIS!
DENIQUE, Quod teneam, de vestris ritè locandis
Censibus arbitrium? Quid mea sensa rogas?
Nummis, in promptu, tibi sunt oracula. NUMEN
Si Cons, & Sequitor: strictaque jussa, tene.
DA tua Pauperibus. Dantem, thesaurus in astris,
Arcaque fida, manet: Debitor, ipse Deus.
Hæredem scribes summum, sub Egente Tonantem;
Cui data, ceu lucrò credita, fœnus alunt.
PAUPER (ut hoc etiam, non dissimulanter, adhort
In plateis passim, PAUPER UBIQVE, JACET.

o.lige(ſiquid agis)per agros,& in Urbe,JACENTEM:
Collectíque famem paſce, ſitímque riga.
veſtes rigidô, tunicis involve, Decembrì:
Detrahe captivo vincula Maura pedi.
.adatur viduis, pupillis proſtet apertum,
Non, Os eloquiô; ſed, gravis ære, Manus.
ut indotatæ (ſed adultæ) Virginis, aurô
Forma maritetur. Lena repulſa, gemat.
onidum ſtudiis, tener innutritor ephebus:
Sacrorum ſtudiis, apta juventa Sacris.
OSPITA (ſi placet hoc) Vir & Uxor, condite tecta:
Hæc ſua Matronis; tu ſua tecta, Viris.
ut Pia (ſi lubet hoc) educite culmina cœlo:
Dote ſuâ conjunx; cenſibus ipſe tuis.

EXEMPLA PATRITII, AC S. LEOPOLDI.

O vos Patritii moneant exempla Qviritis;
Cujus ab Æſtivæ ſtat NIVE dîa Domus.
iminis, in partem, ſtructi Vir ſumptibus ivit:
Impenſis partim cenſibus, uxor iit.
Quin neque veſtratis vobis documenta, vel Urbis,
Vel gentis deſunt. Publica geſta cano.
ANNONII Princeps (quà Pannonas alluit Iſter)
Limitis, Auſtriadûm lux, LEOPOLDUS, erat.
Par iſti pietate fuit, par ſanguine, Conjunx:
Dives, & Auguſtô nobilis AGNA patre.
AGNA, thori pulcrum, ſed Cœlli pulcrius, aſtrum;
Quâ neque nuptarum Caſtior ulla fuit.
Qua neque Fertilior (qua ſors eſt rarior) ulla:
Pignore, bis novies, principe Mater erat.
Vix uterus tandem ſtetit, ac ſpes fœta reſedit;
QUID ſupereſt? (inquit.) Partubus inſtat Hyems.
Præteriêre meis Auctumni fructibus apti:
Poſt bis nata novem pignora, Lecte, vale!
Jam ſatis eſt., nebiſcue tori, natiſque peculI;
Ut, quibus it tanta, res erit ampla, domô.
Cuj reliquas ſervamus opes, Leopolde? MARIAM,
Arbitror, HÆREDEM ſcribimus. Eſto ratum!

Dixit. Et hujc concors Leopoldus; Scribe MARIAM:
Esto ratum! Votis annuat illa tuis!
Signa det; in quósnam patrimonia deputet usus?
Orat idem, Conjux; &, dare signa, jubet.
Fortè, suæ quondam digressi mœnibus aulæ,
Danubii dextris adspatiantur aquis.
It placido comes Agna Viro; comes iste, Maritæ:
Quæ vovêre priùs, vota precésque novant;
DA Signum, da, Virgo, notas! Ubi censibus Hæres
Esse velis nostris? quâ pietate velis?
Clamabant; lacrymæque Viro, lacrymæque fluebant
Agneti. roseas tinxerat unda genas.
Clamorem lacrymásque pias, pius audiit æther:
Interpres superùm, velifer Ales adest.
Ales, erat, VENTUS: qui præpete flamine lapsus,
Verticis Agnæi byssina Vela tulit;
Turbine corripiens vittæ venerabile culmen,
Et, capitis casti signa modesta, Peplum.
Illa quidem clamat. Sed, inexorabilis Auster,
Verbáque clamantis, flammeolumque, rapit.
Rapta (quod obstupeas!) non est quærentibus usquã,
Vel pede, vel famulâ Vitta reperta manu.
Nec gemmas spoliata tamen deplorat, & aurum,
(Pinxerat ablatam plurima gemma mitram)
Sed doluit, raræ Caussas latitare rapinæ;
Donec, compositâ mente, quievit Hera.
Delérant animis pridem, Vir, & Illa, calyptram.
Conclamata suis, ecce, calyptra redIt!
Tot messes ierant, quot prægnat fœmina menses;
Auctumni totidem; tótque roseta nova.
Ingreditur, curas fallens, nemus Austrius Heros:
Et frutices, Dominâ non comitante, subit.
Est locus, octavæ distans regione columnæ;
Anteriórque tuô, culta VIENNA, solô:
Invenit hic, summis hærentia Pepla vepretis;
Integra, non cœlô, non violata situ.
Ad dominas inventa manus, celer ipse reportat:
Et Nuptæ lætus collocat ipse comis.

Lætior

Lætior illa, manus ad sidera sustulit ambas:
Atque; LOCUS TEMPLI sit, locus iste mitræ!
Sic effata, jubet laxum tibi surgere Fanum,
Illâ, Virgo, basî; cuj nota, VITTA, fuit.
Stat moles: hodiéque, micans procùl ardua, debet
Agnetis Capiti, Tollere posse caput.
SEU tibi Patritios igitur, seu sumpseris Agnas,
Austriadásque, seqvi: quos imiteris, habes.
CONSILIUM posui. TU, quod dabit usus agendū,
Hoc age! SED, DITES (heu) pigra Febris agit!
UTILE consultum, fit avaris Futile! TE, si
MORBUS hic insedit; mox (fugit hora,) VALE!

SPICILEGIUM.

LEVITICI *Capite 23. v. 22.*

Postquam Messueritis segetem terræ vestræ: non Secabitis eam, usque ad solum; nec remanentes SPICAS colligetis: Sed Pauperibus,& Peregrinis, dimittetis eas. EGO sum Dominus DEUS vester!.

His similia præcipiuntur, Levitici 19. v. 9. Et Deuteronomii 24. Versu 19.

ELEGIA XVIII.

AD DO: EVCLIONEM, SENEM astrictum: Messorem strictissimum.

OMNIBUS hæc rebus, fixo ſtat regula clavô;
NE QUID (namq; nocent im̃oderata) NIMIS!
Suſpendamus, eho, ſtrictas-nimis, Euclio, Falces!
Quid decalvabis tonſor acerbus agrum?
Decalvabit Hyems. Sed & hæc, te juſtior, ipſa,
Canitiem ruri, ſubſtituétque Nives.
DEFALCARE tibi permittunt Jura. Sed, ipſas
Abmordere fibras, te, tua Jura vetant.
Ferrea luna tuam; non, ſæva Novacula, dextram:
Meſſis; non, ſegetum Carnificina, decet.
Tu tamen hæc audis. Sed, utramque ſupinus in aurem,
Noſtra, ſoporatis ſenſibus, ora fugis.
Inſuper & raſtro ſéqueris, dextráque, metentes;
Nulla tuas fallit SPICA relicta manus.
Et raſtri ſtrictura tui, præſegmina radit.
O, Everriculum, beſtia, lynx, & aper!
Lynx oculis, aper ore, trucî fera beſtia ſenſu!
QUID jam caſſitis, paſſeribúſque, manet?
SED tamen, Eſuriant paſſer, caſſitáque! PAUPER,
Pauper Spicilegâ ſe cibat unde manu?
Quid viduata viro? genitore quid Orbus, habebit?
Unde diem, propriô pulſus ab orbe, trahet?
TAM rigidè dum pectis agrum, dum grana recenſes;
Non lucrum ſéqueris, ſed, nova damna, pater.
O pater! ô pumex! ô ſiccior, Euclio, cornû!
Paullinas audi, Dives avare, tubas.
Parcè qui ſpargit, metet & SATA ſemina parcè!
Quomodo, tam Parcè qui Metit, ergò feret?
Scilicet, in Silicem ſua ſemina mittet, & Auſtros;
Ac, ſeges illa Culex; &, ſata Pulvis erunt.
Siquid erit natum, madidi robigine Solis,
Grandinis aut plagis, interitura, puta.
Quàm libet ergò tenax, verras, rapiaſque, metáſque;
Collector ſatis hîc vix oculatus eris.
Nam, qui, Poſt Tergum nequid tua cura relinquat,
Sollicitè prorsùm vérteris, atque rettò:
Negligis, heu Unum, miſer Euclio! Reſtitat, ac Te
Numinis, A TERGO, vindicis ira manet.

ELE-

ELEGIA XIX.

Hiſtorica.

RUTHÆ SPICILEGÆ RESIDUUM, CAPITIBUS *II, III, & IV.*



Argumentum.

RUTH *Capite 2 à Verſu 1.*

ERAT autem VIRO (Noëmæ) conſanguineus, homo potens, & magnarũ opum, nomine BOOZ. Dixítque RUTH Moabitis ad Socrum ſuam; Si jubes, vadam in agrum, & COLLIGAM SPICAS, quæ fugerint manus metentium: ubicunq; clementis in me patrisfamilias repperero gratiam. Cuj illa reſpondit; Vade, filia mea. Abiit itaque, & colligebat Spicas, poſt terga metentium.

AD Metam propè, Musa, volas: finémque canendi,
ÆSTIVÆ sensim Palladis urget opus.
Quæ tibi cœpta fuit, sed non expleta, Moabis;
Dicatur brevibus, quàm potè, RUTHA modis.
UT patrii tetigit laris Ellimelechias urbem;
Ac notam subiit, fletibus uda, domum:
Jam pridem resides instaurat fomite flammas;
Hebræóque novos instruit igne focos.
Sed, QUID flamma tibi? quid dat focus, igne coruscus?
Si tibi deêst, &, quod, mater, &, unde, coquas?
Deficitur tua farre simul penus, atque farinâ:
Et tuus, (à nullo consitus) aret ager.
Restat, ut Esurias (nec enim languentia, victum
Quærere, membra sinunt) túque, comésque tua.
Scilicet, id reliquum fuerat. Sed, ad omne parata
Obsequium socrús, stat Nabathæa nurus.
Hæc, invecta famis, jam tum pallentia solvens
Ora, prius vernâ floridiora rosâ;
Si vis, mater, (ait) capiam robusta laborem:
Tempora sunt messis. Flens ait illa; Volo.
Subjicit hæc; SPICAS post terga metentia quæram,
(SI sinis) atque legam. Flens ait illa; Sino.
Rutha, domum linquens; Eo, si tamen annuis (inquit)
Quà sinar. Et socrus huic; Annuo, (dixit) Abi.
ERGO, cannabinâ scapulas circumdata perâ,
In rus Bethlemium pergit Eoa nurus:
Inflexoque sequens Messores, farra ligantes,
Corpore; non-lectas sedula tollit opes:
Parvas illa quidem, nec, Opum pro nomine: Sed, FIT
Pauperibus quodvis, res Opulenta, lucrum.
Tam modici studiô lucri, neque RUTHA laborem,
Nec fugit Icarii flammea rostra Canis.
Perstat: &, Auroræ cœptum cum fulgure primo,
Strenua, cum media luce, perurget opus.

RUTH *Capite 2. à Versu 3.*

ACCIDIT autem, ut ager ille haberet dominum,

num, nomine Booz; qui erat de cognatione Elimelech. Et, ecce, ipse veniebat de Bethlehem: dixitque messoribus; DOMINUS VOBISCUM! Qui responderunt ei; BENEDICAT TIBI DOMINUS! Dixitque Booz juveni, qui messoribus præerat; Cujus est hæc Puella? Cui respondit: HAEC est MOABITIS, quæ venit cum Noëmi, de regione Moabitide: & rogavit, ut SPICAS colligeret REMANENTES, sequens messorum vestigia. Et de manè, usque nunc, stat in agro; & nec ad momentum quidem domum reversa est.

Fortè tulit Numen (NEC enim Dea Cæca, piorum
Fata regit,) dominî ne trucis esset ager.
Nam, quæ Spicilegó Peregrina labore terebat,
Illa Boozæi jugera juris erant.
Dives opum, morum placidus, cœlébsque Boozus,
Ellimelechææ stírpsque propinqua domûs;
Ipse superveniens, positâ Gravitate; TONANTIS
Optat OPEM famulis, optat Avere, suis.
Nec minùs hi, Bene Patrono, fundóque, precati;
Ingenium domini mite, solíque, canunt.
Sed, nil laude suî Senior, nil carmine motus,
In RUTHÆ tacitum lumina figit opus;
Quódque, verecundô vultum demissa rubore,
Hoc AGERET solum, quod dabat usus, agi:
Quódque, nec à fluidâ Soles abstergere fronte;
Nec curvata foret membra levare, memor:
Pluraque, miratur. Nec erat temeraria visa
Quæstio Personæ, Nominis, atque Rei.
Nôsse sed, ex ipsa, temeraria visa, Puellâ,
Quæstio. Messorum cónvenit ergò ducem.
Et; CUJUS (rogat) ista Virî, Cujásve, Virago?
Hujc Juvenis promptô reddidit ista sonô;

O, Pater! ô, inquit, Si scires plura, stuperes:
Non tulit hoc rarum stirps Abrahæa genus.
HÆC EST (fama tuas hæc si tamen attigit aures,)
Illa Moabæis, Exul ab usque plagis.
HÆC est illa tuæ comes indivulsa Noëmmæ,
A vetitis tradux ad Sacra nostra Sacris.
Audîsses utinam, quàm supplice fronte rogârit,
Tollere quò nostris sparsa liceret agris?
Vidisses utinam! quàm, non inflexa labore,
Perpetuum flexo corpore trudat onus?
Manè fuit; venit. Caluit Sol; Perstitit. Arsit
Ille; nec ista minùs. SOL fugit; ista manet.
Et tamen, (ut sentis,) medii lux summa diei,
Ad maris Occidui littora flectet iter.

RUTH *Capite 2, à Versu 8.*

ET ait BOOZ ad RUTH; Audi, FILIA! ne vadas in alterum agrum, ad colligendum; nec recedas ab hoc loco: sed, jungere puellis meis; &, ubi messuerint, séquere. Mandavi enim pueris meis, ut nemo molestus sit tibi. SED, etiamsi sitieris; vade ad sarcinulas, & bibe aquas; de quibus & pueri bibunt. Quæ cadens in faciem suam, & adorans super terram, dixit ad eum; Vnde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos? & nôsse me dignareris Peregrinam mulierem?

TALIA dicentem, bibulâ stupet aure Boozus:
At non aure pari talia RUTHA capit.
Iamque, supercilii metuens, ac frontis herilis,
Est aliò vultum flectere visa suum:
Mox, etiam versura viam, diversa per arva.
SED prior, hanc placidô detinet ore, Senex:
Et sic; Quò te, Nata, pedes? Quo devia vanô
Fert via secessu? Quos petis (inquit) agros?

Quin

Quin potiùs, si nos (qui te non læsimus) audis;
Hîc remane: nec ab hoc jugere flecte pedem.
Et, quocunque meos spectabis rure metentes;
Hoc tibi rus, statio, sit labor, atque lucrum.
SIN tua fortè, Virûm præsentia, lumina lædat:
Hem, latus ad lævum, multa Puella metit.
Virginibus sic casta nurus sociabere castis:
Par operæ pretium, par tibi turba, dabit.
Nec Juvenes metuas, dextro tibi rure molestos.
Exulat è nostra mos procùl iste domo.
Præterea, mandata dedi, (mandaverat illis,
Dum timidô pallens cederet illa gradu)
NE quisquam, factóve tibi, dictóve severus,
Turbaret quæstûs sedula pensa tui.
Quòd si fortè tuas cruciaverit arida fauces,
Compulerítque, sitim pellere fonte, sitis;
Sarcinulis junctos accede latentibus utres;
Quos, contrà radios, mergitis umbra tegit.
Ephrathæ gelidas, potabis ab utribus, undas:
Et de Cisternæ tráduce rore bibes.
Tunc aude latus ad Juvenum divertere. Prostat,
Communis pueris virginibúsque latex.
FINIERAT. Placidi, spem præter, & extera jura,
RUTHA refrigerium sumpsit ab ore Senis.
Ergò, velut Regem, tantum venerata Patronum;
Procubuit genibus, procubuítque genis.
Et, quantùm docuêre Socrûs consortia longa,
Hebræô miscens Semi-Sabæa sonô;
O, (ait,) Heroum Sacræ non ultime Terræ!
Quæ mihi tam placidum te dedit alba dies?
Quásve tibi dignas referam, pro nectare, grates?
Nam, tua verba mihi dulcia, Nectar erant.
In ME, barbaricæ despectam stirpis alumnam,
Lumina vibrâsti, non sinè Sole, tua.
Nec contentus eô; Sexûs generísque profani,
Erigis alloquiô Notitiáque, nurum.

RUTH *Capite 2. à Versu 11.*

CVI ille respondit; Nuntiata sunt mihi omnia, quæ feceris Socrui tuæ, post mortem Viri tui: &, quòd reliqueris parentes tuos; & terram, in qua nata es: & veneris ad populũ, quem antea nesciebas, Reddat tibi DOMINUS, pro OPERE tuo! & PLENAM MERCEDEM RECIPIAS, à Domino, DEO Israël; ad quem venisti, &, sub cujus confugisti alas. Quæ ait; Inveni gratiam apud oculos tuos, Domine mi: qui consolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ; quæ non sum similis Vnius puellarum tuarum. Dixitque ad eam Booz; Quando hora vescendi fuerit, veni huc; & comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad messorum latus: & congessit polentam sibi. Comeditque, & saturata est; & tulit reliquias: Atque indè surrexit, ut SPICAS ex more colligeret. Præcepit autem Booz pueris suis, dicens; Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam: & de vestris quoque manipulis projicite de industria, & remanere permittite; ut absque rubore colligat: & colligentem nemo corripiat.

SIC ait. Hujc contrà placidè superintulit Heros;
NON malè Notitiam suggeris, atque, Nurum.
Neutra tibi temerè vox excidit. Omnia NOVI:
Téque Noëmmæam, res docet, esse Nurum.
Cælari Violæ nequeunt; produntur odore:
Cælari nequeunt Sidera; luce valent.

Inde

Inda diu neque bacca potest, neque gemma, latere;
Hanc nitor, ast Illam protrahit ipse rubor.
SIC neque sub latebris Virtus effecta senescit:
Conspicuum promit, nube premente, caput.
DE te Fama meas verax intulit in aures,
Obsequii quidquid prædicat ipsa Socrus.
RARA, socrus inter concordia sueta, nurúsque,
Æternum posthac Te paradigma dabit.
Bethlemiæ narrant matres, quid feceris Antè:
At, Nunc quid præstes, non tacet iste labor.
Fugisti natale solum, patrióque penates;
Gentis in ignotæ dum trahis arva pedem.
Quid tibi, pro tantæ, mea Filia, robore mentis?
Quid precer? E COELO præmia digna feras!
Ille Deus, Deus ille deùm, qui munera semper
Plura dat, acceptis: Sit ubi largus opum!
Ille sinu, quodcunque meres, defundat opimô;
Détque tibi, votis uberiora tuis.
Penset OPUS, pensetque tuos, in lance, Labores;
Non solam, tumidam credulitate, FIDEM.
ET dabit, & fundet, plenóque favore rependet,
Is, cui DIIS spretis, das pia thura, DEUS.
Ille, suis profugam, sub se, tutabitur alis;
Ne fias Stygiæ præda Columba strigis.
DESIERAT. Non illa tamen pudibunda, modestè
Desinit ore loqui: se FAMULAMQUE vocat.
Et Famulam, quavis, plebis de sorte, minorem;
Pluráque; quæ posset dicere Quarta Charis.
Movit: &, hôc animis influxit herilibus ore;
Dulcior Hybleis barbara Suada favis.
Ergò; Mei non sola soli datur (excipit ille)
Copia, vel spicæ, vel, tibi, dulcis aquæ:
Hoc meritis quoque dono tuis (Ne dona recusa
Vilia;) Convictrix, cùm vocat hora, veni!
Et, quacunque Mei vescentur, vescere pulte:
Quásque dapes sument, tu quoque sume dapes.
Nec pudeat, mediô fauces à Sole calentes,
Illinctûs acidi dissoluisse gelû.

HÆC

HÆC fatus Senior, longæ ftata prandia meffi
Vult interponi. Fit mora nulla, fedent.
Affidet his etiam (fed, ut Umbra precaria) RUTHA;
Mefforúmque tegit, non onerofa, latus.
Atque, fpei veluti nudô pafcatur odore;
De præconfumptâ lipfana pulte capit.
Porrectæque fibi, digitis, analecta polentæ,
Cultellóve fcabens; congerit arte dapem.
Congeftâ fruitur; neque multi Fæmina ventris,
Pafcitur. Hinc, faturô concipit ore preces.
Dux juvenum, tolli reliquum jubet, atque recondi,
In famis ac cœnæ tempora. Juffa facit.
Mox, opus ad folitum, pronófque reverfa labores;
Sollicitâ vacuat fpicea rura manu.
ET jam non tantùm rarô veftigat ariftas
Jugere difperfas, quifquiliafque fati.
Invenit hîc, illic, refides à falce, manîplos:
Ac pars fæpe replet fafcis, omiffa, manum.
Sparfit enim fafces ultrò citróque folutos,
Haud fecus ac lapfum pondus, amica cohors.
Scilicet ifta fuis dederat mandata Patronus;
Tecta recenfitô dum fua rure petit.
Nam, tacito Juvenes hortans, famuláfque, fufurrô;
Seu juvet hanc (inquit) falcis opella, metat.
Seu magìs ex oculo petat indagante lucellum;
Far legat elapfum; nec finè fruge legat.
Vos ipfi, fimulante manu, quafi défide curâ,
Spernite, dum legitis: fpargite lecta fata.
PAUPERTAS Generofa, rubet, Deprênfa. Cavete,
Refpiciat nequis, quid Peregrina levet?
Sparfa, reperta, relicta, trahat: quæftúque triumphet.
Nemo fit huic, oculis; fcommate nemo, gravis!

RUTH *Capite 2. à Verfu 17.*

COLLEGIT ergò in agro, ufque ad vefperam:
Et, quæ collegerat, virgâ cædens & excutiens,
invé-

invénit Hordei, quasi EPHI mensuram; id est
tres modios. Quos portans, reversa est in civ
tatem; & ostendit socrui suæ. Insuper protuli
& dedit ei, de reliquiis cibi sui, quo saturata fu
rat. Dixitque ei socrus sua; Vbi hodie colleg
sti? &, ubi fecisti opus? Sit Benedictus, qui m
sertus est tui. Indicavitque ei; apud quem esse
operata: & nomen dixit Viri; Quòd Booz voca
retur. Cuj respondit Noëmi; Benedictus sit
Domino! Quoniam eandem gratiã, quam pra
buerat VIVIS; servavit & MORTUIS. Rursúm
que ait; Propinquus noster est, homo. Et RUTH
Hoc quoque (inquit) præcepit mihi: ut tamdi
messoribus ejus jungerer; donec omnes segete
meterentur. Cuj dixit Socrus; Meliùs est, fil
mi: ut cum Puellis ejus exeas, ad metendum
Ne, in Alieno agro, quispiam resistat tibi. Iunc
est itaque Puellis Booz: & tamdiu cum eis me
suit; donec Hordea & Tritica in horreis
conderentur.

Jusserat hic. Mandata facit messoria pubes.
Inscia, sic, faciles RUTHA reportat opes.
JAMQUE diem vesper versô claudebat Olympô;
Cum Spicis, operam claudit & Ista suam.
Indè, petens vacuum, quod fecerat area, septum,
Flava Boozæi lucra recenset agri.
Constabat, majora die, majoraque votis,
Exundare, gravi condita lucra sinu.
Exonerat: libransque manu pendentia forti
Tribula; robusto verbere grana terit.
Mox, siliquis excussa cavis, metitur. Et, ecce!
Nihacæ modii tres propè frugis, erant,

Surgit;

Surgit; &, impositas scapulis, asportat in urbem,
(Non-exspectato-jam pede) sera nurus. (qua
SERA redis! tamen, Unde redis? (socrus inquit)&,Ex
Sic onerata casâ? (namque videbat onus)
Quisquis is, aut ea sit; Felix, sine nubibus, ævum,
Labis & intactos exigat ille dies!
Qui miseram placidâ respexit fronte puellam;
Æthere defensus, nesciat ESSE MISER!
Hæc socrus. Hujc contrà tenerô nurus optima sensu,
Relliquias pultis, blandáque verba, refert;
O, ait, ô, mater! Quem dicit Ephratha BOOZUM;
Ille mihi spicas, rúsque, dapésque, dedit.
Plura relaturam, socrus impedit; Alma-Potestas
Numinis! (exclamat,) terrigenûmque Pater!
DA meritis, da, quæso,Seni, pro talibus, Orbo,
Quidquid habere Pater vellet, & Orbus amat.
DA, quodcunque solet Pietas tam firma mereri.
Is fovit, vitæ dum tulit aura, Meos.
Nunc quoque, barbaricâ pridem regione sepultos,
Non animis etiam vult sepelire suis:
Oblitámque, timet, generi subducere dextram;
Et bustis, Rarô servat Amore fidem.
Jure quidem facit ista Senex, quô debet, AMICUS;
Sed, Quotaquæque colit Funus AMICITIA?
Hic tamen est nobis, ut erat, sic nunc quoq, constans;
Insuper & nostris sanguine junctus avis:
Hoc, te nôsse, juvet, mea filia! Dixit. At illa;
ET juvat, & refert, hinc quoque nôsse Virum.
Jus mihi discedens fecit (retulêre Puellæ)
Falcis; &, in messem mittere posse manus;
Plena quoad totam collegerit area messem.
Hic te consiliô, mater, adesse decet.
CONSILIUM probo (mater ait.) Nunc,nata,quiesce:
Cras mete; tótque dies, quot seges ipsa petet.
Vade! Boozæis te junge puella puellis;
Invidiæ ne sint Extera rura tibi.
Insuper (Ut nunc est,probra dicere prompta,Juventus,)
Allo-theum carpant, Arabiúmque genus:

Et,

Et, pro Spicilega, dicant fortaſſe, Locuſtam,
Aut Populatricem. Non ità rara Senis.
Pace Senex, &, Pace domus mitiſſima gaudet,
Falcibus hæc ſolis; ſed, bona-Bella, gerit.

RUTH *Caput III. & IV. in compendium redacta.*

TALIBUS hortanti, paret generoſa Moabis:
Vimineóque locat languida membra thorô.
Luce novâ, linquítque thorum; falcatáque prodit;
Notáque ſollicitâ demetit arva manu.
It labor in longum. Fit meſſis, & altera meſſis;
Hordea finierant. Tritica falce petunt.
Perpetuat Nabathæa ſuum ſtudioſa laborem:
Nec, niſi demeſſâ fertilitate, redit.
NUNC, quibus à reditu ſtudiis animoſa Noëmma,
Præſidium Nurui, quæſierítque thorum;
Eſt, memorare mihi, labor; eſt tibi, diſcere, lector,
Non fuit Hiſtoriam Muſa profeſſa mea.
Fingere Muſa timet dum Biblica geſta recenſet:
Interea, penitùs texere Geſta, fugit.
Sit ſatis hoc! Feciſſe Nurum mandata Noëmmæ:
Et caſtum caſtè ſollicitâſſe Senem.
Conjugis experti pariter, ſobolíſque, Boozo,
Virtus, &, placuit forma, Moabi, tua:
Sed, potior Virtus, &, DI cum gente relicti;
Præhabitúſque Tonans: ac,bene culta Socrus.
Jámque Pedum vinclis, & conjuge, ceſſerat alter,
Jura Moabitin cui propiora dabant.
Vincla Senex mutans, Sponſam ſibi NECTIT Eoam
Ac thalami ſtabilis conditione Ligat.
Stant menſæ: ſtruitúrque torus. Diverſus utrimque
Exitus. AD menſas turba colona ſalit:
Emeritámque canens Falcem, diſcinctaque laudans
Otia; Boôzigenas MILLE, precatur heio.
Immò, Quot in vaſto Segetes modò rure ſteterunt;
In ſegete; Spicæ; granáque farris, agrô.

AT

t thorus, ad novies revolutæ cornua Lunæ,
Edidit OBEDUM. Parvus, & Unus, erat:
Nec tamen agrestûm ceciderunt irrita vota.
CHRISTUS, ab hoc oriens, MILLIA multa dedit.
Hic, Electorum FRUMENTI (a) nobile granum, (b)
Prodiit à SPICIS, fœta Moabi, tuis.

(a) *Zacharia 9. v. 17.* ✶ (b) *Ioan. 12. v. 24.*

DEIPARA ASSVMPTA.

Vidi SPECIOSAM, sicut Columbam: ASCENDENTEM desuper RIVOS Aquarum.

ELEGIA XX.

DACTYLICA.

PARODIA *Introitûs Ecclesiastici, in Festo* ASSUMPTIONIS *decantari legiq; soliti.* GAUDEAMUS OMNES IN DOMINO, *&c.*

Cura, dolor, gemitus, lacrymæ, fuga, funera, luctus,
Symbola tristitiæ funebris; ite procul!
Gaudia, risus, amor, choreæ, joca, palma, triumphe;
Organa lætitiæ cœlitis; este propè!
Præfica, sandapylæ, pyra, tibia, nænia, pullæ;
Commaculare novum parcite, sorde, jubar.
Tympana, sistra, lyræ, citharæ, tuba, nablia, cannæ;
Versicolore sacrum pingite voce diem.

Hoc

Hoc jubar, iste Dies, Domine Dominæque dicatus;
Hujus ab auspiciis lumen, &, Hujus, habet.
Ergò, suas ab utroque faces quia ducit, &, ortum;
BIS-SACRA, plaudat Heri nomine, plaudat Heræ!
At chorus hic, pariter Superos, pariterque per Imos,
Ambulet. Exsiliant Sol, humus, aura, fretum!
Lætitiæque modos ineant volucrésque, feræque.
Sed, caput esto Feris, atque choragus, HOMO.
Vir, mulier, juvenis, senior, puer, atque puella,
Mobilis obsequii læta sub agmen eat.
Jungite mobilibus, sed, Amabile jungite carmen,
Obsequiis! Choreas pes agat, ora, manus!
Festus, Jô! venerandus, io! reseravit Olympus
Luciferi, solitô candidioris, iter.
Duplicibus celebrare lyris, Genialia fas est
GAUDIA, digna DEO, digna Parente Dei.
Namque Deus, Deus ipse (loquor celeberrima,) fertur,
Ætherias hodie deseruisse plagas.
Magna Dei-(cano certa,) Parens, super Astra levata,
Empyrias subiit, Prole trahente, domos.
Jámque tenet superi radiosa palatia regni,
Astráque, sub domino Regia VIRGO pede.
Terra procùl, gemitu Mariam lacrymante requirens,
Commoda, cum Nympha, tot sibi rapta, dolet.
Aurea sed, superûm modulamine, personat Aula:
Angelicóque fremunt Atria summa chorô.
Deliciis Seraphéa natant, Cherubeáque corda;
Quíque tenent solium, sceptráque fulva, Duces:
Quique tenent moderanda sibi, vice Principe, regna;
Quósq; penès DOMINUM nomen honósq;, sedent;
Et, quibus est tituli celeberrima gloria, Virtus;
Et, quibus est tituli gloria, POSSE, nova.
Omnibus his numerus legionibus ætheris ullus
Cùm nequeat, nequeant nomina certa, dari:
Dant numeris modulísque tamen sua nomina læti;
Harmoniæque tenet classica quisque suæ.
His Animæ sua castra piæ, sua cantica, jungunt;
Odáque disparibus sortibus, Una sonat.

Agmi-

Agminis hinc, Gabriel caput est, monitórque, canori;
Regius hinc fidicen, pastor, Ephratha, tuus.
Alter, ab alterius rapiunt metra consona chordis:
Alter ab alterius pendulus ore, canunt.
Hic præit, ille præit: Juvat hunc, juvat aulicus illum.
Ætheris ordo, sequax. Mobilis oda fluit.
Stellea, circumagunt modò Numinis, & modò Matris,
Atria, promeritum; Voxque relisa, redit. (alma
Pérque vices, modò (Numen, Ave!) modò, (Numinis
Mater, Ave!) repetunt; proléque Mater ovat.
Hæc, sobolis pietate suæ, super ardua cœli
Culmina, conspicuô jussa Sedere locô;
Stelligerô, procùl, è solio, radiante pyropis,
O, nimis ô, roseum spargit ab ore jubar.
Auricomúmque gerens trifidis diadema tiaris,
Ter-micat-Una, DEI Filia, Nupta, Parens.
Astra sacrum Duodena caput, duodenáque cingunt
Munera; non aliud cingere nata caput.
Hinc, alios aliásque procùl supereminet omnes:
Principis, hinc, Dominæ REGIUS ortus honos.
Ad teneros Rosa multa pedes, & odoribus halant
Lilia virgineis; caltháque blanda natat.
Et Violæ, Zephyríque rubræ, Zephyríque virentes;
Accumulantur opes; totáque Verna Charis:
Pomáque, siderii spolium nemorale vireti;
Ac, Paradisiaci ruris alumna, seges.
Hæc, mediô premit Illa situ: solióque triumphans,
Principe, cœlicolûm publica jura tenet.
Terrigenûm quoque jura capit; capit hostis Averni;
Bethsabeéque, suo cum Salomone, Regit.
Hujus amore fluens, & amoris ab igne liquescens;
Nititur, en, scapulis! DELICIASQUE trahit;
Lætitiámque bibit, fluviô bibitura perenni.
O, MEA sit cyathi, gutta vel Una, tui!
Fiet Aquæ, mea VIRGO, tuæ, licèt Unica gutta,
VENA mihi; mihi Fons carminis atque Mare.
Tunc, geniô superante, fluam. Mea, pumice Penna
Siccior, Oceanos, & freta plena, vomet.

TUNC,

TUNC, in honore tui modò sepia Nigra, tenáxque;
Candida, diluvio liberiore, ruet.
Immò ruens, simul alta petet: feriétque reclusa
Sidera; Cœlicolûm mystica verba canens.
Jámque feror: feror, ecce, suprà penetrale Tonantis!
Misceor Angelicis, Davidicísque choris.
Vos (rogo) dum canitis, Superi, date carmina fusa!
MUSICA longa, mihi longus OLYMPUS erit.

ELEGIA XXI.

DACTYLOMETRA.

Argumentum.

PARODIA VERBORUM ECCLESIÆ.

Quæ est Ista, quæ ASCENDIT, per DESERTUM, sicut virgula fumi, ex aromatibus Myrrhæ, & Thuris? Et, sicut dies Verni, circumdabant eam flores Rosarum; & Lilia convallium.

Compellatur insuper DEIPARA ASSUMPTA, *salutatúrque, plerisque Biblicis Symbolicisque titulis: qui partim in Canticis Canticorum, partim in* LITANIIS *B. Virginis uberioribus continentur. Ad extremum, ut Patrona, invocatur.*

EX ANGELORUM, AC COELITUM RELIQUORUM PERSONA.

Dicite, cœlicolæ! PER, inertia vomeris, arva;
Per loca sicca boni germinis, Ecqua venit?

Q Ecqua

Ecqua venit, tot amicta bonîs? tot amœna viretis?
  Cincta caput violis? cincta Puella rosîs?
Alta petens, quasi vivus odor? quasi virgula thuris?
  Aut, velut Assyrio fumida myrrha foco?
Scilicet, Una venit. Tamen omnibus unica Nymphe
  Major; & innumerâ dote referta sinum.
Dives, Ave! tibi cedit, opum penus, aula Tonantis.
  Quidquid enim tenet hæc, ditior ipsa tenes.
Tu (nisi, quod Deus esse nequis,) potes Omnia dici
  Cætera, quæ superæ circulus Arcis obit.
Tu, gravidata Deô; thalamus, domus, arca, fuisti:
  Nixa Deum; gremium Numinis, atque thronus.
TE dominæ solium Triados, dat eburnea Sedes.
  Regis es ætherii curia, rostra, forum.
Tu, face sidereâ radians, Animatus & Æther,
  Plejadiumque præis, Phosphoriúmque, jubar.
Tu patris Isacidæ Baculus, requiésque viarum.
  Tu, struis aëriæ, rectus in astra Gradus.
Tu nova, Gnossiacó radiosior orbe, Corona:
  Tu, geminis melior Stella marina Deis.
Stella Maris! neque certa minùs Cynosura phaseli!
  Quem rotat, in medio crebra procella solô.
Tu niveo Via melle natans, Via Lactea cœli:
  Ros hyperuraniæ, nectar, & imber, aquæ.
Tu, Babyloniacis Paradisus amœnior hortis;
  Et Paradisiaco lætior Hortus agrô.
Tu, miseris reseranda Reis, pia Porta Salutis:
  Limen es, & prothyron, Janua, clavis, iter.
Sidus, Ave! Tuus empyrium nitor iste nitorem
  Pascit; &, è radiis lux bibit illa tuis.
Non ità lux Oriens croceó rubet aurea peplo;
  Cùm tremulo reducem nuntiat igne diem.
Non ità Sol rutilô speciosus honore triumphat;
  Cùm, nebulis vacuô, spargit ab axe jubar.
Nec tibi plena pari micat æmula fulgure Luna;
  Luna, satellitii dúxque decúsque, sui.
Nec tibi versicolor simili nitet Iris amictu;
  Iris, in ætheriis pensilis arcus aquis.

Unica,

Unica, prægrederis faculas sinè labe Diurnas:
Unica, Noctivagas immaculata faces.
Aura salubris, Ave! Tepidi, tibi, blanda Favoni
Flamina se subigunt. Tu Zephyritis eris.
Aëris omne subis, pretiúmque, decúsque, vicésque,
Esse, quod Aura, potes: quod dedit illa, dare.
Tu Cypriô calidis, choleræque fluentibus æstu,
Mite Refrigerium, temperiésque, venis.
Tu Puerô, velut imbre gravis, sed agillima, Nubes,
Divite Niliacas perpluis amne plagas.
Exulibusque volans, super hospita Memphеos alîs
Rura; locum patriâ relligione rigas.
Tu, famis Isacidûm, Nabathæa per avia, nutrix;
Cumque tuæ Sobolis, nobile Manna, typô.
Tu, Gedeoniaci celeberrima Roris abolla:
Tu Nebulæ tacitô succida Lana gelû.
Tu Rubus, igne crepans: nec ab igne crepante solutus;
Flammáque, busta cavens: & Pyra, morte carens.
Germen, Ave! Genialis humi generosa propago,
Terráque fœta Deô, flos, ager, arva, nemus.
Floris Amygdalini rediviva cacumine Virga:
Prodigium stabilis Pontificale mitræ.
Vita, sub ambrosio nova semper, & integra, Lignô;
Quod viret, ac senii fata vitore novat.
Frondea Jessigenæ fruticis sata semine, Planta:
Davidicoque, tener surcule, nate solô.
Qualis in Ephramis Terebinthina vallibus umbra,
Temperat Icarii sidera sæva Canis;
Qualis &, Assyrias Platanus nemoralis ad undas,
Sede brevi reficit prætereuntis iter:
Talis es, in noxuos, Nasarëia Virgo, calores;
Præcipiti Requies, &, mora Grata, viæ.
Quàm tenerùm, Syriò lacrymans olet unguine Myrrha;
Quàm benè lene Arabô fragrat odore Styrax:
Quàm benè Thuris hiat, revolubilis aura, Sabæi;
Quàm benè flos ádoris, galbana, gutta, myron:
Tam bene, tam tenerùm redolet tua Gratia, Nymphe:
Hic tuus, & Zephyros, pratáque, delet, Odor.

Arbor, Ave! Tibi cedit ager, ſata, paſcua, valles;
Et, quodcunque nemus ceſpes Hebræus alit.
Altior es Libani, minitante cacumine, Cedris;
Sint licèt, in Libani vertice, mille cedri.
Comptior es nitidis, juga per Solymæa, Cupreſſis:
Per juga ſacra, licèt multa cupreſſus ovet.
Pulcrior es viridi, ſuper arva Cedronis, Olivâ;
Regia grande licèt nomen Oliva ferat.
Firmior es fluidis, ſuper uvida littora, Palmis;
Nomen Eoa licèt nobile palma gerat.
Svavè quidem Roſa creta rubet Jerichuntide glebâ;
Svaviùs at decies, Flos Mariane, rubes.
Mollè quidem, vepre cincta truci, nova Lilia rident;
Molliùs, ô, quoties! Frons Mariana, nites?
Balſama dulce fluunt, Arabum bene Cinnama ſudant;
Dulciùs, & meliùs, ſed fluit iſta Charis.
Vitis odor bonus eſt: at Aromata, gratiùs halant.
Præſtat utrique tamen VIRGINIS hujus Odor.
Myſtica Mater, Ave! Tot, ab orbis origine, ſignis,
Vaticiniſque typi picta tot antè notis.
Mons, Lapis unde ruit, ſinè vi, ſinè vulnere fabri;
Cujus ab immodico pondere, Regna jacent.
Tu Salomoniaci ſolidiſſima fabrica Templi;
Tu Salomoniacæ nobile ſedis Ebur.
Arca Noæ Veteris, patrii nova Fœderis Arca:
Quæ vehis hinc Hominem, quæ vehis indè Deum.
Navis, ab ætherii Maris eminus aggere ſolvens;
Mercibus, ac ſuperæ frugis onuſta dape.
Urbs, Prófugi ſub Aſyla, Rei: pedis Ara nocentis;
Ultima (poſt Sobolem,) metáque tuta, Fugæ.
Pulveris impatiens Speculum, maculæque peroſum:
Et, ſinè nube, Dies; &, ſinè nocte, Quies.
Horte ferax, ſed, Operte-ſeris. Aqva, clauſa ſigillo;
Et, ſinè ſorde, latex; &, ſinè Syrte, Mare.
Denique, Cuncta ſimul pretioſa, placentia, blanda;
Ac (quia Plena Deô) quà licet, OMNE-BONUM.
Virgo, parens, domitrix! hilara, ſuperintege, calca;
Aſtra, pios, Erebum; flore, favore, pede!

ELE-

ELEGIA XXII.

S. JOANNIS EVANGELISTÆ, *cum Moribunda* DEIPARA, *Colloquium.*



Argumentum.

AMORE LANGVEO.

Canticor. 2. v. 5.

Beatissimam DEIPARAM (*sicut & sanctissimam Matrem-* THERESIAM) *Amore potiùs in Deum; quàm Morbô senióve extinctam, Orthodoxa plurimorum Pietas, vetus pariter recentiórq., Credit passim, ac Tradit.*

PRÆ foribus, felix Mariani funeris hora,
Virgineæque fugax clepſydra Mortis, erat,
Totus Apoſtolici (Didymum modò deme) Senatûs,
Supremum lacrymans, cinxerat ordo thorum.
Quos inter medius, Zebedæô ſanguine cretus,
Semianimem miſerans fertur adortus Heram;
Nec minùs illa, trahens animæ licèt ultima fila,
Svaviter alternis uſquè locuta labris.
MATER! (Iôannes infit) mea Mater! abíſne?
Membráque ſolvuntur, quæ peperére DEUM?
Quid Morbi? Capitiſne ſacri, dolet illa, vel illa
Porrigo? CUI Virgo; Non Dolet (inquit:) AMO.
Num chiragræ, podagræve, tremit venerabile corpus.
Motibus inſolitis? Non Tremo (dixit:) AMO!
Hectica te flammat? num Febre cremaris acutâ,
Unde calore fluas? Non Cremor (inquit.) AMO!
Labéne cardiacâ ſuccuſſa, gravaris, ab immo
Pectore? Non, (ait hæc,) non Gravor intus. AMO.
Virgineóſne truci furiat nephritide lumbos
Calculus? Abſit (ait) Calculus! Urit AMOR.
Immeritúmne latus fodicat pleuritidos atrox
Lancea? Non (inquit) Lancea me; ſed, AMOR.
Spaſmatis an tremuli ſtrictos Convulſio nervos
Diſtinet? O (inquit) Spaſmus amicus, AMOR!
Aut animam tibi difficili ſuſpiria tardant
Aſthmate? Non (ait) eſt Aſthma; ſed, altus AMOR.
Hej, Mater! mea Mater! abis? & hiulca loquenti
Vox, magìs atque magìs, plenáque lingua, cadit?
Sic fugiunt oculi? ſic vivida vena quieſcit?
Sic abit in ſuperas ſpiritus ergò domos?
Sic móreris? nil reſpondes, extrema roganti?
Mater! Mater! (ait.) Suſtulit illa caput:
Ac breviter, placidéque genis, oculiſque renidens;
Fili, (dixit,) AMO! LANGVEO! SOLVOR! EO!
Talia, plena Deô, cùm diceret; EXSPIRAVIT.
Halitus eſt viſus dicere ſummus; AMO!
Tunc quoque, cùm ſummo migraret ſpiritus ore:
Non Morientis erat vultus; AMANTIS erat.

Et,

Et cùm, vivaci sinè Sanguine, membra jacerent;
Visus erat Spirans, esse cadaver, AMOR.
Cùmque locaretur scopuloso funus in antro;
Visus erat VIVENS, esse sepultus, AMOR.
Et miremur adhuc, Virgo; tribus indè peractis
Solibus, in VITAM membra redisse tua?
Ac, licèt invictis adamantina Saxa cavernis,
Obstarétque, strues prodigiosa, silex;
Evicisse tamen silicem, tumulúmque, necémque,
Ætheriásque Seras? OMNIA VINCIT, AMOR.

ELEGIA XXIII.

ΠΡΟΣΩΠΟΠΟΙΊΑ.

MARIA-VIRGO.

ἀναγραμματικῶς,

AMO-IRRIGUA.

Argumentum.

DEIPARA, *jam* ASSUMPTA, *explanat; Sevi Nominis sui, κατ' ἀναγραμματισμόν versati, tam in Terris olim, quàm nunc in Cœlestibus positam, ut plurimùm* AMASSE-IRRIGUA: *Axæ illius Biblicæ (Iosuæ 15. & Iudicum 1.) exemplô protypicô;* IRRIGUUM, *inquam* SUPERIUS, *& Irriguũ* INFERIUS. *Atque in Terris quidem, mistis Fletu crebrô gaudiis Innatâsse; quippe* LACRYMARUM VALLI *conveniente alternatione. In Cœlo verò jam circumfluere* TORRENTE VOLUPTA-

LUPTATIS *sempiternô. Ad quem proinde honestissimum* IRRIGUI-AMOREM, *Virgines omnes Virgo-Virginum invitat.*

AXÆ *porrò historia, quæ Elegiæ principio perstringitur; ex ipsis Sacrorum codicum fontibus exscripta; talis est.*

JUDICUM *Cap. 1. v. 12.*

DIXIT Chaleb; Qui percusserit Cariath-Sepher, & vastaverit eam: dabo ei Axam, filiam meam, Vxorem. Cúmque cepisset eam Othoniel, filius Cenez, frater Chaleb minor; dedit ei Axam, filiam suam, conjugem. Quam pergentem in itinere, monuit Vir suus; ut peteret à patre suo Agrum. Quæ, cùm suspirâsset, sedens in asino: dixit ei Chaleb; Quid habes? At illa respondit Da mihi benedictionem! Quia Terram ARENTEM dedisti mihi. Da & IRRIGUAM aquîs.
Dedit ergò ei Chaleb, IRRIGUUM SUPERIUS, & IRRIGUUM INFERIUS.

IPSA DEIPARA LOQUITUR.

CUM mihi Mors fuerit, cùm lux Vitalis, AMARE
Quæritis; Ecquis AMOR sit, fuerítque, meus
Discite, mortales, ex Nomine: discite Rebus.
Præ me, quidquid AMO, Nomine, Réque, fero
Ohthonielæô quondam Chalebæa puella
Pacta thoro, gemitu strinxit amante patrem:
Suspiránsque; Pater, pater! ô, pater! ARIDA (dixit
Atque nimis scabra, Dos est mihi Terra data.

Adde,

Adde, precor, Sicco, RIGUUM quoq; fontibus arvum!
Hactenus: & querulæ conticuêre preces.
Sed querulæ valuêre preces. pater optimus arvum
Hujc dedit, undisonis Vallibus IRRIGUUM.
Addidit, imbriferis Montana cacumina fœta
Nubibus. IRRIGUUM sic tulit AXA duplex.
ME quoque vix dispar (sed mysticus iste,) cupido,
Dotis & Undosæ semper adussit AMOR.
Nata, novam tetigi vixdum pede virgine terram;
Cùm jam tunc placuit Florida Matris humus.
Deliciúmque fuit, Nasaræi ruris obire,
Quæ, bene diribitô fonte, Roseta madent.
Jam tum Convalles, &, amœnis ebria rivis,
Lilia dilexi, Partheniásque nives.
Humida quin etiam Violaria, Bima, pererrans;
A violis didici, serpere, Parva sequens.
Trimula paullatim, Solymas templúmque subivi;
Hîc, Animus cœli Roscidus imbre fuit.
Indè redux, thalamoque (Viri sed nescia,) clausa;
Vatidicis sparsi pectoris Arva libris.
Plenáque sidereæ Charitos jam gurgite, plena
Numinis affluxu; pro Mariáque, MARE:
Plenior esse tamen, pluvióque beatior aurô
Cœpi; cùm FLUERET sub mea corda DEUS;
Cùm Gedeonæum, per opaca silentia, Vellus,
Fit meus, inspersus sideris IMBRE, sinus.
NASCITUR indè mihi, nonæ post cornua lunæ;
Rósque fit hic, fructus. nec sinè Fonte suo.
Nam, Pariens etiam, rigui vada Fontis amavi;
Dum subitus (a) Stabuli perluit antra latex.
Jam Puer ortus erat: Pueri vulgaverat ortum
Persica signiferâ Stella diserta face.
Hem, furiæ Regis! Fuga fit, subducitur Infans.
Linquitur à profugis, sanguine pingve, solum:
Niliacæ petimus Mataræos Memphcos hortos.
Hic quoque, mirificô prodiit Unda specu.
Fons (b) novus emersit. RIGUO recreamur ab antro,
Rus, Infans, Senior, vector Asellus, Ego.

Balsama procrescunt; fassura nepotibus olim,
Illicium nostræ dulce quietis, Aqvas.
Quid memorem, CALVÆ funestum nomine, Montem,
Sanguinis Undantem flumine, Nate, tui?
Hunc tamen ambivi maternô viscere, Montem:
Ac meus, ista fuit petra cruenta, Dolor.
Nec tamen abscessi, sed hiantia VULNERA vidi:
Ac meus, hoc fuerat cernere Flumen, Amor.
Tunc quoque, cùm totô flueret sacra flamma Sione:
Et bis sex fluerent Flaminis igne Viri:
Non tam Flamma mihi, non tam fuit ardor & Ignis;
Quàm, gelidi Fontis molle refrigerium.
HÆC, & plura, mei sunt argumenta caloris:
Ex quibus, IRRIGUI constet honestus AMOR.
Hoc tamen IRRIGUUM (Veniam da, Terra, fatenti!)
Triste ferè nobis, INFERIUSQUE, fuit.
Et meritò. Quid enim plueret, nisi FLETIBUS udum,
A madidis VALLIS nomen adepta genis?
IRRIGUUM juvat ergò sequi, post INFIMA prata,
ALTIUS: ac summi Fontis AMARE juga.
DESERTUS locus est, quidquid mihi Terra vocatur:
Ipse mihi, Sterilis fit, Solymæus ager.
Ipsa Cedronæi mihi sordet gurgitis alga.
CELSIUS IRRIGUUM nunc AMO. Terra, vale!
Hoc Amo, promisso quod nectaris amne rigatur;
Hoc Amo, quod semper virgine lacte natat.
Hoc sitio, quod melle fluit, sinè fæcibus Hyblæ;
Hoc spiro pratum, quod sinè nube madet.
Piscinas Esebonis habe tibi, terra Moabi!
Limpidioris Aquæ littus Olympus habet.
Stagna Palæstinæ Gadarena tenete columbæ:
Me meliore lavet dia Columba lacu!
Amne VOLUPTATIS, semper torrente, liquescam!
Delicier scatebris, Fons ego Vive, tuis!
Me Fluvii Vitæ crystallinus impleat haustus!
Cujus utrimque comans sylvula pingit aquas.
Nec satis. Oceanum TRIADOS volo. Jámq; potita
AFFLUO DELICIIS, Nixa, fruénsque, Deô.

Sic

Sic RIGUI Summi, sic Inferoris AMATRIX,
Colligor ex tituli, VIRGO-MARIA, notis.
Colligor ex Gestis. Neque Castas iste Puellas
Fœdat AMOR. VEL nil, Virginis ardor amet!
Aut amet æterni LECTOS, fuviosque VIRETI;
Siqua volet VIRGO, siqua MARIA, mori.

(a) *De Fonte, ex antro Stabuli Bethlehemitici, in* CHRISTI *ortu, erumpente, vide Adamannũ de situ terræ Sanctæ, & plurimos alios.* (b) *Fontis, in gratiam Infantiæ Christi, scaturientis in Horto Mataræo, Balsami ferace; testis est Felix Fabri in Itinerario, Adrichomius, Salignia cus, cum innumeris aliis, testibus oculatis.*

ELEGIA XXIV.

BETTONICÆ.

Deiparæ ASSUMPTÆ honoribus, Corolla destinata.

Argumentum.

Describitur color, odor, ac varia genera Florum; quos, Æstivo potissimùm sidere, vigentes, Latini Græcique BETTONICAS, *seu, Vettonicas: barbari verò, odoris aromatici similitudine inducti* CARYOPHYLLA, *appellant.*

In voce porrò BETTONICÆ *(ſicut & in Vettonica, eiuſdem ſignificationis nomine, Libro 2. Eleg. 5.) ſyllabam ſecundam ideò corripiendam duximus; quòd & Græci comprimiſque Botanographi, βετ7ονικὴν ſuam per ὀμικρὸν paſſim ſcribant: & ex noſtris, Septimius Seren. ac Prudentius, O, corripiant. Eſto; Vettonas, gentē Hiſpanicā (à qua flores iſti nomen & plantam trahunt) tam Lucano producere, quàm Straboni Hœſcheliano, per ὠμέγα, exprimere, placitum fuerit. Quæ admonere, ne ῥιζολογοτόμους offenderemus, conſultum viſum.*

AD HENRICUM CEPURGUM.

HÆC, quæ juncta rubent adytis topiaria ſacris,
  Quattuor æſtivis læta vireta toris:
Stant æſtûs, Henrice, tui, ſtant fructus, opellæ.
  Hôc tua, fert palmam Maſcula flore manus.
REX, Olerum nunc cultorem Pellæus, ab hortis
  Si citet ad Solium, Sidoniaſque mitras;
Diſpeream, tua ni probitas ſit digna Coronis!
  Qui, Rex ſi nolles, Regulus eſſe queas.
Ipſe tuos (ſic namque licet,) mirare labores:
  Té quoque, qui regnes, judice, dignus eris.
UNICA (quis credat?) peregrini plantula floris,
  Mille tamen ſpecies, nomina mille, refert.
Hanc primos coluiſſe ferunt Vectonas Iberos:
  Ex quo, BETTONICÆ nunc quoq; nomen habet.
FLOS eſt, multiplici foliorum turgidus orbe;
  Cuj ſerrat ſummas ſtellea forma comas.

Svavis

Svavis, ab incluſo vaginæ, ſpiritus, antro
Spargitur: ac, Zephyris blandior, aura fluit.
Ipſe Color, quanti Solis? quàm lucis amœnæ?
Quàm varius cerni? ZEUXIS in arte, jacet.
Vincit Apellæas FLORENS PICTURA tabellas.
Nomina deficiunt; nec tamen ipſe nitor.
Hic, miniô flagrat Hiſpanô, flos. Ille, draconis
Sanguine, vel Tyrii muricis amne, madet.
Bettonicas videas rutilas, ut ab ignibus aurum;
Atque rosâ tinctas, Coryciόve crocô.
Non abſunt, Libycô certantia germina coccô;
Non, quæ dilutô forma nitore fugit.
Et niveos video flores; lactíſque cruenti
Guttatos maculîs. nec Viror ipſe deeſt.
I, venerande Senex! &, cenſu germinis actô,
Omnibus ex illis ſelige, quidquid amas.
Poſtmodò, Divipatæ tria Serta tenerrima Nymphæ,
Necte; quibus Trifidæ mitra triumphet Heræ.
Hæc, Superûm Regina gerat, Terræque, Maríſque!
Hîs, decet ASSUMPTÆ-MATRIS ovare caput.
NEC mirêre; Tuo ſi Munere gaudeat Æther,
Summáque cœleſtes cingere VIRGO comas.
Conſcia jam pridem labor hic tuus, atque patrona,
ASTRA Penetravit. PER Nemus, aſtra ſubis;
Cœlicolúmque rapit nares, & lumina, Florum
Tam COLOR illuſtris, tam ſpatioſus ODOR.

ELEGIA XXV.

AD B. STANISLAUM KOSTKAM, SOCIET: JESU.

Argumentum.

Beatiſſimus hic Iuvenis, *Nobilitatis* POLONÆ, *Virtutis rariſſimæ, Vitæ funeriſque deſiderandi: quem* VIENNÆ *quondam Au-*

ſtriorum, cum febri depoſitâ luctantem, DEIPARA, Salus-Infirmorum, Filiolo ſuo onuſta, dignabundè inviſerat; Eandem poſtmodum, quaſi vicem redditurus obſequii, felix aſſecla, ſecutus eſt: Animâ actâ, vitaliſq; ſpiritûs Veſperâ decurſâ, DILUCULO *Aſſumptionis* MARIÆ.

SArmaticæ, Vivens fueras Novus Angelus oræ:
Incola nunc Cœli, STANESILAE, NOVUS.
Hoc quoque, quòd moriens morientē charus amantem,
Patronámq; cliens es comitatus Heram:
Multis (crede mihi) dos eſt Nova gloria Rara,
Inſolitúſque favor. Quid ſupereſſe poteſt?
Nempe, NOVIS Unum tot defuit; Intima cœli
Atria tranſvecto, NUMINIS ore frui.
Gratia, poſt Numen, reſtabat proxima! MATER
Numinis. En, ſaturâ ſtringis UTRUMQUE manu!
Jam Puerô gaudes; & gaudes Matre Puelli:
Jam tibi DELICIAS, hæc facit, ille facit.
SED (bene ſi memini,) faciebant has quoque VIVO;
Dum te Febre truci ſontica flamma coquit.
Tunc te, Conſpicuis viſerunt Vultibus. Ergò,
Illa tibi NOVITAS Unica, jam VETUS eſt!

NATALIS.

Geneſis 47. v. 9.

DIES peregrinationis Meæ PARVI, &, MALI.

ELE-

ELEGIA XXVI.

AUGUSTI MENSIS DIES VICESIMUS,

S. BERNARDO in Cœleſtibus; Poëtæ, in terra, Natalis.

Attingitur hiſtoria, de S. BERNARDO *Iuvene, ab hoſpitis filia ſollicitatô : &, inclamatîs latronibus.*

BERNARDO micat iſte Dies; quem lampada cœlo,
CLARA dedit-VALLIS, terrigeníſque Jubar:
Nec minùs intacti Speculum prælustre Pudoris,
Per medias tenebras, vafra fugata Venus.
HOSPITA Bernardus, nimis hoſtica, tecta tenebat;
Et mox, cœnatum, ſomnus, & alta quies;
En! juvenîs ſpecie, pellax illecta Lycóris,
Ad peregrina pedem ſtragula nocte tulit.
Inſtat; Acidaliô ſtimulata furore, rogátque
Cypridis obſcœnæ flagitioſa torum.
Excitus Juvenis; Quid, eho! ſocii? LATRONES!
LATRONES! Socios excitat. Illa, fugit.
Nuſquam vel Latro, vel, LATRONES. Pulſa Lycoris:
Quæ, licèt Una foret; non erat Una, LATRO.
Quiſquis enim jugulat, Semel hoc facit. At vaga Thais,
Séque, procúmque, facit buſta. BIS ergò necat.

ELE-

ELEGIA XXVII

PICTURA,

PUELLUM JESUM, & S. BERNARDUM, à DEIPARA *altrinsecus lactatos, repræsentans.*

PUERULUS.

QVÆ Coô pendet variata Tabella labore,
Historicam quantâ prædicat arte fidem ?
NYMPHA sedet, gracili nebularum fulta torali,
Et stellante poli cincta satellitiô.
Majestas Dominæ, quæ virgine lucet ab ore;
Adductâ, Matrem se quoque, fronte probat.
Nam pia, tracturis offert sua pectora labris;
Cùm patulo profert semirecta sinu.
Et tu Dextra quidem placuisti, mamma, Puello;
Qui simul esse potest NUMEN, & esse PUER.
Candida cuj velat puerilia corpora sindon,
(Quamvis, quod velet, nil, nisi Numen, habet:
Cætera nec cœlare pudor, neque lumina, cogunt;
OMNIA nam sanctus tegmina supplet Amor.)
Parvulus averso DEUS, à Spectantibus, ore,
In gremio Matris figit utrumque genu.
SED lævus dextrum Matris femur instat, & urget,
Poples; ut audaci scandat ad Uber ope.
Incumbit Matri totus; maternáque gestit,
(Ne fugiant,) cautâ stringere colla manu.
Dextrâ deinde manu, genitricis roscida mulget
Pectora; potanti, lac dare læta, Deo.
Applicat hic liquidæ sitientia guttura venæ;
Et bibit, ex Una virgine, Mille bona.
QUIS mihi nunc scribat liquidi mellita palati
Gaudia; sub quo jam LACTEA tota VIA est?

Quis

Quis mihi divinas, alabastrina vasa, papillas,
Laudibus ac meritis impleat, ut latice?
SED mihi, præ læva, celebretur Dextra mamilla;
Hanc solam bibulâ nam premit Ille morâ.
NON ità Vitali placuisset ab arbore succus;
Heu, frustrà senio natus, Adame, tuo!
Non ità prima rudem consopiit uva Noachum,
Duxit inexperti cùm nova musta cadi.
Nec tam svave fuit tibi, Dux, mulctrale Jahelis,
Sisara; quod mortis Ferrea porta fuit.
Nec tam mellifluô Sinaica petra liquore,
Proluit Isacidûm, Mose ciente, sitim.
Nec tam jucundo fòns Osseus ora sapore
Imbuit Herois, vel cava mella favi;
Quando laborantem pugnis Samsona, sitíque,
Dens Asininus aquis, & Leo melle, fovent.
Jonathidem tantùm non fregit Quercus orexin,
Cecropio quercus barbara rore fluens;
Quando tribunitiam mergens in nectare virgam,
Correxit longâ lumina fracta fame.
Denique; nec tanto sitiens absorbet amore,
Sive maris Titan, sive paludis aquas:
Non hac ingluvie liquidum Thavmantias arcum
Ebibit, aut pluvios arida terra Joves:
Quantùm tu cupido, PUER auree, ducis hiatu,
Quod Matris stillat Dextra scatebra tibi.

S. BERNARDUS.

AT juxtim Lævæ divina laguneula mammæ,
Os aliud, riguum traduce rore, facit:
(Scilicet, haud unquam vacat indulgentia Matris;
Et, quacunque vacat, prodigus undat amor!)
Hem tibi, furtivis adrepens Ubera plantis,
BERNARDUS, Claræ-gloria-Vallis, adest!
Ille quidem pedibus tacitis, presśisque retrorsum
Calcibus, in dubio; Cedat? an, instet? habet.
Hujus, Virgo-Parens, arentia cominus optet
Guttura, Parthenii tingere fonte sinûs.

Sed,

Sed ſpes tam virides ultro ſibi præſecat Ipſe;
DISPARE ſunt cauſsâ Natus, & Hoſpes, (ait)
Diſpare quin igitur ſint conditione bibendi?
Sit ſatis, ô, nobis, vel PROCÙL, iſte favor!
Ergò reluctantem longè ſalientibus implet
Uberis illecebris, lactea Virgo virum.
Hydria Viva, cavô MARIÆ de pectore, tanquam
Iride, nectareas ejaculatur aquas.
Spumeus erumpens, animoſis ſaltibus, humor,
Panda Senis, recto tramite, labra ferit:
Vixque poteſt totum Lactis concludere flumen
Ebrietas, omni Sobrietate prior.
SIC Virgo NUTRIX, inter Puerúmque, Senémque
Dividitur. Partem ſorbet uterque ſuam.
Nec Puerum fallit (quamvis meliore bibentem
Gurgite,) de lævo dulce quid amne trahi.
Hinc, oculum (quà fas) limum, ſuper Ubere pendens,
In corrivalem ſtringit avaritiam.
Invidiam ſed Diva cavet. Nam, Lactat UTRUMQUE;
UBERE ſed Genitrix Uberiore, DEUM.

ELEGIA XXVIII.

Genethliacon,

AD IVANUM SISIBELUM,

Eodem ſecum Anno, Die, Horâ, Sideréque Natum.

Se, communi libo & carmine, celebraturos NATALEM, *à primo ſui ortu,* QUADRAGESIMUM. *&, Cur jam pridem ipſe Caneſcat?*

AD ME, poſt Superos, lux hæc, & pertinet ad TE,
O vitæ conſors, dulcis IVANE, meæ!
Nam, quæ BERNARDUM, Divis Aurora migrantem
Tranſmiſit rutilans, inſerüitque choris; Hæc

Hæc eadem Me, Téque Nevos, nova pinxit in ortu;
Materni primum germer, onúſque, ſinûs.
Hæc matutini nictantes fugere Solis,
Juſſit, inaſſvetum fiere, pitíque Diem.
PRIMAQUE vivendi nobi fuit orbita, Sæcli
PRIMA. Sub Occaſum Virginis, annus erat.
At, prior hôc Janus, Jobelaam panderat Arcam;
Quam Tranſmittens tunc ſuſcipit Iſte ſinu.
TUNC bene cum Sacris ſtabat Res-juncta-Profana;
Dum CLEMENS pollet Clave, RODOLPHUS Avê.
ET nunc Iſte quidem ſe QUADRAGESIMUS, illo
Ex Anno, (quantùm degener Annus?) agit.
NE tamen hic (utcunque bono malè decolor ævo)
Abſque ſuis Sertis, aut inhonorus, eat;
NATALI ſaltem Genio, ſua Sacra feramus:
Verbáque dicamus, tempore digna ſuô.
Quæ, Bona ſi fuerint, ſint Vincta, fugámque recuſent;
Undeno maneant & benè Nexa Pede.
Sin mala; Sic etiam, Maneant! &, quas meruêre,
Squallida, ſub pedicis, carceribúſque, gemant.
JAM pridem Geticô caneſcit noſtra Decembri,
Et, coma, cygnæas provocat Alba comas.
Nec facit hoc Senii genius, totiéſque reductus
Iſte Genethliacis, in ſua Sacra, rotis:
Sed facit id, fœdè mutatum Temporis Aurum;
Ac lamnæ, ſemper deterioris, opus:
Et, toties ſtricti, ſplendentia fulgura Ferri.
POSSET, ab his, Ipſi Barba rigere JOVI.
Quæ ne vana putes, (nam Te quoque pungit, IVANE,
Omne Mei telum Temporis:) ACTA canam.
Ecce! QUATER Denos diſpono fideliter Annos!
Octo luſtra, quot (heu!) ſunt agitata malis?
Diſticha tot, Vitæ quot nos numeramus ariſtas,
Hiſtoriæ referent, ſingula, comma ſuæ.
Hoc, SERTUM Natale Tibi (ſi legeris,) eſto.
EST Roſa cum Spinis, Spina jugata Roſis:
AT, LIBUM NATALE Mihi, fiantque, MORETUM.
DULCIA ſunt tetricis, & Bona mixta malis.

ELE-

ELEGIA XXIX.

ΧΡΟΝΟΛΟΓΙΚΗ.



Gestorum Sæculi XVII. Synopsis.

Ab Anno Ivani Sisibéli. I. ad XLI. usq; deducta:

Singulis Distichîs, singulos Annos complexîs.

AD EUNDEM SISIBELUM.

Sexta, suprà DECIMAM, fatis concesserat ÆTAS;
Annaléſque novos cœperat Æra nova :

ANNO CHRISTI. 1601.

Astronomum Primi rapit anni Parca Tychonem.
Rex oritur Celtes. VVallachus ense cadit.

1602. Ex-

1602.

Excipit hunc MOSES, Ciculorum ductor; ut armis,
In Dacos, paribus; sic quoque cæde pari.

1603.

Interit è lapsu, Comitísque dolore necati,
Ac Thamesin Scoto nectit ELISA freto.

1604.

Spinola vincit aquas; Ostendaque porrigit Herbam.
Sveca Sudermannus Regna tetrarcha capit.

1605.

Livonas hinc patitur victores. BEZA Charontem,
Astra Leo, Paullus regna Leonis, adit.

1606.

Vezeliô melior, melioribus occubat umbris,
LIPSIUS. Innubi Fœdera pace silent.

1607.

Turbat opes pacis Danovverda: dat obruta pœnas.
BARONJ vivax, desIt in Astra, jubar.

1608.

SCALIGER hunc, Lachesî, sequitur, nō æthere, junctus;
ALTIOR est SCALIS talibus, illa via!

1609.

Tetra Crucis-glifcunt-ROSEÆ, sinè Numine, Sacra:
Juliaci, surgit lis nova, morte Ducis.

1610.

Galla Ravajllacio sternuntur LILIA cultrô.
Gomarus, in Batavis, Arminiúsque, furunt.

1611.

Svecica, morte patris, diademata sumit Adolphus:
Quæ, sibi deberi, Sarmata Marte probat.

1612.

Tutiùs Augustæ cidaris caput implicat aurô,
MATTHIAS, hæres, rapte Rodolphe, tuus.

1613.

Achmeten Batavus sociat sibi fœdere Turcam:
Cum Turcis Moscos, sica Cosacca premit.

1614. Mi-

1614.

Miſcet Aquiſgranum, ſciſsó malè cive, tumultus;
Fulmine quem Cæſar, Spinola Marte, domant.

1615.

Aula, ſub Ancræo Sejanum Gallica priſcum
Innovat. Is plumbo; Reſte ſed uxor, obit.

1616.

Clade labat variâ, Scythici Bellona tyranni;
Quam fugat, & mactat, Perſa, Coſaccus, Iber.

1617.

Islebidæ Jobelæa canunt. Sed Iberia luget;
Diluviô tellus dum Catalana natat.

1618.

FLURSIA, fit CASUS. Caſum facit, ardua Praga,
Præcipites Proceres. Plura, COMETA dabit.

1619.

Cæſaris interitum ſupplet FERNANDUS. At hujus
Bina, PALATINUS Sceptra, Gaborque, trahunt.

1620.

Raptores ultrix Nemeſis, (victoria BOII)
Subruit. Ad Geuſos, Regule pulſe, migras.

1621.

Rhenum frænat Iber. Turcos malè, Sarmata plectit.
Arma tonant TILLI; Bucquoiique, ſilent.

1622.

Strangulat Oſmanem, patruus Muſtapha. Tyranni
ORMUS Achæmenii, ſub pede, capta gemit.

1623.

Clavibus URBANUS decoratur: epomide Bojus;
Hâc ferat ut Pomum, quâ tulit Arma, manu.

1624.

Fulmen atrox, muros Tiberinæ disjicit urbis:
Cimbrorum Regem FOEDUS in Arma vocat;

1625.

Fœdus init. Plenis reclamat Cimbrica ventis.
REX Anglus, Batavo cum Duce, fata ſubit.

1626. Cæ-

1626.

Cæditur indè Danus: refugus domitatur Anassus;
MANSFELDIQUE jacent, ventre fluente, minæ.

1627.

Castra subit Danidûm Thurlacius, ac, tuba Pragæ
Turrius armatæ; Marte sed ambo nigrô.

1628.

Nam, ducibus cadit hîs, res CIMBRICA. Tillius, illis
Fit MARIUS. Boreæ Rex loca tuta petit:

1629.

Mox, meliùs, Pacem. Datur hæc; neque Cæsare sævô.
QUÆSO, Sit hæc concors, inter utrumque, quies!

1630.

MANTUA capta probat, quid sit, Turbare quietem?
Et, qui nunc Boreæ per freta Svecus adest.

1631.

SVECUS adest! Urbs, Virgo priùs, fit Thais &, ignis.
LIPSICA nos sternunt prælia. Somma flagrat.

1632.

TILLIUS à Fatis: SVECUS succumbit in Armis:
Siccâ morte, mali Fax, FEDERICUS obit.

1633.

Conduntur Gothico Gustavia funera cippô.
Sarmaticus patrium REX diadema subit.

1634.

FRIDLANDI latus hasta bibit; vomit ipse cruorem.
Nördlinganæ Gothô sanguine prata rubent.

1635.

Innumeros falx mortis agit, de funere, census.
Sæva lues Alios; Te Febris urit atrox.

1636.

Mascula BOJARICO proles, & digna Leonum,
Nascitur Heptarcho. POMIFER annus erat.

1637.

Hostis vastat agros. Alemannus, & Alsata, diram
Excipiunt, nullo vindice, Tisiphonem.

1638. Græ-

1638.

Græcia-Magna, tremit: Calabras tremor obruit urbes.
Pergama BRISACI, Major Ulysse, capit.

1639.

Zecchia persultat Ductor Panierius arva;
VINMARIUM fatis addit, acuta febris.

1640.

Sceptra Tagus, soliúmque novat: Pax, arma minatur.
Gurgitis hinc bifidi volvit Iberus aquas.

1641.

Evastat, trepidásque fugat Panierius, urbes;
Pocula mox Lethés, Febris in igne, Bibit.

* *

ANNALES nostræ sunt hi, Sisibele, diætæ;
In quibus est Albæ plurima caussa Comæ.
Quid restet; non tarda Dies, sed, tempora cùm sint
Turbida, NOX (utinam, Somnia nuda!) dabit.

*

PSITTACUS.

Ubi ſunt, qui dominantur ſuper beſtias, quæ ſunt ſuper terram? Qui in AVIBVS Cœli ludunt?

Baruch 3. Verſu. 16. & 17.

ELEGIA XXX.

ΠΡΟΣΩΠΟΠΟΙΙ'Α.

PARÆNETICA, DACTYLICA.

Argumentum.

RUTHA *Moabitis, quæ, Libri Primi Elegiâ alterâ, Poëtam ad* ÆSTIVA *conſcribenda impulerat; ex Tapete Phrygii operis, Proſopopœjæ beneficio, diſſerens: nunc ejuſdem Schematis iteratâ gratiâ, loquitur ex Imagine, quam ſubjunctam vides, Chalcographicâ.*

phicâ. Ac Primò quidem, se voti compotem damnatámque, gratulatur; posteaquam utique totum propemodum RUTHÆ *Libellum elegiacâ videt paraphrasi expressum. Reddit deinde cultûs, oris, vestitúsque, & utensilium suorum, rationem: Imaginis symbola, per minutias & singulatim, explicat: Lectorem ad Labores indefessos incitat, Exemplo partim suo; partim fructuum Præmiorúmque (cœlestium maximè ac futurorum) veridicâ pollicitatione. Valedictura demum, à* PSITTACI, *Ceraso insidentis, icone, ad ipsius quoque celebranda Gesta, & elegantias, invitatur. Cui* RUTHA *libens acquiescit.*


Kilian

RUTHA LECTOREM ALLOQUITUR.

PRincipium, ſtimulúſque Libri (Phrygionis in Arte)
Nunc quoque calx Operis, Rutha ſub ære, loquar.
Munifico Superûm ſtudiô, Genióque poëtæ,
Quod mea vota ſibi præſtituêre; Ferunt.
Ore cani Clariô volui: canor ore Thaliæ.
Eſſe frequens petii carminis Anſa: Fui.
Artis, &, Ingenii gemino celebrata duellô,
Fingor Apollineâ; Pingor Apellis, ope.
Hujus ab articulis juveneſco, refoſſa, ſub ære:
Illius à modulis diſcor, & (opto) legar.
Qualis in Æſtiferi ſonor undique Menſibus Anni;
Talis & hîc oculis ſto meditanda tuis.
Vivida perſpicuo rutilat mihi pupula nictu:
Scilicet, hac acie JOVA videndus erat.
Bacca, monile, roſæ, ſtria, tænia, ſectáque byſſus,
Sciſſáque barbaricô, me decet, Ala modô.
NEMPE, docet patriam, mea ſyntheſis iſta, Moabin:
Quàmque, notat, VARIUS ſit meus iſte Liber.
Nam, velut hîc Syrius ſociatur amictus Hebræo;
Sic Elegia Sacræ miſta Profana, ſonat.
Seria plura tamen Levibus, Sacra plura Profanis;
SIT procùl à Sophiæ ſcurra poëta Sacris!
Dextra, Sinúſque ferax, Cerealia tritica geſtant:
Poſtmodo, pro Cereris numine, RUTHA canar.
Far quoque Saccus habet; ſed adhuc hiat, ore recluſo;
I, lege, ſive Librum, ſive novale: patent.
SI tamen eſſe putas (poteríſque, quod opto, putare)
Majus opus; Teneras Meſſe gravare manus:
Majus opus, mihi crede, dabit tibi ferrea Meſſis;
HINC quoque, ponè pedes FALX jacet apta meos:
Sed, ſimul Herba jacet. Veto, ſit Tua Meſſis in Herba!
Illa ſuam potiùs flava coloret agrum.
Tempora, canitiemque ſuam, ſua funera nôrit:
Fiat ei tua Falx funus, & atra dies.

Demete; ſed, Proprium. SCELUS eſt, Aliena ſiligo:
Demete; ſed Propriâ (Fallit AMICA!) manu.
Sudet opus! veteríſque novus labor eſto laboris;
Circuitúque recens irrequietus eat.
Sto, monitrix operis, Nurus officioſa Noëmmæ;
Quæ, neque Picta quidem, rus ſinè mole colo.
Stant quoque; qui, petaſo faciles, habilíque theriſtro,
De pede, de genibus, Fœmina Vírque metunt:
Dulce levamen erunt tibi Fons, tibi plena lagena;
Stramineóque teres cauſia noſtra cyclô.
Dulcior ex operis veniet quoque limite fructus;
Dives opum regio, Regia dives opum.
Quóſq; procùl, ſuper aſtra vides propè ſurgere Montes:
Hîc tibi Campus; ibi, plenus Olympus, erunt.
Nunc quoque, dum fragili trahitur brevis halitus aurâ;
Nutat & inſtabili vita caduca gradu:
Conſtat honorifico tamen hîc ſua Palma labori:
Palmáque (ni refugis) quælibet Arbor erit.
Sed magis iſta tamen, folio genialis, & umbrâ,
Tam ſpecie Ceraſus, quàm placitura botris:
Nobilis Icarii, Ceraſus rubra, temporis index.
Tunc flat in medio Julius axe calor.
Tunc gelidum capiti tegimen coma frondea nectit;
Tantaleámque fugat ſuccida bacca Sitim.
BACCA tamen, Foliúmque, quid eſt? niſi Symbola ſola?
Symbola ſiderei, quo potiêre, boni.
Ambroſias Superûm, Ceraſi notat unio, cœnas:
In Folio, Superûm Laurus honórque latent.
Reſtat, ut Arripias. Ego, te præitura Prehendo
(Adſpice!) frondilegâ munus utrumque manu.
Adſpice; ſed, Séquitor! Stat adhuc, & amaret haberi
Arbor ab innumeris, prompta ſequaxque, volis.
EXPOSUI (niſi fallor) Agrum, velut antè poëta;
Explicuique, fabro quidquid in ære noto.
Nec, puto, præterii penès Icona, fuſa parerga:
Ergò (quod eſt reliquum,) Lector amice, VALE.
SIC ego finieram, reditúmque ſub Aſtra parabam.
Injicit at réduci PSITTACUS, ecce, moras!

Pſitta-

Psittacus, arborei super ardua termitis hærens.
Pæne, silens, animum fugerat ille meum.
Nunc, ubi præteritam dominæ videt ore volucrem,
Assolitam dominum semper obire latus;
Prosilit, & dolet, ac memorem mihi vellicat aurem;
Mutáque, cum querulo murmure, rostra movet.
Psittacus (inquit) Ubi? Taceor? Bene suggeris (inquã)
Te quoque, Cur propè sis, &, Tua facta, canam.
Det modo se facilem, nova languidus ad metra, Lector,
AD Viridem, faciam, mens revirescat Avem.

ELEGIA XXXI.

DACTYLICA.

PSITTACUS MYTHO-PHYSICUS.

Argumentum.

Refert RUTHA, *quæ, quámq; multiplices conjunctionis caussæ, se inter &* PSITTACUM, *intercedant: ex eo generatim, quòd* ÆSTATIS *uterque amans, Æstivarúmque regionum & Frugum appetens; Morum quasi similitudine quadam conglutinentur. Particulatim autem: quòd volucrem hanc, Moabitici deserti filiam (ipsa quoq; ex urbe, quam* PETRAM *Deserti nominant* Biblicæ, *chorographicæq; litteræ, in extremis Moabitarum finibus, oriunda) ceperit; cùm etiamnum Gentilitiis involuta tenebris, puel-*

laribus annis floreret: captam nutrierit, docuerit, informârit, profectu disciplinæ nunquam pœnitendô. Subjungit; quo subinde casu, cùm ipsa Socrum suam, Bethlehemum redeuntem, esset secuta, PSITTACUS *è Moabitide regione eódem avolârit: Quæ ibi, ex eo, exilii sui sólatia; quas Boozæa familia universa oblectationes, perceperit: donec fato deniq; concederet.* HÆC *porrò* CONFICTA *sunt. Cæterùm, quo Poëseos jure & æquitate; ex Parécbasi Historicâ, quam stylo solutiore* ELEGIÆ *toti subjungemus, intelligetur. Nunc, priusquam* CARMEN *exordiamur, aliquantulum etiam* PARECBASI *Physica, Lectoris bonô, indulgeamus.*

De PSITTACI Natura, cæterísque connexis,

PARECBASIS, SEU DIGRESSIO, PHYSIOLOGICA.

ÆSTATIS extremam lineam PSITTACUS occupavit, Æstivis meritò Deliciis annumerandus. Quanquam enim, pleræque AVES, aprico ferè Sudóque cœlo gaudent; cujus per Julium Augustúmque menses, apertius esse theatrum solet: Hæc tamen Volucris, præ cæteris Hyberna fugit loca; & his, si importetur, nisi sollertissimo percurata studiô, vel intabescit, vel immoritur. Suo certè vigori nunquam, in Borealibus

ſibus æquè; atq;, in Africæ Aſiæque ſylvis, conſtat. Calenti æſtivóque Sole pariter ac Solo oblectatur: Legumina, fructus arboreos, fruges ſegetum, grana pomorum, (Orientalium maximè, Perſidíſque;) nuces tam juglandes quàm myriſticas, atque etiam Glandes, Æſtivi ſideris annonas, diripit & depaſcitur. Præ cæteris tamen Meſſium proventibus, inſatiabili avaritiâ Cnicum ſectatur, ſeu Crocum Saracenicum (quem Cárdamon Græci nominant) Oryzam Indicam, & frumentum ſiliginémque feraciorum regionum. Quo proinde titulo, non inter furaces tantùm Feras, ſed etiam, SPICILEGAS & Frumentatrices, ac NOXAM FACIENTES Bipedes, collocandus eſt PSITTACUS: Eſto; Vilibus ſubinde (Naſone teſte) minimíſque contentus alimentîs.

HUNC porrò Græci vetuſtiores Σιττακὸν, & ψιττακόν, necnon Βίττακον, & ψιττάκην, dicunt: Recentiores, Παπαγάν; Itali, pluréſque linguæ, Papagallon: Æthiopes, Parſiſtam; Hiſpani, Galli, Germani, Papegayum, nominant. quorum vocabulorum, quæ concinnioris ſoni ſunt, & ad Romanam Atticámve inflexionem tractabiliora, Delectum fieri in Carmine, variationis gratiâ, conſultum viſum: ne ſemper tam nos Lectori Pſittacum, quàm Pſittacus Cæſari ſuum χαῖρε, ad uſque faſtidium ingeminaremus.

Fuerunt autem hæ volucres, jam indè ab Alexandri Macedonis ætate, Europæis notæ; ex Taprobana, Indicarum inſularum celeberrimâ, per Oneſicratem advectæ. Nec ferè deinceps, per aliquammulta ſæcula, aliunde, quàm ex Indis, ad nos translatæ. Neq; tamen illic ſolùm natas putes. In ultimis Syriæ finibus (qui Arabum, Nabathæorum, & Moabitarum ſunt) progenerari, Diodorus eſt auctor. In Libya, Æthiopibus, Americâ, populoſo numero provenire, tradunt; qui indè quotidie vel referunt, vel renavigant.

Colore porrò ſunt ut plurimùm VIRIDI (cujus

commendatione, etiam ἀντονομαστικῶς AVIS VIRIDIS nuncupatione gloriantur.) Sunt tamen & Psittaci Candidi, aliarúmque à natura tincturarum, &, Viridi mixtó, Discolores: ad Tanassarim comprimis, Indorum urbem; ad quam longè pulcherrimi, septem colorum certante varietate, tanquam Iridis cœlestis æmulatione, spectantur. Eorum disciplina, vox, mores, ad naturæ planè miraculum, memorabiles: intrà tamen humanæ præstantiæ terminos. Nec enim Scaligero credideris, aut illi, ex quo Scaliger exscripsit: qui, PSITTACOS non discere duntaxat, sed INTELLIGERE prorsus, & ad EROTEMATA Sapienter respondere, perhibet. In Fabulis quoque (sicut non pauca alia Auctoris hujus) sinè scrupulo deputaveris; quod Joannes Montevillanus narrat, Libro (ni fallor) Peregrinationum Orientalium, Ad mare Æthiopiæ, quod Arenosum vocant, PSITTACORUM genus reperiri, cuj Sex in pedibus singulis Digituli: quibus Natura, mirabili liberalitate, concesserit, ultrò sinè Doctore, & articulatè, LOQVI: sermonéque non solùm Humano, sed etiam Hospitali prætereuntes atque obvios, spontè, nullóq; instigante, consalutare. Vana hæc, & transmarina! Vera autem, & experimentis liquida quotidianis; Discere PSITTACOS Humanum sermonem, & Imitari. Quanquam enim genuinam, & ab ovo natam Vocem, aliam non protrudant, quàm, PARROQVET! seu, PERROCHET! (cujus frequentatione, etiam PARROQVETI, aut PERROCHETI Gallis, præter Papegayos, dicuntur) tamen sollertis Institutoris curâ Barbarismum hunc dedocti, gradatim, quidquid inculcaveris, arripiunt: ac, tempore laborem perficiente, non ad loquentiam modo & garrulitatem, sed ad qualemqualem Eloquentiam, præsertímque brevem, perveniunt. Quo nomine, etiam Diserti Hominis Symbolum, Hieroglyphicâ notatione, meruerunt. &, antiquorum ævo, MERCURII tutelæ sacra-

ſacrati ſunt; quòd præ cæteris Avibus locutione celebres, Hominem ſaperent.

SED ad hanc Linguæ Diſciplinam, & Delectu opus, priuſquam inſtituas: &, poſteaquam delegeris, Severitate. Delectu quidem; Quoniam, niſi Pullum, aut certè Bimatu inferiorem, docere cœperis; operam & Minerval perdideris. adultiores, & biennii metas ſinè Litteris egreſſos, æquè Rhetoras effeceris, atque ASINOS lyricines aut Saltatores. Severitate verò; Quia alius alio docilior: alius aliô, naturæ malignitate, ſtupidior. Omnibus ex æquo Cranii Capitíſque mira, cúmque Roſtri pertinaciâ certans, Durities. Quare non palpo, non poppyſmate, non plumæ demulſione, Palladem & Athenas infuderis; ſed, ut vel paucula robuſto Cerebro Dicta, dicteriáve inſtilles; pro Infundibulo, FERREIS radiis, regulíſve: aut, (quod plerique aſſolent) Clavibus, Clavicuĺiſve ejuſdem metalli, utéris. Nec miſericordiâ abſterreberis. Omnium enim cruſmatum, verberúmque horum, Oſſea capitis aſperitas, capax eſt, atque patiens. Et aliter, ictus nullos perſentiſcet: aut, ſi ſenſerit, Pili faciet.

Paullatim, ſic quaſi Muſis aſſvefactum; etiam Ethici mores, & manſveta comitas ſequetur. TURTURIS ante omnia familiari conſortiô juvabitur; amore caſto, & intrà ſancti affectûs leges ſtaturo. Puerorum deinceps, & imberbium quarumcunque genarum aſpectu provocatus; non filiorum, natarúmque, non vernularum amicitiam, ſuprà ſuos natales & dignitatem æſtimabit. Modium Salis cum domeſticis abſumet: nec oſculis abſtinebit, pudicis, & qualium eſſe capax roſtrum poteſt. Sed caveant Parvuli, Pſittacum irritare pertinaciùs. nam, in Odium amore converſo, bilem concipiet; & unguibus oculos faciémque tenerioris ætatis diſpunget. Vino quoq; immodico Avem removeris: ut, cui ex eo Laſcivia; ſæpe maturiori oculo auriq; gravis. Ante omnia tamen Pluviis

eam arcueris, & nimborum violentô delapſu. Quia, niſi mox ad robuſtum Solem, aut Foculi ignem, deſiccata; concepto ad intima Horrore extabeſcit, & moritur. Quæ cauſſa eſt, cur (ſi Alberto fides) præ cæteris terrarum plagis, in Phœniciæ montibus, quos GELBOE nominant, propenſiùs nidum ſuſpendat, & ſedem figat PSITTACUS: quippe Alpibus Samariæ, ſterilibus ac petroſis, & Davidicâ pridem proſcriptione, RORE pariter, & PLUVIA ſpoliatis: ideóque AVI huic innoxiis.

Hæc de PSITTACO *φυσιολογικῶς. quorum tu copiam reperies apud Geſnerum, Aldrovandum, Ornithologóſq; cæteros: Plinium quoque, Solinum, Apuleium in Floridis, Diodorum, Cardanum, Avicennam, & Albertum. Ad* ELEGIÆ *ſequentis Lucem hi, opinor, Radii ſufficiunt.*

DACTYLICA.

Eadem RUTHA *loquitur.*

RUTHÆ, PSITTACIQVE SOCIETAS.

CUR, prope nos, Tacitâ ſtet in icone, Garrulus ales,
Si petis: Hæc etiam perlege. certus eris.
CAVSSA ſubeſt, titulíq; mihi propè nomina mille;
Cur ego ſim Volucri, cur ea juncta mihi.
PSITTACVS, eſt Boreæ nimis advena rarus in oris;
RARIOR eſt, Socrui tam bene fida Nurus.
Pſittacus, Occiduis avis eſt peregrina dynaſtis!
Civibus Iſacidis exul & ipſa ſui.
Pſittacus, hoſtis humi rigidæ, loca quærit aprica:
Montibus è patriis, ſic ego, mite ſolum.

Pſitta-

Psittacus, impatiens hyemis, colit aëra sudum :
Et mihi diligitur, sub Cane tostus, ager.
Temporis est calidi Papagas nota, Solis amator :
Tessera Juliiaci sic ero mensis ego.
Turturis, assiduus Papagas comes, ardet amore :
Ardeat ergò meo ; Turtur & ipsa, fui.
Ille fugit Dryadas ; casulas hominémq; frequentat :
Barbariem fugio RUTHA ; sequórq; Socrum.
Ille leguminibus satur est, minimóq; paratu :
Crusta meam relevant, atq; polenta, famem.
Farra tamen legit hic, decumátque, Siligine raptâ :
Spicilegam fieri me quoque, monstrat Opus.
PLURA quid accumulo ? Satis ista supérque loquuntu
Quô mihi se viridis nomine jungat Avis ?
Jungimur his titulis : Patriæ quoque nectimur usu ;
Ales hic, est Syrius : sum Syro-Lotis ego.
(Error enim vetus est ; Aliis, nisi mollibus Indis,
Nec fieri populis, nec Papagallon ali !)
Nascitur hic etiam Syrio, capitúrque, sub axe ;
Quà Nabathæa premit jugera limes Arabs.
Ultimus hic Syriæ locus est, plaga senta Moabi :
Hîc, ubi turrigeræ stant juga firma PETRÆ.
PETRA mihi genitale solum, genitale volucri ;
Arctiùs, ínque novum fœdus, utrumque ligat.
Est operis, didicisse, brevis : neque nôsse pigebit,
Unde sit, hinc etiam, charior illa mihi ?

PSITTACUS, A RUTHA CAPTUS.

Lector, ades ! Niger imbrifero Notus impete vectus,
Obruerat pluvio rus, nemus, antra, fretô.
Omnia, diluvii sub imagine, mersa natabant ;
Stabat in immodico terra PETRÆA vado.
Non Homini statio, nisi turribus ardua, tuta :
Ac, nisi rupe super, non fuit apta Feræ.
Quin, neque rupe super. Cecidêre madore columb
Et nemoralis, aquas pressa subibat, avis.
Quanta fuit, mare, Vallis, erat pluviale, Moabis ;
Inque novo volucrum naufraga turba freto.

Psittacus, inter eas, tenerâ malè firmus ab ala,
Remigiíque recens, & genitricis egens:
Tot labefacta vadìs, tot ab æthere fluctibus uda,
Plumea difficili vela movebat ope.
Vela duæ fuerant, gravidæ tot ab imbribus, Alæ.
Hej, quid agat? Nimio Psittacus amne perit.
Cannabi, flamma nocet: Nivibus, rota fervida Solis:
Sol, pluviis: Pluviæ sed, Papagalle, tibi.
Sic igitur moriturus erat, sinè vindice, Pullus;
Undique dum miserum jam citat Hora nigra.
Aspicio: (Domus alta fuit, super aggere ripæ)
Aspicio: Species me movet, atque Malum.
Indè, Mali miseret. Speciem juveniliter opto:
Devehor in fluvium mox rate. capto feram.
Tum capio: foveóque, gelû plüviáque rigentem.
Sol aberat: foculus munia Solis obit.
Sic fugat ignis aquas. Papagas, citò siccior ipsìs,
Quas dederam, Lacrymis pro moriente, Valet.
Et valet, & salit, & vegetæ micat iride pennæ
(Mistus enim viridi, discolor ales erat.)
Jámque magìs cicur, atque magìs, movet ora; sed ora,
Flexilis articuli vix habitura sonum:
Ora, didagmatibus nisi perficienda magistris,
Blæsula, cum tremuli simplicitate metûs.

INSTRUCTIO PSITTACI.

Difficiles habet omne vias, habet ardua, Pulcrum!
Adde manus operi; vímque sequetur opus.
Quod Genius, quod origo negat, Labor aptat, & Artes;
Martia χαῖρε suum Pica, labore parat.
Ordior ergò novas operosa Didascala curas;
Grammaticúmque frequens prælego carmen Avi.
Nunc sono, nunc tono, nunc repeto, cano, præcino, cla-
Discipulum fueram nacta Magistra rudem; (mo:
Discipulíque Caput, Scythicô magè marmore durum.
Caucaseæ Scopulum dixeris esse petræ.

Ad

Ad Ferulas igitur (Documenta potentia!) vertor:
Et ferulæ, Radius ferreus, instar erat.
Hôc stupidi cerebrum capitis dolo, verbere crebro,
Cogitur hinc, docili reddere verba fide.
Utque latus comitat muliebre, domestica CLAVIS
(Námque, notam Dominæ pondera Clavis habent)
His ego sæpe tubis, & arundine, tempora pulsans,
CLAVE brevi stolidum glorior ulta Caput.
Glorior è rabie. QUID enim, nisi pompa Docentis,
Discipulus Bonus est, Proficiénsque cliens?
Iste meus (mihi crede) cliens, studiosior ictu,
Grande tulit pretium: Perdidicítque, LOQVI.
Utque loquax flueret labor uberiore palato;
Mista dabam patrio Persica grana crocô.
ARTIFICEM gula perpoliit. Dape guttur inunctum,
Nexuit alba nigris; non-sacra verba, sacris.
TUNC ego (depositâ modò virginitate) colebam
Cum MAHALONE torum, cum populóq; Chamū.
Cúmque Chamum toties, toties Mahalona, vocarem;
Imbibit assiduos Ales & ipse sonos:
Ac (nisi, quòd tremulo Titulos iteraret hiatu,
Balbus & ad Proprii grammatis esset epos)
Non inhonorus Heræ tamen hic Imitator ovabat;
MA-MAHALONA citans, non minùs ipse, Meum.
Cúmque Deos canerem patrios, nurus inscia Veri;
Cùm canerem generis barbara Nata patrem:
Carminis iste sequax, parili ruditate, canebat;
O, MO-MOABE, parens! ô, CHA-CHAMOSE, De⁹
Præ reliquis, amor unus erat strepitúsque loquentis;
RUTHA, venusta nurus! pulcra NOEMMA, Socrus
Et, quoties caneret (DEUS Unicus esto!) Noëmma;
(Multus, in ore Socrûs, nam DEUS UNUS, erat)
Iste; (DEUS, Deus est, Deus Unus & Unicus) ales
Per memores didicit, reppetiítque, gradus.
Ergo mihi joca tot peperit, nuruíque, Syræque;
Quot dedit Ausoniis pòst Avis illa Viris.

PSIT-

PSITTACUS, RUTHAM SEQVENS.

ámque ſuam Mahalon (nece præcoce raptus) & Alter,
Finierántque diem, ſubruerántque domum.
RUTHA, toro ſocianda novo, nova gaudia fugi;
Dum viduo Viduam ſector amore Socrum.
Orpha redit: reperítque, meî pietate, Volucrem,
Luctibus & tenebras & geminare dies.
Rutha, Noëmma, Deus! tria nomina, fixa cerebro,
De querulo Papagæ gutture ſemper eunt.
Orphanus (addiderat) miſer Orphanus, Orpha, relin- (quor!
Quis mihi vos rapuit, Rutha, Noëmma, DEUS?
Hinc, Avis impatiens, toties revocantis eoſdem;
Forſan & Iſacii nomine læſa DEI:
Barbara, nil meritum Papagan, fugat ædibus, Orpha;
Hic fugit, &, docili ſeminis arte, volat.
Bethlemias (ità, credo, Deo genióque regente)
Uſque plagas profugus, ſub mea tecta venit.
Excipimus, ſolitâ tria nomina voce citantem:
Diſcimus hinc, meritô quo foret exul, Avis.
Charior hôc titulô mihi fit, Socruíque. Fovetur:
Eſtque (nec immeritò) civis, Ephratha, tua.
DULCE fit Exilium, Patriâ meliore repertâ:
Delicias pueris, Virginibúſque, facit.
Néve nihil Dominæ referat, nihil illa Magiſtræ;
Contulit exilio grandia lucra meo.

PSITTACUS, RUTHÆ SOLATIUM.

TRISTIS enim (fateor) Peregrina Virago ſedebam;
Seu novitate Soli, ſeu ruditate ſoni.
Præcipuè, Nuribus quoties ego Muta Diſertis,
Intererámque domi, congrederérque foris;
Eloquii rudis Abramii, Nabathæa dolebam,
Verba ſorore ſuâ, verba carere fide.
VIX Mulier tacet ulla DIU. Mihi dura Docentis
Lingua Socrûs nimiùm (quippe docebat) erat.
GRATIA Cœlitibus! Citò, res operoſa gravíſque,
Et levis, & penitùs Plumea, facta fuit.

Hoc,

Hoc, mea fecit Avis. Quid enim? Peregrina videbam,
Hanc quoque, Mosaicis discere verba fonts;
Dictaque dum toties regerit mihi Biblica Doctrix,
Biblica per medias frangere dicta notas.
Narro, suâ caritura fide; tamen Acta, (nec ultrà:)
DOGMATA tradiderat legis Hebræa, Socrus.
Dogmata (dum toties iterat studiosa Noëmma)
PSITTACUS addidicit legis Hebræa Decem:
Pérque caput, numerósque suos, sacra comata carpens,
(Integra non poterat) me quoque jussit idem.
Jussa fuére mihi, Volucris studiosa voluntas.
QUOD Papagas voluit discere, RUTHA nequit!
HIS ego me monui, tacitóque pudore vorabam,
Quæ mihi cunque novus tædia Sermo dabat.
Docta brevì; nec ab alterius malè pendula labro,
Ipsa mei potui promere sensa fori.
Isacis Isacidis, & Hebræa videbar Hebræis.
DISCIPULI retuli mira Didactra mei.

PSITTACUS, OBEDI PUERI DELICIÆ.

COPULOR interea, Parióque marita, Boozo.
Jámque, propago Tribûs, Parvulus ortus erat.
Gaudet Avis viridis, pueri viridante juventâ;
Intuitúque glabri PSITTACUS oris ovat.
Quid memorem, quibus ille jocis, quibus artibus usus,
Obsequii steterit blandus ad omne genus?
SIVE Puer facili rubra solveret oscula risu;
Risibus os lepidis solvit & iste suum.
Sive Puer querulo sua læderet otia planctu;
Planctibus in querulos ibat & iste modos.
Cúmque nepos Aviæ daret aurea basia lætæ,
Dum sedet in gerulæ sarcina grata sinu;
Huic totidem regerebat Avis, nihil horrida rostrós
In teneras quoties fas fuit ire genas.
Nec tremulæ deërat parasitica gratia linguæ;
Blanditias puero dum movet, atque Seni.

Nam

Jam puerum, puerique patrem, Papagallus adortus,
Ingeminabat, edax, nomen utrique suum.
Sic sibi, sic domino melimela rogabat Alumno:
Quòdque rogavit Avis munus, uterque tulit.
Dactylus, atque Nuces, & amygdala frondis Hebrææ,
Præmia blandiloquæ magna fuêre gulæ.
Sic erat in pretio Dominis, domuíque, volucris.
Hej mihi! Quòd SENIUM vix, Pretiosa ferunt.
Ecce! Decennis adhuc, Papagas sua sæcula claudit!
Detrahit hujc viridem MORS malè-pulla togam.
Quo variante jocos, bene tempora, méque, fefelli;
Occidit ante Meum tempus, & ante Suum!
Sed, licèt occiderit: Vegetæ sub imaginis umbrâ,
Elysii celebris Fabula vivit agri.
Vivat! &, ô, recitet, tacitus quoque, carmina RUTHÆ,
Clausus arundinibus, mite Poëma, tuis!
PSITTACUS interea mihi fiet, & Omnia; quisquis
Dicet (utrique favens) XAIPE, VALEQVE, mihi.

DE PSITTACO.

PARECBASIS HISTORICA.

POEMATUM alia sunt ex professo FABULOSA; quales aut pleræque, aut omnes, Deorum Dearúmque geneses, mythographiæ, metamorphoses, Hesiodorum Theogoniæ, & Avianorum Apologi. QUIS enim, extra Mendacii Figlinam, Fecerit; quod verè Esse nunquam potest? Alia, sunt Poëmata, potiore sui institutô, HISTORICA; decori tamen subinde caussâ fabulosis intermixtis: cujusmodi Lucani Pharsalia, Silii Pugnę Punicæ, Arbitri Civile, Claudiani Gildonicum, & ipsius Homeri Ilias, Maronísq; Æneis, & aliorum alia. MEDIA viâ quoddam POESEOS incedit genus; quo ea tractantur, quæ sanè juratô testimoniô nullô referri possunt illam in PERSONAM, quæ Carmini Titulum noménque suum commodat; nisi fortâsse in parte aliquâ, obitérque, & ex diverticulo. Certè Uni Omnia simul (etiam Auctoris conscientiâ) non evenêre: quanquam

quam eveniſſe confingantur: ac reipſa diverſiſſimis aliquando contigerint. Quam figmenti formam, in Proſa quoque ſecuti ſunt, ex Græcis Heliodorus in Æthiopicis; ex Britannis Sydnæus in Arcadia; in aliis alii.

Ego, in campo minore, illas ferè ſemper ELEGIAS ſum amplexus; quæ VERITATI baſin, Poëſi columellam & epiſtylion: ſubinde lemniſcos etiam & paraſtaſes, deberent. Nam aut Sacræ meæ pleræque ſunt, aut alioquin HISTORICÆ faciei; Fictionis tamen ſtibio, ſaltem obiter, aſperſæ. Ab harum utrávis, ſiquando recedere viſum eſſet; tam eas ſemper exſecratus ſum POESES, quæ Omnia quàm, quæ Nihil, comminiſcerentur. Harum in ordine, præcedens etiam FICTIO eſt, de RUTHÆ PSITTACO: In quo, Si ad divinorum Oracula librorum reſpexeris, BIBLICUM nihil reperias. Sin ad rerum geſtarum probabilitatem; à veritatis & naturæ curſu, nihil alienum. Immò ſic, de compoſito, PSITTACI Phyſiologiam innectere Poëſeos artificio placuit; ut vel audaciam indè, vel aſſvetudinem, adoleſcentiores conciperent; In quavis obviâ Naturæ materiâ, pariter (& feliciùs utique, ſuo tempore) ludendi. Quo tamen in conatu diſcant; non temerè quidvis de quovis ſcribendo, libertatem temperare: Nihílque ponendum in Figmento Mimo-Hiſtoricô meminerint, quod non conformare Decori legibus, aut firmare geſtorum monimentis, noverint; quanquam, inter diſperſiſſimas ſubinde Perſonis ſingulis actis Partibus, ÆGRE IN UNUM (quod dicimus) HERCULEM, OMNES omnium LABORES quadrare videantur. Ecce. RUTHA, quam modò legiſti, circa Pſittacum nihil agit, nil loquitur; quod in Conditionis hujus aut gentis FEMINAM congruere nequeat! NE ipſe quidem PSITTACUS, vel in minimâ Carminis Scenâ ſpectandus producitur, eo habitu; quo non aut antè, aut pòſt, alius itidem aliúſque eiuſdem Proſapiæ

[s]apiæ ludio, aut etiam ad hanc artem insvetior AVIS [a]lia, prodierit. Velut hæc (si legere placet) paucula docebunt, HISTORICA paradigmata. nam, ad Omnia effundi, torrentis more (quod fieri tamen posset) instituti ripa, librique ad finem properantis suum margo, inhibent; ac pennam coërcent.

FOEMINÆ primùm PSITTACUS affingitur. quid [m]iri? cùm non Passere magis Clodia, (quæ, Lesbia, Ca[t]ullo est) neque Columbâ Semiramis Babylonia; neque [e]ádem Violantilla Stellæ; quàm Psittacô Corinna Romana, (nescio, an non Augusti Julia?) famosa fuerit. Et de Imbelli sexu quid loquor? Melioris Atedii Psittacus, numquid nō viriles Deliciæ? Aves, quas à Quiritibus pugnô circumgestari Cato questus est, multis ante Atedium ætatibus; numquid non & Militū, & Romanorum, gaudia fuerant? Permitte igitur & Viragini hoc remissionis animi genus: & tantò ampliùs, Idolorum adhucdum cultrici, cùm volucrem istam caperet. Permitte hoc, tot æqualium suarum exempla videnti, barbaræ; quodque caput est, Eodem cum Moabiticis Papagallis cœlo, natæ educatæque.

Rectè, inquis: Tantisper ei ludibundæ esse licuerit. Sed, Usque ad Aras, & meliora religionis Sacra! Cæterùm Proselytæ, & jam Bethleemitidi; qui pulcrū fuerit, Plumeis porrò nugis immorari? Hæc tu quidem ità, qui diversè sentis. Sed quid dices Caroli Magni filiis (in quibus & Ludovicus Pius) in Gallo suo gallinaceo? quid Eremitæ Gregoriano, in Fele? quid Anchietæ in avibus ac Simiis? quid Seraphico Francisco, in Cicádis? quid Evangelicæ ipsi AQUILÆ Joanni, in Perdice, jocantibus? Quibus omnibus, aliisque sinè numero, Sanctis gravibusque Viris, Animalia præsertim pennata, oblectamento fuêre, sive proprio, sive quandoque & alieno? Quod illos ergo tam Severos non dedecuit; RUTHÆ castigatam reductámque frontem, quâ levitate laxabit? aut qua scurrilitate dissolvet?

Deinde, FUGERE Dryadas, hoc est, Sylvas dicitur; atque indidem DIVOLARE. Verè historicéque utrumque.

que. nam AMERICANI certè PSITTACI, tametsi de Noctibus, nemorum incolæ; interdiu tamen ad mapalia, rusticásque casas gregatim (passerum columbarúmque ritu) exspatiantur. In tectis areisque barbarorum, conventus agunt, meridiantur, pabulantur. NOSTRATES verò quòd rarò Volitantes deprehendimus; in culpa est, pigrescens in cavea torpedo; vel ipsa Septentrionalis cœli (sic loquar!) ignavia; pennas alásque, cæteroquin vegetas, plumbeo stupore, tanquam visco, glutinans.

Inclamare præterea RUTHÆ Psittacus, MOABUM, Moabitarum auctorem; & CHAMUM, gentis Idolum, confingitur. Nec istud quidem παρ' ἱστορίαν. Puto, TE quoque vel inaudisse, vel ex idoneis auctorum monimentis meminisse; CREBRA Litaniarum inculcatione, (cùm præcipuè, pro gentis illius studio, frequentiùs THOMAS Apostolus invocaretur) PSITTACUM quendam, ex toto precum contextu, pro se particulam illam solam condidicisse. Correptum postmodo raptoris Accipitris unguibus, Quiritiúmque fidem (vocibus, quibus poterat solis) implorantem; ex aëre salvum sospitémque recidisse: quòd citrà ullam gutturis remissionem, creberrimè inclamâsset; SANCTE THOMA, ORA PRO NOBIS! (a) Unde clarum est; Etiam his avibus contingere, longo artis usu, INDIGETES & Nominare, &, pro suo captu, venerari. Et quidni His id contingat, ab lingua cerebróque aptioribus? cùm majorum nostrorum memoriâ SPINULUS (an Canariensis) Avicula & ipsa Subviridis, sed Psittacorum vix bolus ac pugillus; intrà Deo sacratæ Virginis clostella caveámque, docta sit auditáque, dulcissima JESU, MARIÆQUE nomina, voculis ad humanam consvetudinem articulatis, frequentare. Hoc scire se, auritô testimoniô, Laurens Platopedius asseverat, scriptor fidei juratæ.

Eodem pæne recidit, quòd DEUM, DEUM UNUM, & UNICUM, Ruthæ PSITTACUS, per vocabulo-

bulorum commatúmque gradus, doceatur ac discat. Sanè, sinè absurdo. Quis enim tritissimam APSEPHÆ, regis Libyci (quem Psaphonem aliqui nominant) fraudem ignorat, & hypocrisin? quâ, in summa scelerum obscœnitate, famæ suæ posthumæ consulturus, Papagarum agmina conclavi, sibi soli perviô, conclusa; Voces, quas voluit, docuit? Moriens autem, inter suprema mandata posuit; ut, Simùl atque animam egisset, ruptîs Penetralium valvis atque clathris, in aëris libertatem PSITTACI remitterentur? Emissos autem, quis nescit; per omnes Libyæ agros nemoráque, velut Cœlô demissos Jovis interpretes, divolando inclamitâsse; ΜΕΓΑΣ ΘΕΟΣ ΑΨΕΦΑΣ! MAGNUS DEUS APSEPHAS? Unde nebuloni illi per Psittacos, ad ignarum doli vulgus, conciliata Divinitatis opinio: &, volucrum inaugurantibus linguis, promulgata detestabilis Apotheósis. (b) Qui DEUM ergò didicerunt, inter medios pridem Cacodæmonas flagrantem; DEUM, opinor, COELI, regem Angelici Paradisi, sonare PSITTACI non poterunt?

HAUD multùm dispare Fictionis innocentiâ absolvimus; quòd à Rutha memoretur hæc volucris, charorum sibi Capitum, discessum & absentiam, creberrimis, vocalibusque gemitibus deplorâsse; cùm ad usque impatientiam ORPHÆ succlamaret, RUTHAM, NOEMMAM, DEUM! Nihil hîc extra rhombum! Nam dic, Quænam illa, multis pòst sæculis, fuit AVIS, Constantini Manassis Græco celebrata calamo? (c) LEONEM filium, Imperii spem alteram, BASILIUS, Orientis Imperator, Santabareni calumniis circumventus, in vincula compegerat; &, ut paternæ necis cogitatæ reum, Parricidarii supplicio destinârat. Hinc ingens in omni regiâ luctus, è periculo tam alti verticis: Matrísque potissimùm, & gynæconitidis, assidua lamēta; LEONEM Principem deplorantium. Excepit hos Threnos, in pensili degens cavea, palatina volucris: atque,

cen

ceu millies (unô sæpe die) iteratas, memori impressit phantasmati. Et Aberat certè permultos jam dies, LEO; frequenter antehac (opitor) Avi colludere assvetus. Ut proinde, duplici jam incitamento, frequenter Avis quoque næniam hanc recineret; O, LEO! ô, LEO! ô, LEO! Tam insolitæ, tot Epiphonematum, præficæ; BASILIUS tandem, Fortunâ duce, intervénit; & tum Volucris, tum Regiæ totius, inflexus tragicis ejulatibus; LEONEM filium (tot pridem questibus CONCLAMATUM) Libertati, Saluti, atque Solio, cum Orientis applausu, restituit. ET quam tu AVEM hanc, tam prodigiosè lugentem, fuisse censes? Certè, si Aldrovandum interroges; PSITTACUM, respondebit. (d)

Adjeci tamen, BETHLEHEMUM, ab usque MOABITARUM terris, advolâsse! Nec istud quidem penitùs è Creta petitum. Quot enim tu Dierum Profectionem arbitraris illam? Sanè quidem, si Geometras Geographosque consulas; negabunt, omni cum circuitu, ab ipsa quoque PETRA DESERTI (e) Triduanô majus iter esse, quod, per Asphaltici MARIS compendium, Paucorum milliarium Indefesso volatu, pennatus viator absolvet. Ac nostrates quidem PSITTACI, quanquam carceribus emissi suis, vix hybernacula pennis pervadunt. Vidimus tamen, & hac in Urbe, ALBUM; qui Tecta plateásque quotidie omnes pervagaretur; & alaté studio cum Columbis palantibus pabulantibúsque certaret; quoad eum Fames ac Vespera domum revocaret. Calecutani quoque, cæterique Indorum PSITTACI, &, qui in Libyæ desertis degunt; ad Frumenta, oryzámque, etiam è Sylvis longè dissitis, devolant; tanto convenarum raptorúmque numerô: ut Calecutii quidem Custodes nutriant Pueros, qui in id unum intenti, mercenario clamore Frumentatores hos arceant. Nigritæ verò Libyês populi, ne Crocodilum quidem hostiliùs, quàm PSITTACOS, oderunt: quòd horum inopinato numerosóq; peregrè affluxu, Spes illis Anni, totæque ÆSTATES, evastentur. (f)

A.T.

AT, quod omnium minimè Fidem mereatur; DECALOGUM mentitus sum, ab hac AVE, sensim & perceptum & recitatum. Quid, si rei Incredibilis Fidem, ex ipsa tibi FIDE faciam? Superioris ævi memoriâ, S. R. Ecclesiæ Purpuratus, ASCANIUS (Rhodiginô assertore) Nummis aureis Centum stantem, PSITTACUM aluit: immani sanè (prout tunc merces erant) Pretio; ni prodigium immane Psittacus ille rependerit. At ille nec pretio pudori, nec Domino pœnitudini, fuit. FIDEM (quam dicimus) hoc est. Apostolicum Symbolum, à voce prima ad usque finis clausulam, integerrimè, articulatissiméque, nunquam intersistente pronuntiationis cursu, citrà ullam cespitationē, adnumeravit. (g) CREDIS tu, tam inaudita? Aude certè; & vel à tam Docili mirandóque CATECHUMENO, Quæ non-Vides, non-audîs, Fieri posse, Discito!

SOLATIUM quoq; Solitudini, exilióque RUTHÆ, PSITTACUS attulit; (In Deo, Divinísque, satis utique acquiescenti.) Et quippeni Solatium? Ex linguæ primùm peregrinæ, per Avem domitâ difficultate. Quàm multis minùs asper visus est Labor, Rho litteram sine mollitie protrusam, emoliri: quòd eam priùs Canibus viderent, catulísque, sine dentium rupturâ, profluere? Deinde, Suî nudô aspectu, caveæque solitariæ amore. Auctorem habeo fide grandem, religione grandiorem; qui memoret, quod (Ascétis præsertim tristioribus) frontem exporrigat, animúmque conserenet. (h) Nutriebat, salignis clausum viminibus SPINULUM (an, Carduelem?) Sanctissimæ Carthusianorum Religionis Tiro nonnemo. Abstrusæ (ut fit) tædiô, tandêmque & odio, Disciplinæ (maximè Sathanâ quoque Fluctus in simpulo excitante, & serena omnia, etiam è minimarum sollicitudinum nebulis, turbante) digredi claustris tam tetricis, mente concepit. Jamque in crastinum, sibi Exitum indixerat; jam sarcinulas & vasa collegerat. Subiit, inter hæc, animum Spinuli misericordia: &; Quid avicula hæc, inquit, quo peccato suo misera, his in Latumiis, contabescet? Quin potiùs, à tenebris ac fame, hoc ipso

adhuc

adhuc Vespere manumissa, libertati præludit nostræ? nutritorémque suum, Cras secuturum, mox Hodie antevolat? Cum dicto, laxatis repagulis, Ire jubet, BONIS Avibus, in antiquam sylvam, & notas Avium urbes. Dissimulantem, nihiloque minùs se moventem SPINULUM, vocibus primùm; mox terriculamentis, caveæ quassatione, digitorum puncturis, & quibus visum est, minis illecebrisque, vi ac precibus, in fugam incitat. SED, Aviculâ inter hæc omnia inconnivis oculis, immotoque situ Custodiæ suæ stationem tuente; ad meliorem denique mentem reversus Homo, his se vocibus Solari cœpit: &; Papæ! (inquit) Hic Spinulus, exiguæ dapis gratiâ Libertatis jacturam tam toleranter fert & hilariter; ut etiam piaculum putet, Non Claudi! Et tu, pro Cœlo, pro longissimis beatæ æternitatis Charistiis, hanc tam brevem Cellulæ coloniam, vitæ mensurâ non utique productiorem, Tullianum tibi fingis Romani carceris & mortalis ævi Barathrum atque Tartarum? Ità hæc illi mentis excitatio, & (si verum fatebimur) AVICVLA, non modò levamento, sed etiam Constantiæ, Salutique fuit. nam duravit, &, ad religiosi stadii metam, alacri deinceps concepto cursu, coronam (quantum scimus) cum victoria rapuit. Unde vides; Quæ vis erigendæ Exulis mœstitiæ, tum aliis in AVIBVS, tum & in PSITTACO reluceat?

POSTREMUM illud est, quod esse PRIMUM in quæstione Crisique poterat; Quanam tandem probabilitate PSITTACUS, imbre restagnantibus MOABI vallibus defluens, ereptus undis vivus incolumisque, cedere in mancupium RUTHÆ potuerit? NE id quidem, ô bone, Contra Torrentem! Pronô namque Veritatis amne, innumeræ (si vacaret) Narrationes fluerent, de Columbis, Aquilis, Accipitribus, Apodibus, Avibúsque cæteris; quas, descendente nimbis immodicis cœlo, degravatisque alis, Sola hominum misericordia, de Lethes gurgitibus, in Salutis ripam & Asylum, transportaverit. Unicum è Britannicis (siquid credere potes) Annalibus, sufficiat, & finem ponat. TAMETSI

ETSI in hoc plus etiam, quàm, quod tua pulsabat Quæstio sis reperturus: ut Ex abundanti tibi respondeam, & (quod ajunt) Ultra Pensum.

ALEBAT Henricus VIII. Anglorum rex, PSITTACUM, in Palatio Londinensi, Thamesis ripis imminenti. Docebatur hic voces humanas imitari, profectu tam secundô; ut etiam, quas nemo dictâsset, &, quasi per transennam jactas perceptásque, tamen exprimeret. Erat, (ut in fluvio navigiis semper frequenti) assiduus in terra stantium clamor, seu necessitate suscitatus, seu quandoque & joco; ac nominatim, Britannico perstrepentes idiomate, voces iterabantur istæ: CYMBAM! CYMBAM! VEL PRO VIGINTI LIBRIS! (seu, pondô argenti) Quibus illi Charontē sibi aliquem de ripa ulteriore in oram citimam ad transportationē, advocabant. Hoc nauticum toties inculcatū adagium, ille PSITTACUS, ignaris omnibus, altissimâ sibi scientiâ impressit. At Scientiam dies ipsa demum & calamitas, in lucem protraxit. Post aliquammultum enim temporis, dum nescio quâ pedum temeritate, seu Tecti imbricibus, seu fenestrarū margini illudit; fallente malè fixorum unguium retinaculo, in præterfluentē Thamesin AVIS delabitur: diúque, madefactis invalida Pennis, natat ac fluctuat. Cùm ecce, in tempore, toties auditæ nauticæ Implorationes periclitanti succurrunt: Lamentaríque Psittacus, & de medio flumine, vocibus Anglicis inclamare orditur; CYMBAM, CYMBAM, VEL PRO VIGINTI LIBRIS! (i) Et fuit mox, qui, trans amnem, intellecto discrimine, Scapham expediret PSITTACUM fluitantem exciperet, agnitúmq; ex ipsa speciei præstantiâ, Regi reportaret: adjectis, Quæ ille suo in Periculo proclamâsset, promisissétque. Regi, non indelectato alumni sui jocoso Balneô, tamen paullò gravior visa est Argenti tam ponderosi, se inscio, Stipulatio: cujus tamen Debiti exsolutio è fisco suo speraretur. Igitur ad navicularium conversus; Hæc quidem tu sic, inquit, narras. Cæterùm quantū pro transportatione tibi debeatur, ex ipso potiùs Psittaco per-

cun-

cunctemur. Quid, ais, naufrage! Tu quantum pro naulo spopondisti? Cui Psittacus; DA, ait, NEBULONI SOLIDUM! (k) Risus est omnium consecutus: & Remex cum pretio, quantum Avis edixerat, trans fluvium remissus.

Hæc adduxi (l) non, ut per Singula fidem tibi persuadeam (difficile est enim, Historiæ hujus caudam fabulis eximere) sed, ut tu PSITTACUM videres IN FLUMINE NATANTEM; ac, post multam ancipitémque fluctuationem, salvâ tamen pelle, undis ereptū. Id quod ad PSITTACI Ruthæi defensionē, plusquam satis est. AD SUMMAM! Sic absumpta est omnis ferè potior, de PSITTACO, Materies: ut, cùm Æstati volucris Æstiva prorsus inserenda esset; RUTHÆ, primas per omnem hanc Scenam partes agenti, veluti Parergon, Personæ accommodatum, affigeretur: Neque aliud tamen in Poësi totâ prodiret; quàm, quod vel Historicâ olim, vel certè Physiologicâ Narratione fulciretur. Quæ ratio in quibuscunque aliis hujus Operis figmentis adhibita, sic Pegasi fræna inhibuit; ut, quocunque is fabularum alis evolaret: semper interim vel Veritatis, vel certè Probabilitatis aliquo Pede, ex variæ Lectionis memoriâ, niteretur. Quod adolescentibus quoque, ad Imitationem, promptum; ad confingendi Delectum, esse religiosum provisúmque debet.

(a) *Aquilin. l. 2. c. 13. qui addit; Accipitrem ipsum, repentino perculsum casu sibi funus, & Psittaco Libertatem, peperisse.* (b) *Annotator ad orationem Dionis Chrysostomi, De Regno.* (c) *In Annalibus Imperii Constantinop.* (d) *Libro Ornithologiæ XI. tit. Mores.* (e) *Vide Adrichomiū.* PETRAM *autem* DESERTI, *Ruthæ patriam*

 triam

triam fuisse, non improbat Salianus Annal. tom. 2. (f) *Aloysius Cadamustus, & Ludovicus Romanus, apud Gesnerum Libro 3.* (g) *Cœlius Rhodiginus l. 3. antiquarum lection. cap. 32.* (h) *Historia Ordinis Carthus.* (i) *Anglicè*, A bott, A bott, fortvventye pouund! (k) *Anglicè*, Gibe the knabe à grott! (l) *Aldrovand. Gesner.*

ELEGIA XXXII.

DACTYLICA.

EPILOGVS,

Seu,

Auctoris, ad Lectorem benevolum,

PERORATIO,

Totius operis, Triúmq; mensium ÆSTIVORUM, *anacephalaósin comprehendens.*

TEmpora (qui Superûm favor est) Viridantia quondam;
Nunc iterũ calamo Tempora Flava dedi.
VERNA velut Tribus est Dea deliciata Libellis;
Sic totidem titulis est perarata CERES.
Flora tamen Breviore; Ceres sed, Apolline fusô,
Fertilis explicuit rustica lucra Soli.
JUNIUS hîc croceæ radiantia fulgura Divæ,
Villica cúmque suo Prædia Rure canit.

Lilia

Lilia promit humus; rubeum ſtata Sidera Cancrum:
Joſüa Solſtitio, Prodromus igne, micant.
JULIUS at (MARIA properante per æqua, per alta)
Per Babyloniaci currit Aprica BOVIS.
Prata ſecat: ſuperóque calens, ſubit antra, Catellô:
Hìc Vacat atque Sitit; mox Bibit, atque Natat.
Ætherios cumulat LOYOLIA flamma calores;
Dum radios acuunt hinc PUER, indè Parens.
TERTIUS ùt Liber eſt; ità Meta, Coronáque, Menſis,
Qui rubra frugilegæ Virginis ora gerit.
Falx ibi, cúmque ſua celebratur arundine Meſſor:
Meſſis &, in trifidas ſecta, Diurna, Vices.
Sunt ibi pennigeræ Corydallides, Horrea, Nubes;
Junctáque Patritiæ Fulmina terna Nivi.
Deſpicit hîc Abacucus Agros; Daniélque LEONES:
Thúſque ſuum Genius, Claráque Vallis, habent.
Ante tamen reliquos Nabathæa Virago triumphat;
Inque ſuo, Superûm gloria VIRGO Throno.
JAMQUE ſat eſt operis! (Quis enim petat, Omnia dici?)
Littus, iô, teneat feſſa carina ſuum!
HEJ! Nihil hæc miſeram juvat, anchora jacta, Thaliam:
Fallimur. ah! procùl hinc Littoris ora fugit.
Nam, licèt iſta ſuum teneat ratis integra Siccum;
Sitque quies Elegis capta ſuprema meis:
FINIS adhuc tamẽ hujc, & abeſt Charis ultima, cœpto;
SUMMAQUE (ſi libeat dicere vera) MANUS.
Sum̃a Manus (Quid enim Liber eſt, niſi volvitur Uſu?)
Eſt Manus, eſt Oculus, Lector amice, Tuus.

LIBRI ÆSTIVORUM III.

FINIS.

INDICULUS ONOMASTICUS.

sup-

C. Jul. Cæsar, refutavit Librum Ciceronis, scriptum de laudib. Catonis Uticens. Pulmann. in Iuvenal.

Antidico Mariani. p. 110 Sectarii: qui Deiparæ Virginis gloriæ litem intendebant. indè dicti antidici.

Antiphónica vox. 123. respondens è regione, priori contraria. Onomatop. sicut ab Harmonia Harmonica, à Synchronos Synchronica, &c.

Anti-protreptica. 3. Elegia, Exhortatoriæ Elegiæ contrarium exhortans.

Antlia, æ. 224. Vas, & machina, quo aqua exhauritur, aut extrahitur.

Apadna, æ. 149. Locus Palæstinæ, post Emmauntem, ad Occid. in tribu Juda. ibi Antichristus, cum exercitu grandi, Castra figet. S. Hieron. in Daniel. 11.) Prima Patach habet, seu, A breve.

Apicatus, a, um. 23. &c. de Flamine seu Sacerdote idololatra propriè dicitur: in cujus Pileo summo Apex, hoc est, Lana vel Licium laneum erat. Translatè, de omni Cacuminato. Ovid. Fast. 3. v. 397.

Apinæ, arum. 2. Res futiles. ab Apina, Apuliæ urbecula.

Apitius, ii. 326. Gulonum omnium exemplar olim Romæ: qui etiam Librum de Gula scripsit, &, cùm pleraque nepotando absumpsisset, venenum sumpsit.

Aplustria, um. 316. Vexilla in extremis navium, tectorum, atque turrium. Festus.

Apogæum, & Apogéum, per ει, & αι. 121. Vocabulum Mathematicum. Est absis seu circulus Planetæ: & in Eccentricis maximè circulis, tunc Stella dicitur esse in Apogæo, quando constiterit in puncto circuli, à terris supra caput nostrum, remotissimo: Contrà verò in Epigæo, cùm in curvatura seu margine, terræ propinquissimo. Crispin.

Apographa, æ. 19. Descriptio, facta ex primo exemplari Abkopey.

Apotheósis, eos. 400. Cæremoniæ publicæ, quibus mortalis in cœlitum numerum refertur. Cic. Herodian.

Avernus, i. 214. Campaniæ lacus graveolens. poëtic pro Inferno. Virg Æn.6.v.126.

Automedon ontis. 120. Achillis auriga.

Azeca, vel Azecha, æ. 138. Urbs Palæſtinæ: non procul valle Terebinthi. Sept. ἀζηκᾶ.

BALANUS, i. 100. Orientalis dactylus ſeu palmula: ex qua unguentum exprimunt pretioſiſſimum, Myrobalanum dictum. Horat.

Balearica, cæ. 157. ſubaudi, Funda, qua plumbum eminus, impetu magno, ſpargebatur; inventum populor. Balearium, Inſul. maris Hiſpanici. Virg. Lucan. Strabo.

Barritrices gemellæ. 122. Gemina urſa cœleſtis, Major ac Minor. de quib. V. Arctos. à barriendo dicta, quæ vox etiam Urſis tribuitur.

Barritus Libyci. 217. & 274. Clamores Elephantorum, qui in Libya abundant. (Feſtus) * Barrus, i. 315. Elephas eſt linguâ Sabinorum. Horat.

Batus, i. 81. menſura liquidorum, capiens Sextarios. 72. aliter Cadus. Luc. 16. v. 6.

Battus, i. 192. Agricola vetulus, in ſaxum mutatus. Ovid. Met. 2. fab 11.

Bellerophon, ontis. 64. Glauci filius, equo Pegaſo vectus.

Belus, i. 175. &c Nini, Aſſyr. regis pater, Socer Semiramidis, pro Deo cultus à morte. * Belus Semiramius, Deus & Idolum Babylonis: quam urbem Semiramis inſtaurando, quaſi novam ſtruxit. pag. 295.

Beſſæa vulnera. 210. Inflicta Dario regi. à Beſſo Bactrianorum Duce. Q. Curt l. 5. c. 25.

Bethoræa per prona. 138. Hoc eſt, per declivia deſcenſúmque Bethóræ vel Bethoron: quæ fuit urbs Palæſtinæ, 8. ſtadiis Gabaone diſſita. Septuag. βηθωρῶν, & βαιθωρῶν.

Bethſabee, es. 354. Mater regis Salomonis: quæ ad filii dextram conſedit. l. 3. reg c 2. v. 19.

Beth-

Bethſúra, æ. 149. Caſtellum Palæſtinæ, in tribu Iuda, munitiſſimum, proximumque Domui Zachariæ, in montanis Adrichom.

Bethuliacus ſpecus. 210. Antrum fontis, ad Bethuliæ urbis ac montis radices, ad Occident. Fuit Bethulia urbs Galilææ, in tribu Zabulon, munitiſſima: in qua habitavit Caſtiſſima Iuditha Septuag. Βεθυλούα.

Bidens Sacrifica. 231. Ovis Sacrificii deſtinata.

Biſon, ontis. 176. Animal ferum, deformi caudæ prolixitate, cornutum in frontis medio, reliquo corpore ferè Cervino.

Bitumen, inis 231. Limus tenax, inſtar picis; in Aſphaltite, Syriæ lacu. Judenleym.

Blennus, i. 53. Stultus, fatuus. Plaut. Feſtus.

Bœbæa palus. 207. Bœbe, Cretæ lacus, non procul Gortynâ urbe.

Boótes, æ. 122. Sidus, juxta urſam. alit. Arctophylax quaſi plauſtrum ſequendo cuſtodiens ut auriga.

Boſſorium vadum. 56. Torrens Beſor, urbem Gerara & Berſabeam præterlabens. Septuag. ſcribunt. l. 1. reg. c. 30. Βοσσώρ.

Braſſica, æ. 170. Sativa braſſica. Kôl/ herba edulis & nota. Capitata braſſica, Kapißkraut.

Brigantinus Mars. 378. Bellum Gallicanum, adverſus Hiſpanos, & in Catalania. à Brigantio, urbe in Delphinatu Gallico. vulgò Brianſon. Varrerius apud Abr. Ortel. in Theſauro Geogr.

Bubalus, i. 176. Animal ferox, taurinâ naturâ. Büffel.

Buccina Quarta. 34. Quartæ Vigiliæ nocturnæ ſignum. Senec. & Liv. l. 6. Punic. Hîc, pro illo noctis tempore.

Buccina Ultima. 49. Mortem indicens Reo illuſtri. Ex S. Ioan. Damaſc. in Vita Barl. & Ioſaph

Buphthalmus, i. 166. Græc. Buphthalmon, in neutro. Flos eſt, medullio grandi, circulari luteo orbe, foliis circumcirca inciſis & albis. Oculus bovinus, alit.

Car-

Carmelus, i. 145. Palæstinæ mons, in tribu Isachar, fertilissimus.

Caspia porta. 476. Fauces montium, in finib. Armeniæ, per quas penetratur ad mare Caspium. Gr. Pylæ Caspiæ.

Castalius fons. 18. Musarum (Aqua poëtarum) à Virgine Castalia, quæ in radicib. Parnassi montis in eum versa dicitur. * Castalii Chori. 187. Musarum.

Catalana tellus. 376. Provincia citerioris Hispaniæ. Taraphæ, Gothalania; à mixtura Gothor. & Alanorum.

Catalecta, orum. 127. Reliquiæ delectæ mensæ secundæ.

Causia, æ. 316. Pileus latus, adversùs Solem. Plaut. Val. Max.

Caystrius ales. 64. Cygnus, cujus frequentia est ad Caystrum Lydiæ fluv.

Cecropius Ros. 371. pro melle, quod in Hymetto, monte Cecropiæ seu Atticæ, præstantissimum consit.

Celtes, æ. 274. Gallus rex, Ludovicus XIII. Plur. Celtæ, Galli. Cæsar. l. 1. bell. Gall.

Chamædryas, ados. 166. patronym. fœm. pro Nympha florum, qui Chamædryes dicuntur; Sicut Hamadryas, est Nympha quercuum. * Chamædrys flos dicitur, quasi Humi serpens quercus: unde & Quercula. Gamänderlein/Batengelein.

Chamæmelum, i. 166. Flos agrestis odorus. Camillen.

Chamosus, i. 269. & Chamus, i. & Chamos. Deus & idolum Moabitarum: alio nomine Beelphegor; reipsa Priapus. Adrichom. & Corn. à Lap. in c. 25. Numer. v. 3.

Chaonis, idis ales. 122. Columba ex Chaonia, Epiri regione: in qua nemus Dodonæum Jovis, & Quercus Columbæque oracula fundentes. Propert. l. 1. el. 9.

Chari-

gulum Horizontis: à Cimmeriis populis Italiæ, atque etiam Septentr. loca tenebrosissima incolentibus.

Cippus i. 38. Terra in tumulum congesta. Item, Tumuli monimentum, v. g. Columella pyramidata. Et, Fœni cumuli, acuminati.

Clarium os. 383. Apollineum. poëticum. Apollo enim Clarius dicitur, à Claro Inf. Cycl. Homer.

Cleonæus Leo. 315. Qui ab Hercule occisus est, in sylva Nemeâ, ad Cleonas, urbem Peloponnesi. V. Nemeæus.

Clima atis. 23. Regio vel plaga Cœli. V. Gradus.

Clio, ûs. 3. Prima 9. Musarum: Historica gesta canens

Clostellum, i. 399. diminut à Clostro, quod est, septum transversum, è trabibus ac tignis. Cato. Senec. Plin.

Clueo, es, ére. 149. Nominor dicor, perhibeor. Plaut.

Clytie, es. 113. Puella, in heliotropium mutata. Metam. 4. f. 6.

Coa Tabella. 131, picta ab Apelle Coo.

Coccum, & Coccus, i. 367. Granum arbusculæ, aut graminis rubentis: cujus succo tinguntur vestes coccineæ. in Libya frequens.

Cohortis aves. 73. Gallinæ. al Cohortales aves. Cohors & Chors, vel Cors, rtis, locus est in villa, circumseptus: in quo aves altiles. Varr.

Colliquiæ, arum. 77. In tectis. cavæ tegulæ per quas aqua defluit in Agris sulci. quibus pluvia unda in fossas foras elicitur. Columell. Wasserrunsen.

Columna Octava. 338. Lapis seu milliare Italicum octavum. In capite enim Fori Romani Columna stetit inaurata, in qua omnes Italiæ viæ consignatæ, suis milliaribus determinabantur. Hæc dicta est Milliare Aureum: & ab hac Columna, ducto initio, numerabantur M. passus quaquaversum; singulisque finitis, Lapis, aut (ut Valer. Probus ait) Cippus seu Columella ponebatur.

Comes necatus. 375. Robertus Devoreusius, Essexiæ Comes, Reginæ Elisabethæ antehac inter primos charus:

Crocea Diva. 406. Aurora, propter coloris gratiam croceam.

Crusma, atis. 58. Pulsatio, Concussio. Item Cymbala quorum concussione, sonus excitatur. Martial.

Culeus. & Culleus, i 91. Saccus Coriaceus bubulus, in quem initiò, lege Pompeja, parricidæ & matricidæ insuebantur, soli. Deinde sensim, cum Serpente: quibus accessit Canis, & gallus gallinaceus, progressu ætatis. Tandem etiam Simia; cum Roma sub Cæsaribus, se quoque & Leges novaret. Juvenal. Doroth. (Horat.

Cumera, æ. 53. Vas frumentarium pauperiorum.

Cyanus, i. 45. Flos frumentarius stellatus, cœruleus.

Cyclas, adis. 245. Vestis muliebris prælonga, & spatioso circulo pedes circumiens **Bogenrock**. * 166. Floris nomen, ob similitudinem. **Gloggenblümblin.**

* Cyclades, um. 177. Insulæ maris Ægæi. 53. numero; sic dictæ, quòd Delo insulæ circumfundantur.

Cyllarus, i. 64. Equus Pollucis, Virg. 3. Georg. allis, Castoris.

Cymbium, ii. 216. Poculum, figura Cymbæ nauticæ.

Cyminum, vel Cuminum. 127. **Kümich.** Dioscorid.

Cynosura, æ. 122. &c. Sidus seu Constellatio, Ursa minor dicta, &, Canis cauda. Observatur in mari à Phœnicibus. Ovid. 4. Trist. el. 3.

DACUS, i. 375. Hoc loco, Transsylvanus. **Sibenbürger.** Stephan. Broderithus apud Ortel. in Thes. Geog.

Dactylus, i. 245. Digitus. * 396. Fructus Palmæ arboris. Apitius, oper. de Gula.

Dædala avis. 29. Artificiosa, ingeniosa. * 299. Miracula Dædala. Lucret. l. 5. à Dædalo, Labyrinthi fabricatore, Icari patre.

Decussis, is. 166. In architectonicis, est, Dispositio fabricæ in figuram litteræ X vel χ. Unde Decussare dicimus, Vitruv. & Decussatim, Columell.

Defalcare. 339. Verbum IC. Ex debiti Summa, quasi falce

Eli-

Ellimelechias, ad's. 347. Noëmi, uxor Elimelechi, geminatô L. in prima syllaba, metri decentioris caussâ. ut in voce Relligio.

Emathius, 216. Macedonicus. nam Emathia, & pro Macedonia, & pro Thessalia, usurpatur, quippe utrique connexa, & inserta. Suid. * Dux vel Tyrannus Emathius, Alex. Magnus.

Emblema, atis. 86. In artefactis, ingenii aut ornatûs caussâ immissum quid & adpostitium.

Empyrium æquor. 120. pro Planitie seu Campo cœli Empyrii, Sedis Beatorum, aut Solaris etiam; quod populari oculo totum apparet in igne esse & inflammatum.

Enacæa stirps. 137. Gigantea. Enacim enim Hebr. Gigantes.

Endymiones. 13. Cum Endymione in monte Latmo, & cum gliribus, somno certantes.

Engaddæa vallis. 71. Erant montes, urbs, & vallis, Engaddi nomine, in Palæstina, ad mare mortuum, fertilissimæ glebæ, ubi & Balsamum crescebat ante Cleopatram & Antonii tempora. Adrich. in Juda.

Entheus. 19. Deo imbutus, numine afflatus. Senec. Stat.

Eòs, 10. & 75. Gr. ἠὼς ἦος. Aurora, Diluculum. Ovid. Fast. 3. v. 877. Hinc Eoa lampas 30. Matutinus Sol * 33. Eoa pruina, matutina. * 297. Eoa Lux, Manè. * At pag ii. Eous, pro Orientali. & 113.

Ephramius, a, um. 73. per syncop. pro, Ephraimius. Ex Ephraim tribu & monte, in Palæstina. * 222. Ephramia fœmina, Samaritana; quia in tribu Ephraim, erat Samaria. * 357. Valles Ephramiæ, regni sc. Samaritani.

Ephráta, & Ephratha, æ. 5. Urbs Bethlehem, in tribu Juda.

Epistylion, vel, ium, ii. 332. Vulgò, Columnæ Capitellum; &, quidquid ei superstruitur.

Epóda, æ. 274. Carmen & Cantus, qui priori superaccinitur.

Epómis, idis. 376. Amictus honorificus, humeris injectus. Hîc pro Electorali Vestitu. Epos,

Eurótas, æ. 235. Laconiæ fl. in quo juventus Spartana utriusque sexûs, exercitationis causâ, lavabatur.

Eurus, i. 63. Ventus Orientalis.

Excernere. 77. Olei summas spumas & sordes, cum fundi fæcibus, seu Amurcâ, separare. unde Excrementū.

Exegésis, eos. 267. Rei gestæ expositio accurata.

Exhedra frondea. 12. Pegma & arcus hortensis, ex tigillis, quibus frondes & vimina viridantia innectuntur: & sub ea sedilia scamnaque pro collocuturis disponuntur. H. Jun.

Exhydrias, æ. 207. masc. 1. decl. Ventus cū pluvio impetu prorumpens; sicut Ecnephias cum nubiū ruptura.

Exquilinus collis. 327. Unus ex. 7. Romæ montib. in 5. Urbis regione. dictus olim etiam Excubinus, & Esquilinus. Vide Rosin. l. 1.

FACIEBAT. 103. Pictorum quorundam ex affectata modestia subscriptio, sub Picturis. ἐποίει, vel ἔπραττε, pro ἐποίησε vel ἔπραξε. quasi, ut Verbum, sic opus, esset adhuc Imperfectum. V. Franc. Sacchin. Præfat in Orland. histor.

Falerna vina. 206. Ex agris Falernis, regiunculâ Campaniæ Italicæ.

Fatuus & brutus ignis. 322. Qui lucet, nec urit. Seneca epist. 79. Innoxium, vocat.

Faunus, i. 31. &c. Sylvarum & agrorum Deus. Græcis, Satyrus.

Fax Quina. 227. Quinque Conjugia. nam nuptis novis, cùm, vesperâ nuptiali, domum viri deducerentur, Quinque faculæ vel tedæ lucentes, præferebantur. Rosin. l. 5. c. 37. V. Philipp. Carol. l. 4. antiq. c. 3.

Festucare. 77. vel Fistucare, (Nizolio) Est, machinâ aut instrumento utrimque ansato, crebróque demisso & impacto, palos ac metas, vi magnâ, in terram aut flumina adigere. Budæus ex Cæs.

Fiscella, æ. 200. Corbis rotundus ex vimine, servandis piscibus.

Flammea orum. 273. Lutei coloris vela, quibus caput novarum nuptarum operiebatur. Flammea sumere, Nubere. Nonius, Philipp. Carol. l. 4. c. 3.

Gar-

Gargara, orum. 261. Phrygiæ montana, frumenti feracissima. Virg.

Garizæus mons, & Garizim Hebr. 229. In Palæstina, regione Samariæ altissimus. In eo Manasses, Jaddi Pontificis Jud. frater, cùm ob ductam Sanaballati Samaritanum Ducis filiam aris Hebræis pulsus esset; Templum magnificum exstruxit Jerosolymæo oppositum. Id Joan. Hyrcanus, Simonis Machab. Fil. evertit. CC. postquam conditum fuerat, anno. De hoc loquitur Samaritana, Joseph l. 13. antiq. c. 4. & 17. & l. 18. c. 7.

Gedeon. 262. Heros & Dux fortissimus Israëlit. ex Juvene rustico no Historiam Panis subcineritii de monte devoluti, vide Judic. c. 7. v. 13. * Gedeonæum vellus. Ejus historiam vide ibid. c. 6. v. 36.

Geraræa tentoria. 56. tabernacula, quæ Isaacus fixerat Geraris, urbe & regiuncula Palæstinæ (in tribu Simeonis) ad torrentem Bossorem seu Besor. * Geraræi consitor agri, Isaacus patriarcha, qui agrum Geraronum consevit, & centuplicato fructu demessuit. Genes. 26. v. 12.

Getes, æ. 122. Gens Tartaror. citerior. (H. Jun.) Ibid. Amphibius Getes, gens alia Scythica, seu Paci intenta seu bello.

Geusi, orum. 376. Fœderati Batavi seu Hollandii. Caam nominis vide apud Famian. Strad. l. 5. Belg. & Sur. Chronic. 1566.

Gilvus, a, um. 100. Color inter album & ruffum, medius ut in laterculo semicocto. Falb.

Globus in dextra 17. Pro nocturnis animi comentationib. Aristoteles æneam pilam, manu compressâ, retinebat, supposito infra labro metallino: ut, si obdormisceret, excidentis globi sonitu revigilaret. Sabellic. l. 2. c. 3. Quidam Alex. Magno quoque hoc tribuunt. Nec multùm absimilia Vigiliar. Strategemata leges de Pharisæis apud Epiphan. l. 1. Panar. c. 16.

Glomus, eris, & i. Fili convoluti globus. Item, quævis convolutio.

Gluma, æ. 57. Folliculus granorum in frugibus.

Guntius,

Guntius, i. 197. Amnis Sueviæ superioris, ortus in Almangovia: decurrens in Danubium prope urbem Ginzburgum Ortel. Nizolius Guntiam nominat.

Gurgustium, ii. 162. Angustum & tenebris horridum domicilium. Cic.

Gyaros, vel, us, i. & Gyara, æ. 160. Insula una Cycladum, multorum deportationibus & exiliis infamis.

Gymnas, adis. 332. Exercitatio, & locus, ei assignatus. Statius.

Gynæconitis, idis. 400. Conclave fœminarum. Corn. Nepos. Item ipse mulierum cœtus in conclavi. Plutarch.

HÆMUS, i. 326. Mons Thessaliam inter, & Thraciam. unde utraque, Hæmonia vel Æmonia dicitur.

Halievtica, orum. 200. Piscatoria.

Hamaxobius. 122. Scythiæ Sarmaticæ gens, cujus vita in plaustris. Pompon. Mela.

Harpa, æ. 169. Ensis falcatus, qualis Turcarum & rusticorum Sueviæ. Ovid.

Haustrum, i. 326. Hic, Cyathi genus, quo vinum hauriebant.

Hebron, onis. 137. Palæstinæ, in tribu Juda, metropolis: colonia Gigantum seu Enacim: quorum reliquiæ & simulacra usque ad Josephi tempora. Septuag. χεβρών.

Hecate, es. 321. Hoc loco, mulier in Chersoneso Taurica, veneficii peritissima, & Medeæ magistra. Apollon. Rhod. Valer. Flaccus Argon. Ovid. Diod. Sic. & al.

Hecla, æ. 122. Mons Islandiæ, septentr. Insulæ; flammivomus, & Ætnæ Siculæ æmulus. G. Jansson.

Hectica, cæ. 360. Calor præter naturam, in solidis partib. sed, quæ in corde jam sedem fixit. Unde assiduis inflammationibus, æger squallet, defluit, & expirat. Barbaris, Ethica.

Helice, es. 122. Poli Arctici seu Septentrional. constellatio, dicta, Ursa major: quam nautæ Græci observant. Ovid. (sacer & poëtis.

Helicon, nis. 175. Bœotiæ mons, in Græcia Musis

Hylas,

Hylas. æ. 237. Puer comes Herculis: quem, submersum in fonte, crediderunt ab Nymphis raptum. Propert.l.1. el.10.

Hymenæus, i. 90. nomen Sectarii, tempore S. Pauli Apostoli. 2. Tim. 2. v. 17. * At 107. Deus est Nuptiarũ.

Hymettus, i. 72. &c. Mons Atticæ, ab apib. & mellificio celebris.

Hypæthra, æ. 64. &c. subaudi, Structura. Solarium aut locus quivis sub dio, puróque cœlo. (Dioscorid.)

Hyperboreæ minæ. 175. Regum Aquilonarium. * Hyperboreus, qui in extremo Septentrione, tanquam super vel ultra Boream est.

Hyper-Criticus. 103. Censor immoderatus. Aristarchus Aristarchorum.

Hyperíon, onis. 138. pro Sole, poëticè. Hyperionius (currus, Solaris.

Hyperuranius. 356. ad verbum, Supercœlestis.

Hypogramma, atis. 101. Subscriptio.

Hypotyposis, eos. 291. Rei aut gesti per singula descriptio accurata: ut quasi cerni videatur. Susenbr.

Hyrcania, æ. 128. Asiæ majoris regio, ad mare Caspium. In ea arbor, Quercui similis, folia habet spontaneo melle tincta: quod ante Solis radios incolæ colligunt. Curt. l. 6. c. 4.

JACCHUS, i. 325. Bacchus. hîc pro ipso vino.

Jahel, élis. 371. Herois Vet Testam. quæ Sisaram, ducem hostium, Lactis potu soporatum, adacto in tempora clavo ferreo, interemit. Judic. 4. à. v. 17.

Janale sidus. 107. Constellatio, quæ mense Januario. Sic Porta Janalis, Virga Janalis. Ovid. Fast. * Janus prior. 373. per metonym. Januarius anni prioris 1600.

Jarimæus mons. 138. Mons & saltus Palæstinæ, in tribu Dan.

Iberia æ. 376. Hispania, ab Ibero illius fl. * Iber. 2. &c. & Ibericus, Iberus miles Iberæ aquæ, Ibera freta. (adjectivè) Hispanica. Adjectivè ponunt Horat. & Virgil. Æn. 9. v. 582. * Iberus, i. substantivè. 378. Hisp. fluvius.

Icarium tempus, 384. Æstivum, quo omnia accendit

quam imbres ex tecto defluunt. Juxta Alvarum & Nizol. masc. est: contra Calep.

Indigetes, um. 399. Divi ex hominibus facti Virg Liv.

Inspicare. 77. In figuram spicæ exacuere, v. g. palum vel sudem aut baculum. Virg. 1. Georg.

Intérpolis petra. 321. Quæ aquis frequenter obruta, & frequenter ab iisdem extans, velut innovatur & mutatur. Plaut. Mostell.

Joabi spicæ. 305. Seges hordei, quam Absolomi jussu servi ejus deusserant, cùm Joabus toties accitus venire renueret. 2. Reg. 14.

Jonathis, idos. 371. Patronym. fœm. Pertinens ad Jonatham, Filium Saulis regis. de cujus, ad mel lingendum, periculosa cupiditate, Vide 1. Reg. 14.

Ionicus ales. 65. Attagen. Haselhuen: cujus plena est Ionia, regio minoris Asiæ maritima.

Jordanes is. 159, Palæstinæ fl. ortus sub Libani montis radicibus duplici fonte: quorū alteri Jor, alteri Dan, nomen est. Adrich.

Jova æ. 383. per episynalœpham, pro Jehova: quod est nomen Dei arcanissimum. pro quo Ar. Montanus ponit Ja. Jæ, &c.

Iris, idis. 100. Genus Lilii, quod Florentinū dicunt. * 166. Liliū Cœruleū, dictū propter multicolorem cœlestis arcûs imitationē. Matth. Lobel. in hist. stirp. & alii.

Isacides, æ. 220, &c. Jacobus Patriarcha, Isaaci fil.
* Isacidæ, arum. 357. Israëlitæ, Judæi.

Isara, æ. 316. Hîc Bojariæ fl. seu Torrens vastus. Aliud est Galliæ flumen, ejusd. nominis. Lucan. l. 1.

Islebidæ, arum. 376. Protestantes, Lutherani dogmatis sectatores. Islebides, æ. Lutherus, ab Urbe Islebio, patriâ.

Itys, yos, &, yis. 281. Filius Terei regis & Prognes: qui à matre Zelotypa interfectus, in Phasianum mutatus est Ovid. Met. 6. f 7.

Judithiades, æ. 252. patronym masc. Manasses, Judithæ quondam maritus: qui in dieb. messis hordeaceæ, dum messorib. & manipulos alligantibus intendit, æstu caput obruente, extinctus est. Judith c. 8. v. 3.

Liba-

Libanótis, idis. 169. absolutè, Fœniculus porcinus, odoris thurei. Beerwurtz/ flos. Libanotis verò Coronaria alit: Ros marinus.

Libycus dens. 103. Dens Elephantorum, quorum ferax Libya est, pars Africæ. * Libycus Draco. 292. Erant in Libya aut (juxta Ortel.) in Africa Cyrenaica, Hesperidum puellarum, Atlantis filiar. Horti, quorum poma aurea, Veneri sacra. Custos autem pomorum, Draco pervigil; ab Hercule denique occisus.

Ligustrum, i. 109. propriè est arbuscula, cujus flos ejusdem nominis candidus & odorus. Beinholtz: quibusdam Cypros. Hoc loco Ligustrum spurium, germen pratense, foliis Cypro similibus (wilder Cypreß) flore partim rubicundo, partim albicanti.

Linea longa. 200. Hîc est funiculus setaceus, ex virga piscatoria dependens, cuj hamus annectitur. Angelschnur.

Lingon, onis. 238. Sunt Lingones gens Galliæ Lugdunensis.

Lipsana, orum. 5. Reliquiæ, derelicta.

Litare. 231. &c. Propriè est, sacrificare cum effectu bono; placare, & impetrare, quod petas. Virg.

Lucina, æ. 3. & 130. Dea, partuũ præses. Cic. 2. de nat.

Lucis aves. 65. Galli gallinacei, lucem vicinam cantu notantes.

Lychnis, idis. 126. Flos, alit. Lychnis coronaria Flos Jovis, Rosa Græca. Germ. Margē vel Marienröslin.

Lyciæ ranæ. 89. Rustici enim, imprecationibus Latonæ versi in Ranas, Lycii fuerunt, in Asia minore. Ovid. Met. 6. f. 4.

Lyncevs, ei. 103. Vir tanto visûs acumine; ut in Sicilia consistens, classes è portub. Africæ solventes, notaret. Acron, in Horat.

MACEDA, æ. 138. Urbs Palæstinæ, in finib. tribûs Judæ & Beniam. Græcè Sept. μακηδά. Josue c. 11.

Medardi stella. 126. Constellatio Hyadum imbrifera; quæ, juxta Kal. Julian. ad 4. Non. Junii oritur, & ferè circa 8. seu S. Medardi diem, apud Septentrionales, in nimbos solvitur. Vide Daniel. Hejnsii Kalend. in Fastos. Ovid.

Megæræ faces. 321 accensæ à Megæra, unâ Furiarũ Infern: quarum sunt tres, Alecto, Megæra, Tisiphone.

Melicerta, æ. 237. filius Athamantis & Inûs; cum quo postquam se mater in mare præcipitâsset, in Deos marinos ambo mutati; ille quidem Palæmon, hæc Leucothea, dici cœpêre.

Melimélum, i. 170. &c. Malum seu Pomum melleum & musteũ, fructus arboris minutæ. Paradeyßäpfelin. Varr. Martial.

Memnonia Ara. 183. Orientalis. à Memnone Auroræ filio, Assyrior. regulo, qui cum Orientalium magna manu ad Trojam venit.

Memnoni mater. 12. Vocativ. pro Aurora, Memnonis matre. patronym. à Memnonis, idos. Ovid. 13. Metam.

Memphis, eos. 65. Urbs Ægypti ingens. hodie, Cayrum vocant.

Mentha, æ. 167. Herba odorata, maximè confricta. Müntzen/Bementen/si hortensis. q. d. Beata mentha.

Mentor, oris. 113. Vasorum, maximè sympoticorum, cœlator præstans.

Meretricia vota. 229 alluditur ad illud Deuteron. 23. v. 18. Non offeres mercedem prostibuli, in domo Domini, * quia abominatio est.

Merges Pueri duodenus. 262. Manipuli 12. Patriarchar. in quorum meditullio (ut ipse secundùm quietem vidit) manipulus Josephi Pueri. Genes. 37. v. 7.

Meteora, orum 313. Sublimia, &, quæ in aëria regione generantur, ut Fulmina, fulgetra, tonitrua, grando, chasmata, &c.

Metréta, æ. 197. Mensura liquidorum, apud Atticos capiens Sextarios 62, Apud Syros verò, 120. edit. Cadus & Amphora.

Mopsopius Hymettus. 72. Atticus. Attica enim Mopsopia dicta, à rege Mópsope. Ovid. 5. Metam.

Moretum, i. 373. Edulium seu Fartum ex Caseo, lacte, & herbis, aliaque varietate. Welscherflad. Virg.

Mororum gens. 48. Fatuorum. die Witzenburger.

Moses. 375. Ungarus Arrianus. turbavit hoc anno Transsylvaniam (dux Zecclerorum) Sequenti verò à Batha victore occisus. Spondan. P. A. Jansson.

Murex icis. 177. Piscis marinus, ex conchar. genere (diversus tamen ab ostreis seu Purpurariis) Cujus succo vestes tinguntur, Conchyliatæ dictæ: quarum colorem, ut & purpuræ, boves oderunt: & aspectu efferantur.

Myrias, adis. 118. Numerus decem millium.

Myristica nux. 387. Mußcatnuß. Muscata, Unguentaria, Aromatica.

Myron, 8. 357. neutr. Græc. Unguentum ex myrrhæ, Cinnamomíque incisi stillis. * 103. Myron, onis, Statuarius Syracusanus.

Mystax, acis. 87. Superioris labri barba. Juvenal. Knäbelbarth.

NABATHÆA, æ. 5. Regio, ab Arabia, ad Indos, & mare Erythræum pertinens. * Nabathæus, Orientalis. 10. &c. * Nabathæa avia, Desertum Arabiæ. 157.

Nablia, orum. 31. Instrumentum Musicum, Psalterium. Ovid.

Nænia, æ. 132. Carmen funebre, ad tibiam cantatum. Quintil.

Najas, adis. 208. &c. Dea Fontis & fluvii. à natando dicta, gr.

Nanus, i. 291. Pumilio, Pygmæus.

Nassa, æ. 200. Vimineum textum, in quo piscibus esca reconditur: sed arctis adeò faucibus, ut per pronum ingressis, reditus intercludatur.

Nasturtium, ii. Planta, amans loca rigua. Germ. Brunnenkreß.

Nora-

Novales, ium. 76. subaudi, agri. Qui alternis annis obseruntur. Dicitur etiam Novale, 383. & Novalia. Brachfeld.

Novellæ, arum. 35. Arbusculæ recentes. Cic. 5. de finib.

Numidûm. 225 pro, Numidarum: qui sunt gens Africana, inter Mauritaniam & Carthaginenses, vagabunda.

Nuniades, æ. 132. Patronym. masc. Josue Dux, filius Nun.

Nyctelia gula. 73. Bacchica. Nyctelius, Bacchus, Ov. Met. 4.

OBEDUS, i. 352. Filius Boozi, ex Rutha. Gr. Ὠβήδ.

Obeliscus, i. & Obelus. 28. Virgula, veruti figurâ, signum expunctionis: Censorum nota, in modum pyramidis jacentis.

Odrysius Dux. 150. Turcar. Imper. Odrysæ, arum, populi Thraciæ, Ubi Turcar. sedes regia.

Oebaliæ puellæ. 235. Laconicæ. ab Oebalo, rege Laconum.

Oestrum, i. 178. Asilus, Virgil. Tabanus. Vespa est, armentis infestissima. Roß oder Kühebrämen.

Olerum cultor. 366. Abdolonymus, ex hortulano factus Sidoniorum rex. Curt. l. 4. c. 2.

Olympia, æ. 119. Urbs Peloponnes. priùs Pisa dicta:, ubi cultus Jovis Olympii, & ludi Olympii, dicti Olympia. * Olympias, adis. 33. Græcorum lustrum, seu Quinquennium. Ab Olympiadib. Græci annos supputabant. * Olympias alta, pro Cursu ad Cœlum 142. * Olympus, i. 165. Montes altissimi, quattuor diversis Græciæ locis, eodem nomine. (Rob. Steph.) * pag. 56. & sæpiùs, pro Cœlo. Virgil.

Omasum, i. 68. Pars ventriculi crassior & pinguior. H. Jun.

Orebæa

Oscen, inis. 131. & Oscinis, is. Avis occinens, & occinendo auspicium faciens. V. Nizol. & Calep. * 192. Voce Oscine. q. d. Occinente, occlamante.

Oscum metallum. 67. Campanum æs. Gloggenspeyß. Osci enim Campani. * Osca ora. 321. Obscœna verba. Osci enim Veteres, tam oris, quàm ventris impurissimi. Fest.

Osmánes, is. 376. Turc. Imperator; quem Mustapha successor, serico laqueo strangulari jussit. V. Spond. & Mart. Zeiller. in Auct. P. 2. Th.

Ossa, æ. 320. Thessaliæ mons pinifer. Solin.

Osseus fons. 371. Mandibula asini, ex qua fons Samsonis. Jud. 15.

Ostrum, i. 128. Succus Ostreorum, purpureus. * 247. Ipsa Ostrea.

Ostrinus, a, um. 166. Purpureus. Propert. l. 2. el. 29.

Otomanniadæ, arum. 132. Turcarum reges, ab Otomanne, vel Osmane oriundi.

Oxus, i. 216. Susitanorum fl. in Perside. V. Curt. l. 7. c. 9. & 10.

PÆONIDES, um. 166. Flores, vulgò Pæoniæ castæ, gr. παιωνίαι. Pfingströßlin/Benignenkraut.

Pæstum, i. 102. Lucaniæ maritimum oppidum, Biferum Virg. 4. Georg. dictum: quòd bis in anno, Majo sc. & Septembri, flores proferat. * 170. Pæstana Troja. Campus mirè priùs floridus, postea succisus. alluditur ad illud Ovid. Penelop. Jam seges est, ubi Troja fuit.

Palæmon, onis. 237. V. Melicerta.

Palæstinæ Columbæ. 364. In Phœnicia enim omni, Columbarū ingens copia. Aldrov. & Ornithol. Lucian.

Pales, is. 171. Dea ruris & pabuli. Virg. 3. Georg. Festa ejus, Palilia.

Palimpsestus. 147. ὁ, ἡ, παλίμψηστος, ἢ τὸ παλίμψηστον, Quidquid ità inscribi potest, ut deleri rursus, ac rursus inscribi possit: cujusmodi membranæ è Corio asinino vel cretato.

Palla,

Plauti

Plauti est, Paratragœdiat. Est, Exaggerare, Terrores, tanquam in tragœdia excitare, majores ipso vero periculo.

Parius lapis. 103. Marmor candidum, è Paro, una Cyclad. Insul.

Parodia, æ. 355. Cantici, aut Carminis, diffusior diductio; sensui, non verbis iisdem, immanens.

Parrhasius, ii. 168. Pictor Ephesius, notissimus.

Parthenius, a, um. 115. & passim. 1. Virgineus.

Parus, i. 22. Avicula picta, furax, & subdola. Mayß.

Pastillus, i. 170. Rotula aromatica, vel dulciaria. Zeltlin. Horat.

Pastinare. 77. Ferramento bifurco agrum fodere. Colum. l. 3.

Pegma, atis. 50. & 66. &c. Machina, strues compactilis. Cic. Suet.

Pelecanus, & Pelicanus, i. 186. Avis, degens in solitudinibus Ægypti, circa Nilum: quæ crebris rostri puncturis sese vulnerans, occisos pullos superfuso sanguine fertur redanimare. S. Hieronym. Gr. πελεκᾶς. At * 166. Planta est, oblongis genistis, foliis viridibus ac mollibus, floribus speciem Avicularum referentibus, multis capitibus, tanquam rostellis ad pectora inflexis.

Pelides, æ. 238. Achilles, Pelei filius, & Thetidis.

Pelignus trames. 235. Via Ovidii; qui Sulmone, ex Pelignis, ortus.

Pellæus. 64. Ad Alex. Magnum pertinens. à Pella, Maced. urbe. Juvenal.

Pelops, opis. 120. Tantali fil. qui curulis certaminis præmium, ab Oenomao, filiam Hippodamiam sponsam, abstulit.

Pelusia hordea. 42. Ægyptiaca. Pelusium urbs & ostium Nili, unum è. 7. * Pelusiacus tyrannus, 99. Pharao rex Ægypti.

Pemma, atis. 293. Hoc loco, Placentæ genus. Athenæ. Nudlen/ vel, Bawrenküchlen.

Penta-

Philip-

Philippiades, æ. 216. Patronym. Alex.Magn. Philippi filius.

Philyra, æ. 258. propriè, Tilia arbor. Item membrana arboris hujus tenuissima, inter corticem & corpus; unde Lemnisci coronarii fiebant (Horat.) & Pagellæ foliáque scripturæ apta.

Phlegma, atis. 290. Pituita propriè translatè, Torpor.

Phœbe, es. 27. Luna. Sicut 87. Phœbus, pro Sole, &c.

* Phebéæ flammæ. 392. Solares.

Phœnix ager. 71. Terra illa Syriæ, ad Tyrum & Sidonem.

Phosphorus, i. 30. Stella matutina, Lucifer. Martial. l. 8.

Phrygio, onis. 262. Qui aureis sericisque segmentis, acu & arte Phrygum, vestes ornat. Plin. Quæ ars, pag. 4. dicitur, Acus Phrygia.

Phthegmata, um 90. Sententiæ, Pronuntiata.

Physis, eos. 121. Natura.

Pileus datus. 324. Libertas: cujus nota, in capite raso, Pileus. Rosin. c. 20. l. 1. antiqq.

Pindus, i. 186. Mons Thessaliæ altissimus.

Pitissare. 167. Sensim, sorbitiunculis sonoris, more vina prægustantium, bibere. Terent.

Plejades, um. 150. Stellæ. 7. ante genua Tauri: quæ Atlantides etiam dicuntur: sed Vergiliæ, Veris respectu. * Plejadum pater. 239. Atlas, rex & mons Mauritaniæ. (&c. Athenæ.

Pleuritis, idis. 360. Dolor lateris acutus & pungens,

Plursia, æ. 376. Oppidum olim in Grisonib. seu Rhætia Alpestri, ad Meram fl. ruinâ montis obrutum 25. Augusti, anni 1618.

Pœcila, æ. 168. Porticus Athenienf. contecta, & picturarum varietate exornata: in qua Stoici disputabant. Corn. Nepos. (cyd.

Polemarchus, i. 130. Imperator belli supremus. Thu-

Polus, i. 121. Duo sunt Poli, (seu puncta) axis, circà quem omnis cœli machina gyratur. Septentrionalis sc. & Meridion. Virg. G. 1. à. v. 240.

Pontificum fasti. 216. Fasti festíque dies, quibus Pontifices.

menti, à Josepho collecti, conditoria principiò fuisse. Genes. 41. V. Salian. Felic. Fabri, &c.

Pylia senecta. 188. Nestorea, 300. annor. V. Nestor.

Pyrius, a, um. 238. Ad ignem spectans. Pulvis pyrius, nitratus. Schießpulfer.

QVADI, orum. 200. Gens, hodie in finib. Silesiæ. Wasserpolacken. Dubravius.

Quadrati versus. 288. Tetrametri seu Octonarii Catalectici Trochaici. Unde, ut plenè tales sint, pro voce ultima Possis, legendum Possies, Latinit. priscâ; sicut legit Tornæsius, &c.

Quincunx, cis. 72. Exacta spatii & arborum dimensio divisióq; in hortis; ut ordo, quaquaversum spectes, rectus in oculos incurrat. Cic. Quintil. l. 8. c. 3. Instit.

RAVAILLACIUS culter. 375. Francisci Ravajllaci, Engolismensis; qui Henric. IV. Borbonium interemit. 14. Maji.

Refugi turres. 82. Civitates Refugii, pro iis, qui inscii & nolentes hominem occidissent. V. Josue c. 21.

Regio, flumina bina bibens. 171. Mesopotamia, Tigrin inter & Euphratem.

Regulus, i. 81. Avicula exigua, auratâ verticis maculâ. Gr. Trochilus. Goldhänlin / Ochsenäuglin / Königlin. (obseritur. Colum.

Restibilis ager. 76. Qui quotannis, ob soli bonitatem,

Rhahaba, æ. 277. Jerichuntina mulier, quæstuaria; postea Proselyta, ducta à Salmone, Duce tribûs Judæ. Matth. 1.

Rhama, æ. 149. Villa Palæstinæ, tribûs Judæ, in colle excelsò adeò, ut indè videri eminus posset Jordanis, mare mortuum, Arabia, Idumæa, & ingens maris mediterran. littus. A, primum habet Camets, i. e. longum.

Rhaphais. 138. Vallis, Hebr. Rhaphaim, in tribu Beniamin, fertilissima.

Rhetææ arces. 20. Vindelicæ, Augustanæ; Sunt enim in Rhetia, quam eruditi Secundam nominant, amne Lyco sectam.

Robi-

Sarrire.

Sarrire. 76. Sarculo raſtrové leniter inducto, ſatione peractâ, herbeſcentes ſegetes repurgare. Plaut. Varr.

Sarmaticus Rex. 377. Sereniſſ. Vladiſlaus, Poloniæ R. Sarbiev. l. 4. Od. 16.

Satureja, æ. 170. ſubaudi, Sativa ſeu hortenſis. Herba condimentaria (ait H. Jun.) Columellæ Thymbra. Garten- oder Zwifelhyſopp.

Sauliades, æ. 80. Jonathas, Saulis regis fil. amiciſſimus Davidis. 1. Reg. 19.

Scamandris, idos. 171. patronym. fœm. à Scamandro, fl. ex Ida monte Troadis deſcendente. Heſiod.

Scaphe, es. 297. Vas coquinarium cavum oblongum. Kuchenmolten.

Scapus, i, 102. Caulis, in columnæ modum ſurgens: in plantis.

Scaturit. 127. & 223. Contra imperita Lexica, mediam ſyll. producit. Auctor Carm. Lampſac. Vide & Alvar. Annot. ante 1. Conjug.

Scolopax, acis. 22. Gallinago, avis oblongo roſtro. Germ. Schnepfen. Duæ primæ ſyllabæ corripiuntur, quia Gr. σκολόπαξ, per omicron. Contra H. Jun. & Nemeſianum poëtam: qui ſecundam producunt, ſine omni cauſſa & lege.

Scytha, æ. 151. pro Turcar. Imp. Scythicus paſſim, pro Turcicis: quia ex Scythis Turcæ oriundi. Pompon. Mela. Hermolaus, &c.

Sector, oris. 81. Qui in confiſcatione aut ſubhaſtatione, bona alterius auctionatur, & ad ſe parvo trahit, ut magno vendat. Ein Schacherer auff der Ganth. Cic. 2. Philipp.

Sejanus. 376. prænom. Ælius. In aula Tiberii potentiſſimus: ad extremum oppreſſus, necatus, & unco tractus. V. Suet. in Tib. & al.

Semiramius rogus. 216. Buſtum Babylonium. De Alex. Magno, Babylone extincto: cuj rogus illic imaginarius ſtructus; cadaver reipſa balſamo conditum; Alexandriam tranſlatum, V. Curt. l. 10. f.

nis. oriens circa 8. Kal. Jul. (Servius) Pro ipsa Canicula cœlesti sumitur.

Sirpiculus, i. 200. quasi, Scirpiculus. est nassula seu Corbula scirpea, alligari solita ad palos, minutulis piscib. capiendis. Plaut. **Grundelkörblin.**

Sistrum, i. 352. Instrumentum musicum metallinum, trigonum ferè, cum annulis & orbiculis, compulsari solitis. Ovid. & alii.

Sithonius. 34. & pass. Thracius. ex Thracia, Septentrionali regione, in comparatione Græciæ. * 326. Sithonius ros, Nix cœlo fluens, ac mox congelata. * Sithonius flatus, Aquilonaris ex Thracia ventus.

Smilax, acis. 166. Herba cum flore. alit. Scandula, & Conjugulum: quòd scandendo herbas, simul eas jugulet. **Großgloggenkraut.**

Solidus, i. 404. Moneta. 25. denarios, seu centum sestertios, hoc est 50. bacios, valens. æquivalet Rosato Anglico.

Solis avis. 30. Phœnix; quòd Sole conflagrans renascatur. **Sonnenvogel.**

Solymæus rex. 17. Salomon. * David, &c. à Solymis, orum, urbe Palæst. Jerosolym. Juvenal. Sannaz. & alii.

Somma, æ. 377. Vesuvius, Campaniæ mons.

Sonticus. 76. &c. semper nocens.

Sophoterus, i. 54. Sapientior.

Sora, æ. 12. Soranus ager, & Sora, ubi Fibrenus influit in Lirim (prope Arpinũ) natale solum Ciceronis (l. de legib.) & gentis Baronianę (Baron. in ann. 1030. n. 3.)

Sorbum, i. 21. Fructus arboris, quæ Sorbus dicitur. **Speyrling.**

Sorbile virus. 196. De acerba Cerevisia. Corripit hæc vox secundam syllabam. analogiâ aliorum verbalium, à verbis. 2. Conjugationis, ut Docilis, Tortilis, mobilis, repleblbilis, mixtilis, flebilis, delebilis, &c. ut rectè Smet. & Calep. contra Nizol. (vulsio.

Spasmus, i, & sma, tis. 360. Nervor. distentorum con-

Spira, æ. 201. Funium; maximè è sparto, circulus: cuj Remus in navi inseritur. Servius.

Sportula, æ. 301. Corbula: in quam reliquiæ cibi reponuntur.

Stagiræus ſenex. 201. Ariſtoteles, 67. natus annos; è Stagira, extremo Maced. oppido. ad ſinum Strymonium.

Stator Juppiter. 33. Quòd fugientes in prælio Romanos ſtare fecerit, invocatus. Ovid 6. Faſt. Item, prò miniſtro, qui ex officio aſſiſtit & apparet magiſtratui. Cicer. Petron. & alii.

Stellula, æ. 166. Flos, liciis dependentib. in modum ſtellæ, vel calcarium. Ritterſporn/ Sternblumen/ Capillaris, & Aſteris, aliter.

Stibium, ii. 197. alit. Gynæcium quòd ad mulierum fucanda cilia adhibeatur. Spießglaß. Plin.

Stipulari. 52. Poſtulare. ſibi aliquid verbis conceptis & ſollemnibus promitti promiſſione firmâ: Quíque per interrogationem, (Spondes dare? &c.) promiſſorem obligat, Stipulator dicitur. Verba Juris. Cic. 2. de leg & Paull. l. ſentent 5. tit. 8.

Stria, æ. 67. Plicatura vel ſulcatura alicujus ſcapi, clavi, columellæ, &c. per circuitũ incurvum. Schraufung. unde Clavus Striatus, Schraufen. * 383. Veſtis muliebris plica vel ruga, arte compoſita. Item ligamina ſerica, capillitio muliebri ſtriatim innexa.

Striga, æ. 170. Ordo manipulorum fœni, modò abſecti, & in ſuas ſtrues congeſti. Varro. Zeyl der Heuſchocken.

Strix, igis. 33. &c. Avis nocturna, diri ominis. Propert. Stat.

Stroma, atis. 6. &c. Stragulum, tapes, teges.

Strymonius ales. 84. Grus, ad Thraciæ fl. Strymonem frequens.

Styrax, acis. 357. Arbor Syriæ, Malo Cydonio ſimilis: cujus lacryma pretioſa, eod. nomine, &, Storax, dicitur. Dioſcorid. Theophr.

Subleſtus, a, um. 82. Fluxus, frivolus, levis, vanus. Plaut.

Suburranus fœtor. 104. à Suburra, vico urbis Romæ; in quo proſtibulorum diverſoria. Roſin. l. 1. antiq. & al.

Succinum, i. 23. &c. Electrum. reſina arborum odoratarum Orientalium. Agſtein. Arbor verò hîc, Quà Fluunt Succina, populus eſt, unde lacrymæ Heliadum. Ovid. Met. 2. f. 3.

Sudermannus tetrarcha. 375. Carol. Sudermanniæ in Suecia Dux.

Sunamius puellus. 262. Filiolus magnæ illius Sunamitidis: quem meſſis tempore ex capitis dolorib. extinctum, S. Eliſæus in vitam revocavit. 4. Reg. 4. à v. 8.

Syenæus. 199. Ex Syena urbe & Inſ. Nili, in extremis Ægypti Thebaicæ. * Syenæus fons, 291. Hujus aquam Solſtitio æſtivo penitùs illuminari in profunditate, ſinè umbræ caſu, tradit Heliodor. Æthiopic. l. 9. circa med.

Synchronos, vel, us, i. 38. Qui eod. tempore vixit. barb. Contemporaneus.

Syndromos, vel us, i. 198. Qui curſu contendit cum altero Antholog. l. 3.

Synedrion, vel um, ii. 230. Conſeſſus Judicum. Hebr. Sanedrym, Concilium 72. Senum, legis & religionis arbitrorum.

Syntheſis, eos. 214. Congeries veſtium ſeclusarum. Item, pro quavis veſte. Martial.

Syrius rex. 31. David: qui pleræque Syriæ imperavit. * Syrium culmen, de vertice mont. Libani; totius Syriæ altiſſimo. 143.

Syro-Lotis, idis. 391. Rutha, ex Syriæ illa parte, quam Loti filius Moabus incoluit & de ſe appellavit.

Syrtis, is. 211. Sinus & procurſus maris arenoſus, vadoſus, & periculi plenus, &c. In ſingulari, eſt Virgil. 4. Æn. & Sil. l. 17.

TÆNIA, æ. 383. Ligularum ſericarum nexus, in cultu & capite muliebri. Item, Vittarum muliebr. Symmata pendula. Pollux.

Thameſis. 375. Angliæ fl. maximus : ad cujus ripam Borealem Londinum, urbs regia, ſita eſt.

Thamyras , æ. 32. Thrax poëta & Cantor excellens ; à Muſis tamen victus & exoculatus.

Thaphnica caſtra. 99. Ægyptia, regis Pharaonis : à Thaphna urbe, quæ aliter Tanis quoque. Hebraicè, Thah haphanim.

Thariades , æ. 99. Patronym. Abraham , filius Thare.

Thavmantia. 30. Iris, arcus cœleſtis, Thavmantis & Electræ filia. Virg. 9. Æn. Filia nubis, quia ſinè hac nulla Iris.

Thavma , atis. 116. Miraculum,ſeu portentum. Ariſtoph. * 143. Thavmaticus , mirificus , mira faciens : ſicut Pragmaticus , & ſimilia. Thavmaſticus verò , per ſt, qui miratur & obſtupeſcit. Ariſtotel. V. Criſp. & P. Gillium.

Thebaides fictæ. 63. Eremitoria , ad imitationem eorum, quæ in Thebaide Ægypti regione olim Patres ſtruxêre.

Themis , idis. 51. &c. Dea Juris & Honeſti.

Theocritica avena. 132. Fiſtula ſeu Carmen Bucolicum : cujus generis (etiam per Elegias) princeps apud Græcos auctor fuit Theocritus Syracuſanus.

Theogonia, æ 396. Deorum dearúmque generatio. Heſiod.

Therapnæus. 201. Laconicus. Therapnæ enim Vicus Laconiæ, in quo Leda , Helenam & Dioſcuros pariens, locum nobilitavit. Ovid. in Paride.

Theriſtrum , i. 5. Amiculum æſtivum,& quaſi meſſorium,tenue : mulierum maximè Orientalium. * Unde 261. Pro operimento capitis ſubtili & levi. * 244. Nubes theriſtri , ad imitationem Satyrici , dicentis ; Palàm proſtare (* nuptam) in Nebula linea ?

Theſbites æ. 149. S. Elias propheta, natus Theſbæ ; urbe Syriæ trans Jordanem , in medio regionis Galaaditidis. Adricaom.

Tophus, i. 63. Lapis arenosus, inæqualis, friabilis; diversus à pumice.

Topiaria, um. 366. Loca hortorum; in quibus cultor, sequacem fingens preménsque materiam, figuras varias efficit. Plin.

Toral, is. 370. Sindon, qua lectus insternitur. Horat.

Torus, i. 176. Hîc, pro pulpa brachiorum musculosa, sinè ossibus. Virgil.

Tragema, tis. 170. Mensa secunda, bellaria. Confect.

Tragula, æ. 200. Rete, aquis supernatans, sectili subere sustentatum.

Traha, æ. vel Trahea, eæ. 77. Carpentum, quod doliis oneratum, trahitur vehiculum sinè rotis. Virgil.

Trama, æ. 262. Subtemen, seu fila illa, quæ transmeant stamen, eique intertexta, telam absolutam efficiunt. der Eintrag.

Trapetum, i. 81. Locus, in quo Oleum è baccis exprimitur. Cato. Virg.

Tribulus, i. 77. & 303. Herba foliis rigidè spinosis & præduris, portulacæ similitudine. Wassernuß. Nascitur in ruderosis quoque.

Tribulum, i. & a, æ. Tabula, ferro vel lapidib. asperata, pondere superimposito: qua, jumentis junctis, super spicas tractâ, fruges exterebantur. Varr. l. 1. Abusivè sic dici potest, omne instrumentum trituræ frugum.

Tridens, entis. 200. Instr. piscatoriū, trium aculeorum, confodiendis piscib. Virg. Plin.

Triens, entis. 216. Hîc genus mensuræ liquid. quatuor continens cyathos. Propert. Pers. Martial.

Triga, æ. 170. Currus, à trib. equis tractus. sicut Biga, æ, Statio Sylv. 1. in Stella. Vox Ulpiani, per Archaismum: nam prisci, Bigam, trigam, quadrigam dicebant.

Trinacrius medimnus. 309. Sicula frumenti mensura, capiens 108. libras: cùm modius habeat libras 26. cum unciis. 8. Fuerunt & Attici ac Macedonici medimni, cum nota μ, superposito ε. Vide Cic. Verr. l. 3.

VACCINIA, orum. 169. quasi Baccinia; fruticuli in uliginosis locis & pratis: baccis nigris & edulibus. Haydelbeer.

Vacuna, æ. 196. Dea Otii. Sabinor. & Romanor. Varr. Panuvin.

Vadimonium obire. 54. Ad diem præstitutum ac promissum, se Judicio sistere. Cic. pro Quintio. &c.

Vectis ligneus. 304. der Wißbaum. caput & pes vectis, duæ extremitates illius.

Verbena, æ. 169. Omnis herba vel flos, qui sacris ornandis adhibetur. Quibusdam vero, Eysenkraut / herba particularis.

Vergiliæ, arum. 11. Stellæ. 7. in Tauro: quarum circa Vernum æquinoctium matutinus exortus.

Verna, æ. mascul. 76. In domo herili natus, ex servo ancillave herili. Vernula, æ. diminut.

Verriculum. 200. & Everriculum (Cic.) Rete, quod tractum verrit fundum piscosum. Ziechgarn.

Vescus, a, um. 131. Quo vesci possumus. Lucret. Virg.

Vesperis ales. 58. Vespertilio.

Vesuvius, ii. 314. Campaniæ felicis mons, Ignivomus. Somma.

Vicia, æ 56. Græcis Asiaticis, βίκιον. Roßwicken. Ervum.

Villum, i. & plur. Villa. Vina exilia, vilia. Terent.

Vincla pedum. 351. Calceamenta Judaica. De Cessione porro juris, per detractionem calcei, vide Ruth c. 4. v. 7.

Virgo. 87. & 373. Hic, Signum Zodiaci, Augusto præsidens.

Viripláca, æ. 107. Dea, uxorib. offensos viros placans. Val. Max. l. 2. & al.

Viventes aquæ Salom. 210. Puteus Palæstinæ, in tribu Aser, inter Tyrum urb. & Palætyron, ad radices Montis Antilibani. de quo Cantic. 4. v. 15.

Vitalis Arbor. 371. Lignum vitæ. Genes. 2. v. 9.

Ulva,

elegiâ, non est secundùm Adrichom. Hebron, ut contendit Auctor Annal. Eccles. sed, inter Emmauntem & Bethsuram, 1000. ferè pass. ab utraq; distans, ad montana. ex Brocard. Breidenbach. &c.

Zecchia arva. 378. Bohemica, à Zeccho: qui ex Slavonia illuc coloniam deduxit. V. Joach. Pastorium in Floro Polon. c.1. de Lecho, fr. Zecchi. J. Cluver.

Zechrus i. 73. Nomen fictum Villici Iniquitatis. Luc. 16. Sed alius fuit, vero nomine sic dictus, Regulus sanguinarius, in Palæst. ex tribu Ephraim oriundus. 2. Paral. 28. n. 7.

Zephyrus, i. 63. &c. Ventus Occidentalis. * 64. Nomen Equi. * Zephyritis, idos. 168. Chloris, vel Flora, Dea viroris & florum. Catull. in Coma Berenic. Ovum Zephyritidos, i.e. Partus alludendo ad Ova Ledæ ex Cygno Jove.

Zeuxis, idis. 168. Pictor Heracleotes: qui Aves Uvarum picturâ decepit. Plin. l. 35. c.9. & 10.

Ziphæa rura. 60. Desertum, & montes Palæstinæ in tribu Judæ; à Ziphæis inhabitati. 1. Reg 26.

Zodiacus, i. 85. 87. 257. Circulus in cœlo major; obliquus, Zonæ latæ instar, in quo 12. Signa, per quæ Sol currit, animalium formis à Mathematicis finguntur & disponuntur. Cic. 2. divin.

Zona, æ. 107. Cingulum hîc Sponsarum, adhuc Virginum, ex lana Ovis. retentum, Virginitatis professio.

Zythus, i. & Zythos, eos. neutr. 196. Potus ex hordeo. Crisp.

GRÆCA GRÆCI Characteris.

Ἀποϛροφὴ, ῆς. pag. 118. Aversio, abscessus.

Ἀυτὸς ἔφα, 48. IPSE DIXIT. Vox discipulorum Pythagoræ, omnium rationum instar; &, cui acquiescendum erat.

Αὐτόφωνον testimonium. 214. Prolatum ipsius auctoris rei gestæ, voce.

Βροντογραφικὴ, καθ' ὑποτύπωσιν. 314. Elegia, describens per singula & exactè βροντὴν, id est, Tonitru.

Γηπόνος, ὁ μετ' αὐτὸν &c. Græcus ille locus Eustathii, hanc habet sententiam.

Agricola, qui post eum (sequitur) in medias spicas pronus; Falcem habet dextrâ, sinistrâ verò colligit manipulos. recipit fructum laborum. metit compensationes fatigationum, & semi[illegible] fruitur culturâ. Operimentum gerit capite Pileum affabre factum, juxta Hesiodum. Non enim nudo isto (capite) videtur æstum sustinere. Tunicam omnem circa lumbos (iliave) præcinctus erat: &, quidquid corporis fuit, præter membra, verecundiæ lege tegenda, denudaverat.

Ἑτερόφθαλμος, 8. 15. Luscus, alterutro oculò carens. distinguitur à μονοφθάλμῳ. Vide Phavòrinum Camertem.

Κρῖνον, & Κρίνον, 8 99. Lilium: &, Saltationis genus, in Lilii, ut suspicor, formam. Circumflectitur ab Apollophane, in Dalmide. Ab Athenæo l. 3. post med. Lib. 15. ad med. de flore, è capite Statuæ Alex. Magni. προσείρηται δ' ἄνω, περὶ αὐτῆς, ὅτι τὸ Κρῖνον ὅτω λέγουσιν. Item, à Menæis Græcis 2. Januar. paragr. penult. καὶ ἀνθήτω, ὡς Κρῖνον. &c.

Λείρινον Oleum. 101. Ex foliis Lilii.

Μικρόκοσμος. 8. 324. Parvus Mundus.

Πάθος, εος. 205. Affectus animi, Passio.

Παρ' ἱστορίαν. 399. Præter, vel contra, historiæ probabilitatem.

ʻΡιζολογοτόμος, ȣ. 166. Radices verborum, post anxiam indagationem, in suas minutias secans. Wortswurtzen- graber- vnd hacker.

Σȣ́σινον Oleum. 101. Ex Liliis collectum.

Φιλέλλην, ηνος. 280. Græcorum amans & Studiosus.

CORRIGENDA.

Pro Phtegmata p. 90. v. 9. à f. Lege, Phthegmata.
Saburranos. 104. v. 15. L. Suburranos.
Xantippa. 193. v. 23. L. Xanthippa.
Sandapyla. 352. v. 4. à f. L. Sandapila.

FINIS.

MONACHII,

Formis

NICOLAI HENRICI,

Anno Christiano,

M. DC. XLIV.